Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
A
27
NAPOLI

XXV. A. 27

BIBLIOTECA NAZ.E
XXV
A
27

Digitized by Google

BISTERFELDIUS REDIVIVUS.

Seu

OPERUM

JOH: HENRICI BISTERFELDII
Magni Theologi ac Philoſophi,
Poſthumorum,

TOMUS SECUNDUS,

In quo Tractatus varii Philoſophici, continentur, quorum ſeriem vide Pagina ſequenti.

HAGÆ-COMITUM,
Ex Typographia ADRIANI VLACQ.
M. DC. LXI.

Digitized by Google

SERIES TRACTATUUM
In hoc volumine ſecundo contentorum.

I. *Logica.*
II. *De Puritate, ornatu & copia linguæ latinæ.*
III. *Ars diſputandi.*
IV. *Ars Combinatoria.*
V. *Ars reducendorum Terminorum ad diſciplinas liberales Technologica.*
VI. *Ars ſeu Canones de reductione ad Prædicamenta.*
VI. *Denarius Didacticus, ſeu Decem Aphoriſmi bene diſcendi.*
VII. *Didactica ſacra.*
VIII. *Uſus Lexici.*

LOGICÆ

LIBER PRIMUS.

De Inſtrumentis inventionis.

CAPUT I.

De Logicæ natura & uſu in genere.

LOGICA eſt ars ratione rectè utendi; eodemq; ſenſu *Dialectica* dicta eſt.

REGULÆ.

1. L*Ogica non eſt ſcientia ſed ars.* Logicam eſſe artem accuratiſſimè dictam, artis definitio manifeſtè oſtendit. Eſt enim ars habitus intellectualis congruè effectivus. Efficere autem hîc eſt opus producere.

Opus eſt res ab intellectu juxta regulam facta ſeu producta, ſive extra ſive intra mentem fiat. Ejuſmodi verò opera produci à Logica ſi quis neget, eo ipſo omnem uſum ademerit ipſi. Cùm autem ſcientia ſtrictè ſumpta in rerum neceſſariarum contemplatione, Logica in contingentium artificioſâ productione verſetur; ſcientia dici non poterit, niſi habitus intellectuales confundere velimus. Nam quòd quidam exiſtimant eam omnino eſſe ſcientiã, quia non pauca de ſuo ſubjecto demonſtret, infirmum eſt: Cùm hoc omnium habituum practicorum circa certas concluſiones occupatorum ſit munus: omnis namq; praxis præſupponit cognitionem: neque protinus illa diſciplina eſt ſcientia quæ veritatem contemplatur, ſed illa quæ in nuda veritatis contemplatione acquieſcit.

2. *Cum Logica ſit ars, non erit vis menti indita, ſed addita.*

Habitus eſt vis permanens facultati addita, & quidem intellectualis ſi intellectui, moralis ſi voluntati addatur, congruuus ſi congrua, incongruus ſi incongrua. Quòd autem ars ſit habitus, ſi à Syſtemate diſtinguatur, omnium conſenſu conſtat. Agimus autem de Logicâ non naturali, quæ nihil eſt aliud quàm vis intelligendi, à naturâ homini inſita, ſed artificiali. Hæc igitur, haud ſecus ac alii habitus, com-

comparabitur, adeoque vel infundetur, vel acquiretur, vel partim infundetur, partim acquiretur.

Infundetur Logica humanæ menti, ſi à Deo tantùm ſupernaturali actione in eum introducatur: quomodo quibuſdam Apoſtolis infuſam fuiſſe veriſimile eſt.

Acquiretur, ſi inſigni creaturæ actione ex intellectu hominis educatur. Inſignis illa actio plerumque eſt iterata, unde decantatum illud axioma, *habitus naturâ, doctrinâ atque exercitatione acquiritur*, profectum eſt.

Eductio enim potentiam ſeu naturam præſupponit, quæ cùm vitioſa ſit, habitu naturam corrigente & dirigente opus erit. Habitus autem non niſi exercitatione menti firmiter unitur. Itaque tribus omnino gradibus Logicæ habitus comparatur. Primò naturâ ac doctrinâ: Secundò naturâ & exercitatione: Tertiò naturâ, doctrinâ atque exercitatione. Primus eſt omnium imperfectiſſimus, ità ut vix habitus nomen mereatur, quamvis in Scholis ſit frequentiſſimus: Cujus Scholaſtici morbi certiſſimum indicium eſt, quòd plerumque illi qui Logicam profitentur, fermè nihil minùs ſciant, quàm rectâ ratione uti, præſertim ſi de rebus in vitâ humanâ utilibus agatur. Hinc eum ſecundus gradus multis paraſangis ſuperat: Etenim experientia nudâ doctrinâ eſt efficacior. Hinc videmus quod nobiliſſimi

mechanici, Principes ac Imperatores, multique alii prudentiſſimi Viri reperiantur, qui Logicam nunquam didicerunt, quos ratione rectè uti, non niſi rationis expers negabit: hi ſine arte artificioſiſſimè operantur: illi arte ornati, vel potiùs per artẽ nihil quod arte dignũ ſit, præſtant. Atque hæc eſt præcipua cauſa, cur Rerumpublicarum ac militiæ præſides, qui præ cæteris Logicâ indigent, eam fermè contemnant: vident enim in Scholis, rationem potiùs à Logicâ corrumpi quàm corrigi; verum ſi præclara ſua ingenia arte imbuerent, eamque crebro exercitio in ſuccum & ſanguinem converterent, ſeipſos longiſſimè ſuperarent: Natura enim incipit, ars corrigit & dirigit, exercitatio perficit. Quare is demum infinitum Logicæ uſum ſentiet qui eam uſu confirmabit.

Denique quòd habitus Logicæ, partim infundi, partim acquiri queat, Moſis, Danielis, ſimiliumque divinorum Virorum ſtudia ſat is indicant. Quod illi obſervare debebant, qui Scripturam S. λογικώτατην cum Logicâ ἀλόγως committunt.

3. *Cùm Logica ſit ars non ſuppeditabit res ipſas, ſed inſtrumenta, eaque non futilia ſed utilia.*

Inter eos qui circa Logicæ uſum errant, quidam non ſatis, quidam nimium ipſi tribuunt.

buunt. Non ſatis utiliſſimæ arti tribuunt illi qui in nugis, quas falſiſſimè Logicas dicunt, conſueſcunt, & proram ac puppim eruditionis Logicæ in puerilibus quibuſdam diſputatiunculis collocant: horum ſtultitiâ quidam territi, in vitium prorſus contrarium incidunt, dum omnem diſſertationem à Logicâ expectant, non ſecus ac ſi quis ab Architecto, non ſolùm domus conſtructionem, ſed ipſam materiam quoque peteret, quibus meritò objicitur illud, μέγα λίαν αἴτημα: neque enim ſola Logica præſtare poteſt, ut aliquis bene diſſerat, ſed Logica Encyclopædiæ conjuncta. Nullus igitur Logicæ uſus? imò infinitus, nam ejuſmodi organa tibi ſuppeditat, quorum beneficio omnigenæ meditationis materiam invenire, eamque accuratè diſponere potes.

Quis unquam perito aurifabro ignaviam exprobraverit, quòd aurum non conficiat? nonne ſufficit, quòd artificioſiſsima inſtrumenta præbeat, eorumq; uſum doceat? Sic Logica ea tibi inſtrumenta & quidem liberaliſſimè largitur, quæ ad perfectiſſimas quaſq; mentis operationes faciunt ac ſufficiunt. Ea verò quæ nihil ad mentis perfectionem conducunt, inſtrumentorum Logicorum nomine indigna pronuntiat. Quam ſententiam ſecuti omnia illa præcepta Logica, quæ in humanâ vitâ utilitate ſuâ non commendantur, ex territorio Logico proſcribimus.

4. Lo-

4. Logica rationē inſtrumentis inſtruit, quibus omne intelligibile cognoſcere poſſit.

Practicarum, i. e. activarum & factivarum diſciplinarum ſubjecta, utiliſſimè à quibuſdam diſtinguuntur in ſubjecta informationis, operationis & tractationis. Cùm enim diſciplina ſit habitus intellectualis & quidem congruus (incongrui enim non ſunt diſcendi ſed dediſcendi) neceſſe eſt ut humano intellectui inhæreat, eumque perficiat. Cùm verò habitus practicus, (quem, diſtinctionis cauſâ, Energeticum vocare ſolemus) ſit productivus, neceſſariò circa aliquid producibile verſatur. Denique cùm ad omnem praxin media requirantur; de iis quoque agere debebit: Atque illud, ſubjectum informationis, iſtud, operationis, hoc, tractationis, ab hujus neceſſariæ diſtinctionis inventoribus appellatur.

Informat autem Logica rationem, unde à λόγ☉ ratio, dicta eſt: ac mediante ratione omnes facultates humanas, quæ à ratione gubernantur, mirificè juvat. Informat inquam ſive in naturalibus, ſive in ſupernaturalibus, ſive in Theoreticis, ſive in practicis, ſive denique in univerſalibus, ſive in ſingularibus rebus verſetur. Illorum enim error qui Logicæ uſum univerſalibus includunt, planè eſt pernitioſus. Hâc enim ratione Theologi, Juriſconſulti, Medici, Mechanici, uno verbo, omnes

pra-

ractici, Logicam jure rejecerint. Rectiſſimè taque, ſubjectum operationis Logicæ ſtatuiur intelligibile, ſeu ens rationis, adeoque omne ens & non ens, modo hoc entis naturam induat. Niſi enim hoc concedatur, Logica nullum uſum vel in utilibus entibus rationis excogitandis, vel in futilibus refutandis habebit. Quomodo autem rationem in tanta rerum varietate informat? dum ipſi modum ſeu inſtrumenta diſſerendi ſuggerit, hæc enim ſunt ejus genuinum tractationis ſubjectum. Itaque,

5. *Logicæ uſus tam latè patet, quàm latè patet uſus rectæ rationis, adeoque per univerſam Encyclopædiam, i.e. Theologiam, Iuriſprudentiam, Medicinam, Philoſophiam, omnes artes Mechanicas ſeſe diffundit.*

In artibus finis artis, à fine artificis rectè diſtinguitur. Ille vocatur internus; hic externus. Sic finis Oratoriæ eſt tradere modum bene perſuadendi, Oratoris, bene perſuadere. Hic finis Artificis ſi non à ſolo artifice, ſed ab alio quoque pendeat, non ſemper obtinetur. At finis artis, ſive internus, ſi non obtinetur, ars vel nulla vel mutila eſt. Sic quoque Logicæ finis internus eſt tradere modum bene diſſerendi, ſeu ratione rectè utendi (ſunt enim

hæ phraſes ſynonimæ) finis verò externus eſt bene differere, ſeu rectè ratione uti: quod Logica ſine aliis diſciplinis præſtare nequit, verùm fideli ſuo miniſterio adductum hunc defectum uberrimè reſarcit, dum cuilibet artifici ſuam operam affert. Nihil enim tam ſublime eſt quod non attingat, nihil tam humile quod faſtidiat. Itaque illi qui ſublimitatis prætextu Logicam in Divinorum Myſteriorum tractatione repudiant, religionem non defendunt, ſed imprudentes evertunt, niſi forſan bruta quædam Theologia credenda ſit. Qui verò Mechanicas artes ſuperciliosè deſpiciunt, debitam mercedem reportant, nimirum inopiam, & apud Artifices, viroſque de vitâ humanâ bene meritos, infamiam. hinc

6. *Omnia Logicæ præcepta utiliter theoreticæ per* eſt, *practicè per* debet, *poeticè per* poteſt, *intelliguntur.*

Diſciplina omnis theoretica eſt, vel energetica, ſive contemplativa & operativa. Theoretica eſt quæ in veritatis cognitione acquieſcit. Energeticam vocamus illam quæ cognitam veritatem producit ſeu exequitur: Eſtque practica (ob cujus ambiguitatem, Energeticæ vocem uſurpamus) vel poetica practica ſeu activa eſt quæ producit actionem honeſtam. Poetica ſeu factiva eſt quæ producit actionem artificioſam. Has omdes in generaliſſimis prin-

principiis convenire ipſarum harmonia evidenter oſtendit. Cùm verò Metaphyſica generaliſsimorum principiorum ſit radix: Logica autem tabella ſeu pictura, omnia & ſingula illarum præcepta triplici modo intelligenda erunt, imò non ſolùm illarum, ſed etiam quarumvis diſciplinarum definitiones & diſtributiones, confectaria & regulæ; ut, ſi cauſa eſt, ejus vi res eſt, dicit Metaphyſicus: Si homo in hoc mundo vivit, nutritur, dicit Phyſicus: Si cauſa eſt, debet ejus vi res eſſe, ſi homo in hoc mundo debet vivere, debet nutriri, dicit Œconomus, Juriſconſultus, Theologus, omniſque practicus. Denique ſi cauſa eſt, poteſt ejus vi res eſſe; ſi homo in hoc mundo vivit, poteſt nutriri dicit Medicus, Mechanicus, omniſque Poeticus artifex.

Ex his patet quòd Logica omnes humanas cogitationes dirigere poſſit ac debeat. Quodque is demum ratione perfectè utatur, qui omnes ſuas operationes ad regulas Logicas accuratè examinat. Quòd qui fecerit, reipsâ experietur, quòd jure meritò Logica vocetur canonicè mentis humanæ regina, lima ac norma: perfectarum cogitationum officina: atque ut ejus præſtantiam uno verbo exprimamus, quòd ſit artificioſiſſimus mentis humanæ, naturaliſque ejus panacea.

CAPUT II.

De inſtrumentis Logicis.

In genere.

PRÆCEPTA.

Logicæ partes duæ ſunt, generalis & ſpecialis.

LOgica generalis eſt prima Logicæ pars, quę inſtrumentorum Logicorum naturam generaliùs explicat.

Inſtrumenta Logica ſunt notiones ex rerum collatione à mente inventæ, ut illarum habitudinem repræſentando ipſam in differendo dirigant & juvent.

Inſtrumenta Logica conſiderantur in genere & in ſpecie. In genere videnda eſt ipſorum natura & uſus.

Natura inſtrumentorum Logicorum cognoſcitur ex ipſorum origine & affectionibus. Illa ex rerum collatione oritur.

Affectiones inſtrumentorum Logicorum ſunt unitæ vel disjunctæ.

Affectio unita eſt ipſorum habitudo: Eſtque prima, vel orta.

Prima eſt ipſorum habitudo cum rebus: orta eſt ipſorum habitudo cum ſeipſis.

Affe-

Affectiones inſtrumentorum Logicorum diſtinctæ ſunt communes ipſorum diviſiones, nimirum quod ſint, primò ſimplicia, vel compoſita: Secundò neceſſaria vel non neceſſaria: Tertiò affirmantia & negantia.

Vſus inſtrumentorum Logicorum eſt ipſorum in diſſerendo vis: Eſtque congruus vel incongruus, uterque ſimplex vel combinatus.

Vſus congruus eſt Analogus vel Anomalus.

Anomalus eſt pleonaſmus, Ellipſis vel Metatheſis.

REGULÆ.

1. *Rectè Logica diſtribuitur in generalem & ſpecialem: Diſtributionis hujus utilitas, imò neceſſitas ſic patet.*

Logica eſt ars rationis, itaque ipſa non ſolùm inſtrumenta ſuppeditat, verùm etiam congruum eorum uſum oſtendit. At congruus inſtrumentorum uſus eſt qui cùm rerum, quibus applicantur, naturâ conſentit: maxima autem eſt rerum varietas, & quidem talis, ut quædam nec omnia inſtrumenta Logica, nec ea quæ admittunt, quovis modo admittant: ſic non Logicâ utetur, ſed inſaniet qui Deo efficientem, corrumpentem, puncto, majora, diſtributionem in partes integrales, applicuerit. At ſumma eſt congruæ applicationis difficultas, quam vel ſola experientia

nimis teſtatur. Itaque ſingularis requiritur ad eam dexteritas, quam ſpeciales diſciplinæ docere non poſſunt.

Quanta enim oriretur confuſio, ſi Theologia, cæteræque diſciplinæ docerent quænam inſtrumenta, & quomodo ſingulis ſuæ juriſdictionis thematibus ſint applicanda? Quare fatendum eſt, quòd Logica nobiliſſimum mentis actum, *qui eſt congrua generalium inſtrumentorum applicatio*, ſuis præceptis juvare debeat, (de quo liber tertius) aut negandum eam mentis directioni ſufficere.

Hanc diſtributionem laudata omnium artium conſuetudo approbat. Quis unquam improbavit medicinæ in generalem & ſpecialem partitionem? Ac quis non rideret illum ſartorem qui de forficis uſu plurima in genere garriret, nunquam verò diſcipulo oſtenderet, quomodo hanc vel illam veſtem ſcindere debeat? Quæ contra objiciuntur levia ſunt; Logica cùm ſit diſciplina generaliſſima, ſpecialia perſequi non debet; Quaſi verò non dentur in omnibus diſciplinis generalitatis gradus. Eodem argumento argumentor, imò omnium inſtrumentorum Logicorum diviſionem condemnaveris: pergis, uſus non ipſius artis ſed artificis opus. Rectè: ſed aliud eſt uti Logicâ, aliud ejus uſum docere.

Illud reliquis artificibus Logica commendat & committit, hoc ſibi vendicat. Quò autem

autem hæc Logicæ diſtributio clariùs cognoſcatur, ſciendum eſt primò, quòd non ſit generis in ſpecies diviſio, ſed integri in membra partitio. Deinde quod ob penuriam vocabulorum, ingrata quædam verborum repetitio inſtituenda ſit, quæ tamen illis grata erit, qui malunt incommodioribus vocabulis uti, quàm rebus abuti, quique norunt plurima ſubalterna genera in diſciplinis nondum obſervata, multò minùs propriis nominibus expreſſa eſſe, quæ obſervatio non ſolùm hanc noſtram diſtributionem, ſed alias quoque plurimas illuſtrabit.

2. *Inſtrumenta Logica ſunt rerum imagines, ac mentis normæ.*

Cùm mentis humanæ perfectio in accurato omnium rerum quantum fieri poteſt, cognitione conſiſtat: cognitio autem ſit cognoſcentis & cogniti aſſimulatio, facilè intelligitur, neceſſariam eſſe quandam inter facultatem cognoſcentem & res cognoſcendas proportionem: Omnis enim congrua unio ſt proportionalium. At tamen eſt tanta rerum cognoſcibilium varietas, tanta quarundam excellentia, aliarum verò tenuitas, ut exigua, vel potius nulla inter eas & angustam noſtram mentem, proportio appareat, aque vel de rerum ſolidiore cognitione deſperandum, vel ſingulari quodam artificio undum fuit. Imi-

Imitatur igitur ratio peritos Mathematicos, qui ſi numeroſa provinciarum ſpatia animo complecti nequeant, ea ingenioſè, certis linearum ductibus repræſentant, ſicque ea in tabella menti objecta] accuratè metiuntur. Haud ſecus mens noſtra, cum ſine adminiculis immenſam rerum ac diſciplinarum abyſſum explorare nequeat, ſpititualia inſtrumenta ſibi fabricat, quorum beneficio infinitam rerum varietatem, ad commodam paucitatem, & nimiam rerum ſulibmitatem aut tenuitatem ad conſentaneam mediocritatem reducat. Hæc inſtrumenta ſunt inſtrumenta Logica: Ea enim ex mutua rerum collatione, quâ earum convenientiam ac differentiam mens ſcrutatur, ſuam ducunt originem: Sic cùm primi Heroes rerum naturas intuiti animadverterent, quod aliæ alias producerent; in certis proprietatibus convenirent; illis cauſæ nomen impoſuere, earumque proprietates Logicis præceptis expoſuere. Atque hæc collatio eſt illa inductio, quam ſummi quique Philoſophi omnium diſciplinarum naturæ lumine notarum parentem prædicant. Hinc jam patet quare inſtrumenta Logica rerum adeoq; & diſciplinarum imagines vocentur, nimirum nihil ſunt aliud quàm artificioſiſſimæ naturæ picturæ, quàm accuratiſſima mundi iconographia, quod Germani ſcitè terminis Matheuraticis exprimere poſſunt.

In-

Inſignis itaque requiritur inter inſtrumenta Logica ac rerum naturas harmonia. Ex quibus omnibus Logicæ difficultatem ac defectus, modeſtum ingenium haud difficulter perſpicit. Etenim cùm rerum omnium indolem ac proportionem tanquam exacta tabella repræſentare debeat, quis non videt Logicam non niſi ab artifice omnium diſciplinarum, ſeu univerſæ Encyclopædiæ perito, inveniri, amplificari ac corrigi poſſe? Qui Heroes cùm ſint rariſſimi optandum eſſet, ut aliqua Synodus convocaretur, in quâ à ſummis Theologis, Jureconſultis, Medicis, Philoſophis & Mechanicis, Canones ex rerum viſceribus deprompti, omnique exceptione majores, ſancirentur; quod illi perpendere debebant qui mutilis, ſcabroſis ſuis nugis Logicis, rerum ac diſciplinarum exercitus in ordinem cogere, imprudentiſſimè conantur: Quorum dementia non minor eſt, ineptiſſimi pictoris inſaniâ, qui homini depingendo naſum amputare vellet, quò ejus vultus abſurdæ ſuæ picturæ congrueret. Nullus ergo eſt Logicæ in diſciplinis inveniendis ac examinandis uſus? Imo longè maximus, modò Logica ſuâ prudenti inductione, ac ex primis principiis demonſtratione nitatur. Quamvis enim res ſint menſura Logicæ: vera tamen Logica eſt norma mentis tuæ, eſt inquam menſura, non Archetypa ut rebus imperet, ſed Ectypa ut tibi in-

inſerviat: Rem ſubtilem quidem, cognitu tamen utiliſsimam, familiari exemplo exponamus; Logica non eſt ipſe homo depingendus, ſed pictura, ab inſigni artifice deſcripta, ut eam alius pictor imitetur: Itaque licet ſit rerum exemplum, attamen eſt tuarum cogitationum, ut Philoſophi loquuntur, exemplar. Cæterum quia inſtrumenta Logica ſunt rerum imagines, in iiſque fundantur: ſolent illorum nomina accipi vel *notionaliter* pro inſtrumentis, vel *realiter* pro exemplis: Sic ſyllogiſmus ſumitur vel pro inſtrumento Logico, vel pro ipſo opere. Hinc brevitatis causâ, pleraque realiter definiuntur, quæ tamen notionaliter intelligenda ſunt. v. g. ſubjectum eſt cui aliquid extra eſſentiam additur, ſic intelligitur. Subjectum eſt notio Logica, ſecundùm quam rebus convenit, ut iis aliquid addatur.

3. *Naturam inſtrumentorum Logicorum præcepta Logica accurati doceant.*

Sicut illi qui fontes ac flumina veneno inficiunt, univerſæ Reipub. interitum moliuntur: ſic illi qui canones ſuos Logicos erroribus vitiant, peſſimè de univerſâ Repub. literariâ merentur. Quod graviſsimum periculum tam ſcribentium modeſtam diligentiam, quàm legentium æquam prudentiam acuere debebat. Non itaque juventutis præceptores, ſed deceptores ſunt illi, qui ſine ullo de-

delectu canones Logicos effutiunt, quibus poſtea viginti vel triginta exceptiunculis mederi coguntur. Quod non ideo dicimus, quaſi noſtris præceptis perfectionem adſcribamus; tantùm enim ab hâc inſaniâ abſumus, ut in dies admirabile, ſicut omnium diſciplinarum, ità & Logicæ incrementum optemus: imò haud dubiis fundamentis nixi, certò ſperemus. Quamvis autem definitiones ſint omnis accuratæ cognitionis ſeminaria, utiliſſimè tamen iis probatæ diſtributiones & canones adduntur.

Sic itaque ſtudioſus ſecum ſtatuat, omnem eruditionis Logicæ theſaurum, in anguſtiſſimis præceptorum capſulis latere, tantùm ingenioſâ meditatione eruendum eſſe. Quod artificium ut ingenuis ingeniis reddatur familiarius, conſectaria quædam, tanquam vades, exempla tanquam faces, ſubinde adjiciemus.

4. *Infinita eſt inſtrumentorum Logicorum immeatio.*

Immeatio eſt quidam profundiſſimus terminus, ſed à paucis, quod ſciam, authoribus uſurpatus aut explicatus, ſoli fermè Theologi de perſonarum Divinarum ἐμπεριχωρήσει, immeatione, piè diſſerunt. Nos igitur vocem utiliſſimam, ſed ſatis intricatam aliquantulum extricare conabimur.

Immeatio aliquando pro intimâ rerum unione: aliquando pro intimâ unitorum habitudine

tudine ac reſpectu ſumitur : hæc enim habitudo eſt intimæ unionis proles.

Immeatio eſt realis vel mentalis, generalis vel ſpecialis.

Immeatio realis eſt rerum in naturâ intima unio, indeque proficiſcens, ineffabilis communio, hæc eſt baſis & norma mentalis.

Immeatio mentalis ineffabilis eſt inexplicabilis cogitationum penetratio, quâ unus conceptus alterum parit, nutrit, ac auget; quam qui intelligit, næ ſibi jure gratulari poteſt! Hinc oritur inexhauſta verborum immeatio ac copia.

Immeatio generalis eſt, quâ omnes res, etiam inter ſe maximè diſtantes, ſaltem in aliquibus conveniunt. Hujus radix eſt, primò, quòd nihil in universâ rerum naturâ ſit tam abſolutum, quin intrinſecum ad aliud habeat reſpectum: deinde quòd omnia entia, ſecunda ſint, ex, per, & in primum. Sic omnes termini rem aliquam denotantes ſaltem in primo termino, ens, ejuſque attributis conveniunt.

Immeatio ſpecialis eſt quæ certis rebus competit. Sic prima, omnique admiratione digniſſima eſt Sacro-ſancta divinarum Perſonarum immeatio, quæ eſt fons omnis creatæ convenientiæ & differentiæ, quâ & cum Creatore & cum ſeipſis concordant.

Illuſtriſſima quoque eſt lucis ac ſpecierum ſen-

ſenſibilium immeatio. Ita ſine ſtupore nemo infinitam radiorum cœleſtium immeationem perpenderit.

His præmiſſis inſtrumentorum Logicorum immeationem explicemus. Hæc nihil eſt aliud quàm illorum, ut cum Philoſophis loquat, unibilitas ſeu aptitudo quâ infinitis modis inter ſe conjungi poſſunt: ex quâ conjunctione mirabilis prorſus fluit communicatio. Sic cauſa cum effectu, ſubjecto &c. Argumenta cum axiomatibus, Syllogiſmis & methodis complicantur. Atque ut hæc immeatio in omnibus rebus locum invenit, ita & quàm maximè excellit in rebus altioribus, nobilioribus ac ſimplicioribus, putà in Divinis, ſpiritualibus, mathematicis & ſimilibus, &c. Ex his clariſſimè elucet, omnem mentis humanæ meditationem, *collatione* inchoari, dirigi ac perfici.

Etenim rerum ac terminorum, adeoque notionum primarum ac ſecundarum (cujus fideliſſima ac fœliciſſima pronuba eſt Logica) connubium cogitationum ac diſciplinarum, eſt utiliſſimum. Si enim terminos dextrè marites, fructus ipſâ quoque naturali magiâ nobiliores inde percipies. Is igitur ſtudioſi Logici nomen merebitur, qui quotidie ſingula inſtrumenta Logica, eorumque genera ac attributa inter ſe diligenter contulerit, eaque rebus prudenter applicuerit.

5. Communes inſtrumentorum Logicorum diviſiones inſignem univerſæ Logicæ lucem inferunt.

Generalia ſunt ſpecialium radices ac baſes. Illis itaque ignoratis, fruſtra ſpecialium diſtinctam notitiam tibi polliceris. Omnium autem generaliſſima explicat Metaphyſica: Illius itaque definitiones, diſtinctiones, ac regulas reliquarum diſciplinarum ita imprimis Logicæ terminis rectiſſimè applicaveris: atque hoc innuunt viri doctiſſimi cùm de primæ Philoſophiæ ac Logicæ oſculo ſollicitè monent. Plurimùm itaque profeceris, ſi generales entis diviſiones commodè cum terminis Logicis conjunxeris. Sic enim diſtributiones ab aliis inventas, non ſolùm fideliter memoriæ mandare, ſed novas quóque feliciter excogitare poteris. Nos ex communibus iſtis diviſionibus tres hâc vice eligimus.

Primò quod inſtrumenta Logica ſunt ſimplicia vel compoſita: Ubi accuratè eſt obſervandum, quòd entis in ſimplex & compoſitum diviſio talis ſit, ut unum idemque ens pro diverſo reſpectu, ſimplex & compoſitum dici queat. Sic Elementa, reſpectu mixtorum ſimplicia dicuntur. Quamvis ex materiâ & formâ, adeoque partibus integrantibus, idemque ex ſubjecto & accidentibus ſint compoſita. Etſi igitur paulò poſt inſtrumenta Logic

gica in ſimplicia & compoſita diviſuri ſimus; hæc tamen diviſio manet generalis, quia alterius generis ſimplicitas & compoſito intelligitur. Simplicia inſtrumenta hic vocamus notiones, quæ ex pluribus non ſunt complicatæ: ut eſt cauſa impulſiva ſimplex, ſimile ſimplex, atque alia ejuſdem generis. Compoſita autem ſunt quæ ex pluribus notionibus conſtant, hæc autem compoſitio eſt Topica vel Critica. Topica eſt quæ licèt multiplex ſit, ad propoſitionis tamen compoſitionem non aſcendit; ſeu quæ pluribus unam notionem exprimit. Quemadmodum enim in Grammatica, alia eſt compoſitio Etymologica, quâ vox ex literis, ſyllabis, & ſimplicibus vocibus conflatur: alia Syntactica, quâ congruus vocum contextus abſolvitur: ſic quoque in Logica duplex occurrit compoſitionis gradus, ſic Topica compoſitio eſt quâ terminis pluribus unam ſimplicem notionem exprimimus: ita ſi dicam, quomodo arcem tam à naturâ quàm ab arte accuratè munitam, ac præſidio egregio firmatam, commeatu quoque probè inſtructam, hocce adventante vere capere poterimus? Hujus quæſtionis ſimplicis thema, omnibus vocabulis uſque ad illa, *capere poterimus*, exprimitur; omnium enim horum verborum objectum & ſcopus eſt unica arx.

Hæc notionum, ut ita dicam, partialium combinatio, ſummi eſt uſûs, tam in profundiſſi-

diſſimarum, cogitationum evolutione, quam inventione, nam ſi paulò altiùs rem inveſtigemus, in omnibus terminis latet ejuſmodi combinatio, præterquam in primo & ſimpliciſſimo termino ens.

Secundò dividuntur inſtrumenta Logica in neceſſaria & non neceſſaria: quæ diviſio ſi diligens inductio inſtituatur, facile deprehendetur eſſe generalis. Suprà enim vidimus omnia argumenta ſe immeare, i. e. mutuum vel ad unionem vel ex unione reſultantem reſpectum includere. Iſte autem reſpectus aliquando eſt ejuſmodi ut unionem ipſo actu neceſſariò inferat: aliquando talis, ut unio quidem eſſe poſſit, non tamen neceſſario ſit.

Inſtrumenta itaque Logica neceſſaria ſunt, quæ ſine ſuis correlatis eſſe nequeunt, ſic cauſa neceſſaria eſt, quæ non poteſt eſſe ſine ſuo effectu: Propoſitio neceſſaria eſt, cujus pars antecedens non poteſt eſſe ſine conſequente: Methodus neceſſaria eſt cujus poſterior pars non poteſt intelligi ſine priori: fatendum tamen eſt, quòd hæc diviſio inſtrumentis Logicis non tam formaliter quam materialiter conſideratis competat, i.e. non tam ratione ipſorum naturæ abſolutæ conſideratæ, quàm exemplis accommodatæ. Unde liquet quòd Peripateticorum diviſio Logicæ in Apodicticam & Topicam non diſtinctas aut ſpeciales partes conſtituat, ſed per univerſam Logicam permeet.

Ter-

Tertiò diſtribuuntur inſtrumenta Logica in affirmantia vel negantia, quam diſtributionem eſſe generalem plurima negantia themata & argumenta oſtendunt: ſic non Deus, nihil, peccatum originale, tenebræ, aliæque tam infinitæ, quàm privativæ negationes, frequenter occurrunt.

6. Vſus inſtrumentorum Logicorum congruus eſt, qui cum rei diſſerendæ naturâ, omniumque diſſerentium ſtatu conſentit.

Hactenus de inſtrumentorum Logicorum naturâ ſeu fabricâ diximus; reſtat ut eorum uſum explicemus, non quidem diſtinctè & ſpecialiter, hoc enim ad Logicam ſpecialem pertinet, ſed in genere oſtendendo uſus & fontes ac fundamenta.

Uſus autem inſtrumentorum Logicorum eſt vis illa, quam in perficiendâ humanâ mente exerunt; uſus inquam congruus, nam cùm nihil ſit tam bonum, quin eo quis abuti poſſit, imo quò res eſt præſtantior, eò ipſius abuſus ſit pejor, nemo mirari debet, quòd utiliſſimis inſtrumentis Logicis frequentiſſimè quidam abutantur. Cum autem inſtrumenta Logica ſint inſtrumenta cognitionis, neceſſe eſt ut rei cognoſcendę, cognoſcenti & ſibi ipſis reſpondeant. Rei cognoſcendæ reſpondebunt, ſi id quod eſt, eſſe quod non eſt, non eſſe, convenienti modo ac gradu,

gradu, ſignificent. Per cognoſcentē autem ſeu differentē hic non ſolùm intelligas proponentem ex. gr. oratorem, diſputatorē: verumetiam percipientem: auditorē, lectorem: differentium itaq; ſtatus ſi inſtrumentorum Logicorum uſus repugnat, incongruus eſt. Per ſtatum volumus innuere omnium modorum, tam moralium, quam naturalium, qui perſonæ conveniunt, concurſum: ſic ſi quis ſubtiliſsimè & veriſsimè de ſummo quodam myſterio cum puero, vel rudi homine diſputet, logicâ abutitur, ejus enim acumen percipientis captus non quadrat: ſimiliter ſi matrona de rebus obſcœnis accuratiſsimè diſſerat, inſanit; ejus enim Perſonam hoc thema dedecet; tibi ipſis denique reſpondebunt inſtrumenta Logica, ſi uſus cum ſuis definitionibus conſentiat, nec eas lædat: has itaque in promptu ut habeat diſſerens, ad eaſque oculo irretorto reſpiciat, oportet.

7. *Uſus inſtrumentorum Logicorum analogus ſeu regularis eſt, qui perfectè ac immediatè rei diſſerendæ, ac diſſerenti congruit.*

Artium cum rebus conformitas eſt ipſarum Anima, at hæc aliquando eſt plenior & planior, aliquando obſcurior ac artificioſior: hinc omnibus artibus familiares ſunt anomaliæ, quæ ſingularem gratiam artifici conciliare ſoleant; Mirum itaque non eſt quòd ingenii lima

lima ac magiſtra Logica ingenioſis ejuſmodi ſtratagematis ſtudeat; verſatur enim circa res ſuo captui æquales, majores vel minores, cum in primi generis rebus occupata eſt, ac nudè clariſſimeque progredi vult, uſum analogum ſtrictè obſervat, de quo illud vulgare intelligendum eſt, illa tantùm res à logico tractari poteſt, quæ directè pertinet ad aliquod prædicamentum, nam ſi reliqua à ratione cognoſcibilia à logicæ jurisdictione hâc regulâ excluſa velis, non ſolum logicæ, ſed & tibi metipſi atrocem injuriam facis.

8. *Vſus inſtrumentorum anomalus ſeu irregularis eſt qui imperfectè ac mediatè rei differendæ & differenti congruit.*

Inſtrumenta Logica ſunt picturæ rei depingendæ: ei vel ſunt æquales vel eâ majores aut minores, omnes quidem ei ſunt ſimiles, ſed non pares, ſic inſtrumenta Logica, peritè rebus applicata, ipſorum quidem naturam repræſentant, ſed non ſemper eodem modo ac gradu, ut enim uſus analogus ſapientiæ logicæ, ſic anomalus prudentiæ dictamen obſervat, quæ prudentia tribus modis utitur, nimirum pleonaſmo, ellipſi, & metatheſi. Pleonaſmus (ſeu exceſſus) eſt cùm ea adſunt, quæ abeſſe poterant. Ellipſis (ſeu defectus) eſt, cùm ea abſunt, quæ adeſſe poterant.

Metatheſis (ſeu inverſio) eſt, cum artificioſè inflexus ordo adhibetur. Ex his perſpicuum eſt, uſum analogum eſſe baſin ac normam anomali, ſecus enim facile irregularis uſus aberraret, niſi ad regulam revocaretur & examinaretur.

9. *Uſus inſtrumentorum Logicorum anomalus eſt analogicus vel anomalus communiter dictus: ille eſt neceſſarius, hic arbitrarius, quem diſtinctionis ergò* crypticum *vocabimus.*

Quamvis vox analogicus à voce analogus deſcendat, atque idem cum ipſo, vi originis, ſignificet, tamen liceat nobis hic Philoſophorum uſum analogicum ad anomalum, quo reverâ pertinet, referre. Genus enim analogicum vocatur, quòd *non æqualiter* ſuis ſpeciebus convenit, ſed tantum *ſimiliter*, ſimilitudine ſcilicet propinquâ & ſimplici, vel remotâ & combinatâ. Uſus igitur analogicus hic à nobis dicitur uſus anomalus qui ob rerum differendarum naturam & ſtatum neceſſariò adhibendus eſt. Uſus crypticus eſt; qui ob differentium ſtatum liberè à differente adhibetur, & quia uſus analogicus non ſolùm per univerſam Logicam, verùm etiam Encyclopædiam ſpargitur, ejuſque ignoratio graviſſimos errores, præſertim in Theologia, parit, eum paulò

fuſiùs

fuſiùs explicabimus, quamvis accurata hujus rei inquiſitio ad primum Philoſophum pertineat. Duplex enim hominum genus hic graviſſimè impingit. Primò craſſiſſimè errant illi, qui, quando ad contradictiones deducuntur, ſemper ingeminant illud, *licèt ſit contra rationem, non tamen eſſe contra Scripturam.* Hi irrationales Theologi omnem Logicam, id eſt, rectæ rationis uſum in divinis myſteriis negant. Deinde graviſſimè peccant iſti qui omnem Logicæ uſum etiam in ſummis naturæ ac Scripturæ myſteriis fingunt eſſe analogum ſeu univocum & adæquatum, qui error tam craſſus eſt, ut mirari, vel rectiùs dolere ſatis nequeamus, ejus Patronos pro hominibus acutiſſimis, eorumque figmenta pro oraculis haberi; hinc invicta illa tela! quibus Orthodoxam Religionem petunt, *omne generatum eſt effectum, omne liberum eſt duratione poſterius naturali, omne effectum eſt res diverſa ab efficiente. Ergò & decreta Dei non ſunt ipſe Deus. Omne adjunctum re differt à ſuo ſubjecto, ergo Deus eſt compoſitus. Omnis eſſentia indiviſibilis tribus communis neceſſariò eſt aliquid univerſale*, plurimaque alia ejuſdem farinæ, verùm hæc omnia non ſolùm atheologa ſunt, ſed aphiloſopha, non modo à Scripturæ, verum à rectæ rationis dictamine quàm maximè abhorrent; dictat enim recta ratio, quòd cognitio ſit actus immanens & vitalis cognoſcentis neceſſariò, non

tantùm cum cognoſcibili, ſed etiam, cum cognoſcente congruat. Præterea cum cognitio ſit aſſimilatio cognoſcentium & cognoſcibilium, clariſſimè liquet quod omnimoda aſſimilatio, adeoque & adæquata cognitio neceſſariò poſtulet omnimodam (largire mihi hunc terminum) in cognoſcente aſſimilabilitatem; jam perget recta ratio, & dictat eſſe Deum, id eſt Ens aliquod infinitæ perfectionis, ſi enim Deus ens ſimpliciter infinitæ perfectionis non eſt, poterit, vel intellectus noſter, vel ſaltem intellectus divinus aliquid Deo perfectiùs concipere; quæ quamvis planè barbara ſint, nunquam tamen ab hac barbarica abſurditate ſe expedient illi, contra quos hic agimus: fatentur quidem Deum eſſe ſummæ perfectionis, ſed negare non poſſnnt, quia ratio noſtra ens ſimplicius, ſanctius, conſtantius, majus, independentius atque beatius cogitare queat illo, quam illi in ſuis libris depingunt. Porrò dictat recta tatio, quòd infinitum non poſsit adæquari ſeu capi à finito (capere autem hic eſt omne cognoſcibile cognoſcere,) ſi enim infinitum adæquaretur finito, non excederet illud, atque adeo nec infinitum eſſet: omnimoda autem ſimilitudo æqualitatem, vel ſaltem æquipollentiam infert; Tandem itaque recta ratio concludit ac ſeipſam quaſi alloquitur hunc in modum: Cum in infinito ente neque omnia cognoſcibilia apprehendere, neque ap-

pre-

prehenſa vel comprehendere vel perfecte ac adæquate cognoſcere poſsis. Opus eſt, ut ſummam hic adhibeeas modeſtiam, nihil ſummo Enti adſcribas, quod imperfectionem ſapiat, nihil de eo neges, quod perfectionem dicat; atque hæc eſt indoles, hoc eſt officium & munus rectæ rationis. Quo fundamento jacto facilè primo gregi reſpondetur: nego quod recta ratio unquam aliquid negaverit, vel negare poſsit quod Scriptura docet, etſi enim Scriptura aliquid proponat, quod ipſius captum ſuperet, non negat tamen, jam enim didicit & ingenuè confeſſa eſt. plurima eſſe in rerum naturâ de quibus ſibi ſit ſilendum, niſi Deus ipſi ea revelet, hoc agit itaque ut cognoſcat, an Scriptura vel Deus, ſibi hæc revelaverit nec ne? quæ igitur quæſo hæc eſt incogitantia, quòd homines iſti lumen à Deo hominibus inditum cum infuſo committant? quoòd illud principium repudient, quo Prophetæ, Apoſtoli, imò Chriſtus ipſe in ſuis demonſtrationibus non rarò uſi ſunt; quòd denique intellectum rejiciant, qui fidei (quatenus habitum intellectualem ſignificat) eſt ſubjectum & domicilium?

10. *Uſus inſtrumentorum Logicorum analogicus oritur vel à rei differendæ perfectione, vel ab ejus imperfectione, uterque*

conſiſtit in proportionali additione, ſubductione, vel inverſione.

Scitè dicunt Optici: multa poſſunt videri viſione obliquâ, quæ non poſſunt videri viſione directâ, quos Metaphyſici imitati meritò dicerent: *Multa poſſunt cognoſci cognitione obliquâ, quæ non poſſunt directâ.* Ut autem in Opticis quædam à viſu etiam rectè ſe habente directè cognoſci nequeunt, vel quòd viſibile ſit nimis excellens, vel nimis tenue, tam ratione quantitatis quàm qualitatis, vel denique quòd ſitus ſit incongruus, ut quòd viſibile nimium moveatur, vel quòd diſtantia ſit nimia, vel tandem quòd impedimenta ſint alia interjecta, ſic quoque ab intellectione ſæpius perfecta cognitio obtineri nequit, licet intellectus naturâ ſuâ ſit convenienter diſpoſitus, atque ut morbi ſic quoque remedia ſibi pulchrè reſpondent. Opticus cum viſibile vel nimis diſtat, vel nimis exiguum eſt, utitur inſtrumentis quæ ſpecies ejus reddant majores, quàm in illo puncto in quo ſit viſio, erant; cùm verò viſibile eſt nimis magnum, utitur quâdam ingenioſâ ſubductione quâ partes conjunctas ſeorſim intuetur: ut cùm totùm Solem rectâ aſpicere nequit, unicum ejus radium per anguſtum foramen derivat. Denique ſi ejuſmodi ſit viſibilis ſitus ut radiis rectis oculos fe-

ferire nequeat, utitur organis refluentibus vel reflectentibus, quorum beneficio inviſibilia reddit viſibilia, ubi plerunque accidit partium inverſio, ita ut habeat quidem imaginem ſimilem ſed non ſimiliter ſitam; quemadmodū autem peritus Opticus in his omnibus non fallitur qui illam rerum diſproportionem (verba inſerviant rebus) ad proportionem revocat, ſic verus Logicus non decipitur etſi multa addat, detrahat vel tranſponat, quia ingenioſè inter rem cognitam ſeu viſible, & modum cognoſcendi ſeu imaginem, imaginiſque modificationem, diſtinguit; ſic Deo, varias notiones Logicas affingit, vel varias perfectiones in eo non apprehendit, vel apprehenſas intimeque in eo conjunctas cogitatione ſeparat, vel tanquam priora vel poſteriora ea quæ prorſus ſimul ſunt tractat, at ſimplici apprehenſione abſolutâ, poſtmodum judicando ſe corrigit, non ſecus ac viſui videtur, Solem eſſe bipedalem, quem tamen judicium ex proportione diſtantiæ, ſexcenties ſexagies ſexies terrâ majorem pronuntiat, ſed qui hanc rem cupit accuratius explorare, ille ſpeculi naturam diligenter ruminet. Ut autem in rebus excellentiſſimis, maximè divinis, ratio hoc ſtratagemate utitur; ita quoque idem in imperfectis & fictis feliciter tentat, ſcil. in rebus minutiſſimis, in entibus rationis, privationibus & negationibus, quibus tam argumentis quam

exemplis freti, in pleriſque inſtrumeutis logicis uſum analogicum peculiariter obſervabimus, quod conſilium noſtrum ſi quis improbet, Patronos advocabimus Juriſconſultos, qui ſingulari prudentia diſtinctione hac in *verè* vel *quaſi*, frequentiſſimè utuntur; ſic ingenium, tutelam legitimam, conſenſum, contractum, delictum, ſacrilegium, crimen læſæ Majeſtatæ, parricidium, libellum famoſum, ſcriptum, res divinas, uſumfructum, poſſeſſionem, dominium, aliaque plurima utiliſſimè ac ſubtiliſſimè in verè vel quaſi diſtribuunt. Algebra mathematica, magnifit ab omnibus ejus peritis, quod per quantitates fictas abſtractiſſimas cognoſcere doceat; quid ni itaque maximè fieret algebra logica ac metaphyſica, quæ ingenioſè fictis cogitationibus, ſumma quæ ab hominibus cognoſci poſſunt myſteria eruit?

11. *Uſus inſtrumentorum Logicorum incongruus eſt qui rei diſſerendæ vel diſſerentium ſtatui repugnat.*

Non deſunt philoſophi clariſſimi qui omnem de fallaciis doctrinam tanquam heterogeneam proſcribunt, verùm hunc nimium vigorem omnium diſciplinarum practicarum conſuetudo ipſaque recta ratio refutat: quis nimirum non cognoſcit ridiculam fore eam Theologiam quæ peccata, juriſprudentiam,

quæ

quæ delicta, Medicinam, quæ morbos, Ethicam, quæ vitia non definierit ac diſtribuerit, Sic videmus in fœcundiſſimo omnium bonarum legum ſeminario ac compendio, pleraque præcepta eſſe negativa. Præterea cùm Logica mentis morbos curare debeat, quomodo id præſtabit ſi eos ignorat? verum ſunt & alia quæ incongrui uſus tractationem ſuadent eſſe utiliſſimam; ſtratagematum ſcil. ſimiliumq; inventio atq; dijudicatio, ſed inquis, rectum eſt menſura ſui & obliqui. Quid tum poſtea? nihil igitur vel Euclides, vel Ramus de obliquis in Geometria tradere debuit? rectum eſt menſura obliqui: nimirum ſi inter ſe comparantur, quæ collatio cum & ultiſſima & difficillima ſit, intellectus regulis erit juvandus, idem artifex qui te docet poſitâ causâ proximâ conclude effectum, tibi quoque injungit negatâ causâ ſufficiente non concludas effectum. Sed negas in artibus deberé invenire locum axiomata negantia? Profectò iniquè, ut in uſu diſſentaneorum demonſtrabitur, nam ſi ita ſe res habet, cur in Geometrica hæc theoremata probas? Diagonius quadrati eſt aſymmeter rectus lineæ proportionaliter ſectæ, dataeque menſuræ rationalis ſegmenta ſunt & ad eam & inter ſe irrationalia. Diameter circuli quinquanguli circumſcripti rationalis eſt irrationalis ad latus inſcripti quinquanguli. Diagonius Icoſaedri eſt irrationalis ad latus. Hæc enim Theoremata

mata licèt verbis affirmantia eſſe videantur, ſenſu tamen quem potiſſimùm Logicus ſpectat, ſunt negantia.

12. *Uſus inſtrumentorum Logicorum incongruus eſt bonus vel malus: bonus eſt cum differentium ſtatus poſtulat, ut rei differendæ naturæ repugnet.*

Inauditam hanc primâque fronte duram uſus incongrui diſtinctionem, me Hiſtoricorum, Ethicorum, Politicorum, ipſiuſque S. Scrip. analyſis docuit, quam niſi admittas, nunquam honeſtas ſimulationes, laudata ſtratagemata & fructuoſas tentationes vel feliciter inveneris vel dextrè dijudicaveris, & quamvis origine cum fallaciis conveniant, modo tamen ac ſcopo quàm longiſſimè ab iis differunt: ſic nihil aliud ſunt ſtratagemata, quàm modi quibus hoſti perſuademus non finem eſſe finem, adjuncta propria eſſe communia, partes eſſe totum; & viciſſim; & ſic deinceps. Sic fructuoſæ tentationes proponunt propoſitiones conditionatas quaſi eſſent abſolutæ, per contraria, intendunt contraria, per minora, majora, verùm hæc alibi ſunt excutienda pleniùs; ſufficiat hic ea innuiſſe: quî autem fieri poſſit; ut alicujus ſtatus mereatur, ne ipſe diſſertationem rerum naturæ conſentaneam percipiat, Practici Philoſophi explicant.

Vſus

13. *Uſus inſtrumentorum Logicorum malus eſt, qui rei differendæ naturæ, & differentium ſtatui repugnat.*

Hic dicitur abuſus & fallacia, ſoletque ſpargi per univerſam Logicam: conſiſtit autem in confuſione τοῦ eſt & NON eſt, modorum & graduum, nimirum ſi id quod eſt, habeatur pro eo quod non eſt, & viciſſim, ſi genera inſtrumentorum quæ in diſtributionibus explicantur, confundantur, ut ſi cauſa partialis pro totali, ſubjectum commune pro proprio habeatur, ſi denique æqualia, majora, vel minora, non diſcernantur, adeoque vel in exceſſu peccetur, atque ut omnis congrua actio in univerſa vita humana ex recta inſtrumentorum Logicorum applicatione oritur, ſic omnes defectus Theologici, Juridici, Medici, Philoſophici ac Mechanici ad fallacias Logicas revocari poſſunt ac debent, quod ut feliciùs præſtare queas, revoca tibi in memoriam quod ſupra diximus, nimirum omnia præcepta Logica eſſe intelligenda theoreticè, practicè & poëticè.

14. *Uſus inſtrumentorum Logicorum ſimplex eſt, cùm unum inſtrumentum adhibetur, combinatus cum plura; qui poteſt eſſe infinitus.*

Combinatio aliorum inſtrumentorum Logicorum

eorum eſt homogenea vel heterogenea, illa eſt cum ejuſdem generis varia conjunguntur, ut combinatio cauſarum, effectorum, ſubjectorum, hæc eſt cum diverſi generis uniuntur, ut combinatio cauſarum, ſubjectorum, adjunctorum. Atque hic ſe prodit infinitæ meditationis abyſſus, quam ſi quis non credat, perpendat quomodo tot myriades hominum diſtinctos vultus habere queant, cum tamen omnes eaſdem partes, & quidem ſimiliter ſitas habent, ſi ex tam paucis partibus tanta varietas oriri poteſt, quantam putas ex tot terminorum diverſiſſimâ conjunctione orituram?

Caput III.

De Themate.

Præcepta.

Hactenus de inſtrumentis Logicę in genere; In ſpecie ſunt inventionis vel diſpoſitionis; illa ſimplicia, inconnexa & incomplexa vocantur.

Inſtrumenta inventionis ſunt, quæ inventionem mentis humanæ perficiunt.

Inventio (hîc) eſt mentis humanæ actio, quâ ſe receptis rerum imaginibus ſigillatim unit. In-

Inſtrumentum inventionis eſt Thema & Argumentum.

Thema eſt inſtrumentum Logicum ſimplex ſeu inventionis, quod mentem rei cogitandæ congruè unit & applicat.

Thematis perpendenda convenientia & differentia, adeoque & reductio.

Convenientia eſt ejus cum differentium ſtatu congruentia; hinc oritur thematum delectus.

Differens eſt proponens vel percipiens.

Proponens eſt, qui cogitationem ſignificat & exprimit, e. g. orator, concionator, præceptor.

Percipiens eſt qui cogitationem expreſſam recipit, ſeu percipit, ut auditor, diſcipulus.

Status differentium eſt internus vel externus.

Internus eſt interiorum facultatum intellectus, puta voluntatis, ac potentiæ executivæ diſpoſitio.

Externus eſt loci, temporis, ac occaſionis ratio.

Differentia Thematis eſt, qua ab aliis diſtinguitur: ea cognoſcitur reductione.

Reductio thematis eſt, qua cogitatur ad quænam principia pertineat, ſicque thematum modi & gradus cognoſcuntur.

Reductio thematis eſt prædicamentalis, ſyſtematica, vel ſpecialis. De his reductioni-

bus

bus earumque tabulis, item de thematum varietate, ſeu diviſionibus, in ſpeciali Logicâ erit agendum pleniùs.

REGULÆ.

1. *Inſtrumentorum Logicorum diviſio in inſtrumenta inventionis & diſpoſitionis, eſt omnium utiliſſima & accuratiſſima.*

Quamvis pleraſque de ejuſmodi quæſtionibus Logicæ diſputationes otioſas cenſeamus, tamen ne tam partium, quàm veritatis ſtudio dichotomiam trichotomiæ, quam Vir doctiſſimus, ac de ſtudio Logico præclariſſimè meritus, unicè commendat, prætuliſſe videamur, paucis eam confirmabimus, præſertim cum hæc res ſingularem univerſæ Logicæ lucem inferat: pendet autem univerſum negotium ab intellectionis cognitione, Agimus autem de intellectione humana hujus vitæ, eâque ordinariâ; extraordinariam enim ac futuræ vitæ cognitionem, cœleſti Logicæ remittimus: eſt autem intellectio humana, actio qua mens ſe rebus unit, ſpirituales ejus imagines recipiendo: eſtque ſimplex vel compoſita, ſeu inconnexa vel connexa. Intellectio ſimplex, quæ & apprehenſio ſimplicium dicitur, eſt quâ mens imagines recipit, iiſque ſeorſim ſe unit, ut

ut ſi cogitem,Deus, perfectus, ſapientiſſimus. Intellectio compoſita eſt qua mens imagines inter ſe confert, diſponit, earumque habitudinem percipit, ut cum cogito, Deus eſt perfectus & ſapientiſſimus, hæc cùm multa habent commnia, eaque ſcitu ultiſſima, imò neceſſaria, quæ æque propoſitionibus ac diſcurſui competunt, non video quare genere intermedio neglecto, protinus ad ſpecies diſparatas tranſilire debeamus. Sanè generalia generaliter, ſpecialia ſpecialiter tractanda ſunt. Satis autem patet quod noſtræ diviſionis Authores Inventionem pro ſimplici intellectione accipiunt, vel ſaltem accipere voluerint & potuerint. Quamvis autem hæc, dico, in uſu fermè ſint conjunctiſſima, præceptis tamen acurratè ſunt diſtinguenda: dico fermè, quia primæ cogitationes, ut themata vel argumenta ſeparatim apprehenduntur.

2. *Inſtrumenta inventionis ſunt radices ac ſemina inſtrumentorum diſpoſitionis.*

Nam ex ſimplicibus oriuntur vel cognoſcunter compoſita. Itaque ſi ſtudioſus Logicæ in promptu habeat inſtrumenta inventionis, facilia ipſi erunt inſtrumenta diſpoſitionis, ſi verò illis careat, fruſtra his incumbit; qualia enim & quanta quis ſcit ſimplicia, talia & tanta ſperet compoſita: hinc rectè à Kecker-

manno

manno vocantur termini ſimplices & incomplexi, quod ex iis complexi componantur & quaſi complicentur. Hujus regulæ neglectus tot, tantaque doctorum monſtra facit, ſolet enim juventus protinus graviſſimas diſciplinarum ſuperiorum diſputationes, illotis manibus aggredi: cùm ne decimam quidem ſimplicium terminorum partem didicerit. Quamvis autem hæc regula regiam ad ſolidam eruditionem viam monſtret, attamen in ſcholis ferè à mutis narratur ſurdis,

3. *Thema eſt inſtrumentum, ordine, dignitate, ac utilitate primum.*

Singula inſtrumenta Logica cuidam mentis morbo medentur; ſunt enim inventa ut aberrantem rationem erigant, corrigant, ac dirigant: quò autem graviori aliquod remedium occurrit morbo, eò eſt præſtantius.

Graviſſimus verò mentis morbus eſt *incogitantia*, quâ homo, vel ea quæ cogitare debebat, non cogitat: vel quæ cogitare non debeat, cogitat; vel ſi cogitando cogitet, id facit modo graduque indebito. Hic morbus ut eſt peſtilentiſſimus, ita curatu difficillimus.

Solet enim mens noſtra innatâ quâdam levitate in infinitum evagari: hinc primi peccati tàm angelici quàm hominis fons fuit incogitantia. Soletque à Scholaſticis dici Ignoran-

tia

tia Interpretativa: de quâ illud intelligendum: omnis error in voluntate ſupponit errorem in Intellectu, id eſt ſaltem incogitantiam: neque enim Angeli vel homines ex ignorantia, ſed ex incogitantia lapſi ſunt, quòd nimirum magis in ſui quàm in Dei glorificationem eſſent intenti. At quàm familiaris ac indomitus ſit hic defectus, ſtupenda in precibus mentis vagatio, tam ſanctiſſimos quoſque, quàm rudiſſimos docuerit. Jure igitur meritò ejus antidotum, nimirum thema, inſtrumentum ordine; dignitate ac utilitate primum diximus, licet à pleriſque Logicis, vel prorſus negligatur, vel obſcuriſſimè tantùm innuatur.

4. *Thema eſt Inſtrumentum ordine primum, quia mentem ad cogitandum primò excitat & applicat.*

In omni actione omnium primò neceſſaria eſt applicatio agentis ad patiens: cum enim omnis actio ſit communicatio, omnis autem communicatio præſupponat unionem: neceſſe eſt ut omnia agentia primò patientibus applicentur. Quare cum & cogitatio ſit inſignis quædam communicatio, quâ ſe cognitum cognoſcenti communicat, inſignis quoque requiritur conjunctio. Cùm autem non niſi in prorſus naturalibus, adeoque neceſſariis, itemque fortuitis cogitationibus objectum menti ſe inſinuet, neceſſe erit ut in deliberatis

mens

mens ad cognoſcendum quaſi accedat,vel objecto oblato occurrat, aut ſaltē illud expectet.

Illum tum conſideratum mentis ad rem cognoſcendum, motum, quem Philoſophi tendentiam in obſcurum pulchrè vocant, cum ſufficientem in re perpendendâ quietem diligens doctrinæ thematicæ ponderatio efficit. Quam inſigniter juvant quæſtiones, quâ mens ex ſeipsâ ſciſcitatur, quid cogitas? quid cogitare debebas? & ſic deinceps. Interrogatio enim nihil eſt aliud, quàm mentis ad propoſitum thema invitatio & applicatio. Unde ſummus quæſtionum tam in acroamatico, quàm in exoterico diſſerendi genere uſus facile colligitur: ut enim thema eſt omnis diſſertationis janua, ita quæſtiones ſunt Janitores.

5. *Thema eſt inſtrumentum dignitate primum: quia mentem mirificè exaltat.*

Eſt enim ſcopus & centrum reliquorum omnium: præterea tantæ eſt efficaciæ, ut mentis vires uniat, augeat, eamque in extaſin Platonicam, præclarum illud profundorum ingeniorum privilegium, rapiat: cujus tanta eſt vis,ut ipſe Sp. Sanctus eâ in ſanctis uſus fuerit. Virtus enim unita eſt fortior diſperſa. Quemadmodum enim radius Solis unitus ardeſcit,ſic mentis vires ſpeculo thematico concentratæ, ita augentur,ut craſſiſſimas tenebras illumi-

illuminent, ac graviſſima quæque obſtacula, comburant. Parit enim in meditante admirationem, amorem, lætitiam, à curis vacuitatem, alioſque affectus, quibus tanquam ignibus mens inflammatur, ut tanquam aliis ad altiſſima quęque ſacra provehatur, denique tanquam vinculis continetur, ne in varias partes diſtrahatur, ſed uni rei, uno tempore tota infigatur, hinc commoda mentis ad objectum cognoſcendum applicatio, ſummorum in Propheticis, Phyſicis, Mathematicis, Medicis aliiſque, Myſteriorum eſt clavis.

6. *Thema eſt inſtrumentum Utilitate primum: quia reliquorum omnium eſt promuſcondus.*

Thema nihil eſt aliud quàm omnium cogitationum efficaciſſimum ſemen, ob quam cauſam, Philoſophi cogitationes, ingenioſè conceptus appellarunt: Quod mens themate gravida illud effingat, expoliat, maturum denique pariat, ut meritò dicatur inſtrumentum Catholicum, quo primi & ſimpliciſſimi termini, item axiomatum omnium diſciplinarum fundamenta, ſolâ mentis applicatione cognoſcuntur: hinc quoque primorum terminorum penetratio oritur. Itaque thema eſt baſis & norma omnium reliquorum inſtrumentorum Logicorum.

7. *Con-*

7. Convenientia thematis eſt magnes, qui ſuaviſſimè & efficaciſſimè differentium animos ad ſe rapit.

Innato enim impetu intellectus in veritatem, voluntas in bonitatem, potentia executiva in rem poſſibilem fertur. Itaque ſi tui thematis cum his tribus, ſymphathiam, vel tuæ, vel alterius menti oſtenderis, ſine magno negotio eam ita præparaveris, ut veritatis radices inſtar potentiſſimi ſpecularis, accuratè recipiat, atque reflectat, quod artificium eſt fons omnium Exordiorum: non ſolùm autem conveniens eſt thema, quod res veras, bonas ac utiles approbat; verùm etiam quod res falſas, malas ac inutiles & impoſſibileś improbat: ſive id directè, ſive obliquè, ſive apertè, ſive obſcurè & occultè, ſive reſpectu omnium, ſive reſpectu quorundam hominum id fit. Neque enim ſufficit ut aliquid ſimpliciter ſit verum, bonum & poſſibile; ſed prætcrea requiritur ut ab eo ad quem differis veritas percipi, bonitas appeti, ac res poſſibilis produci queat, ac debeat. Ita ridiculus fuerit is, qui ruſticum Mercurii curſum docere, ſubdito regni ambitum ſuadere, ac pauperi regii palatii ędificationem vellet commendare. Hanc thematicam prudentiam acutiſſimè quidam Scholaſticorum voluit innuere, cum præcipit

cipit, ut quidquid eſt intelligibile, volibile, ac recolibile admittatur: quod autem non eſt intelligibile, volibile, ac recolibile, rejiciatur.

8. *Thematis delectus eſt quo thema congruentius præfertur, minus congruum ſeponitur.*

Thematis delectus accuratam loci & temporis rationem habet. His enim invitis qui diſſerit, ſibi ipſi ac rerum naturæ bellum induiſſe videtur. Atque ſic thematis convenientiam, quam meritò proportionis commentum dixeris, breviter delineavimus: Quæ etſi miram gratiam diſſertationi conciliet, imo etſi ſine eâ omnis cogitatio ſit inſulſa, videre tamen licet plurimos, quorum alii cœco quodam impetu in obvium quodq; thema ruunt, alii à ſua inſcitiâ coacti, non auditori, non loco, non tempori, ſed ignavæ ſuæ imperitiæ, Lectiones, Diſputationes, Orationes, Conciones, Conſilia, aliaque differendi genera accommodant. Quos non ſolùm recta ratio, verùm omnium Doctorum, Theologorum, Juriſconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, Practicorum, imò & prudentium ruſticorum uſus damnet; Nos cum his concludemus. Omne thema tam proponentium, quam percipientium, intellectui, voluntati, potentiæ executivæ, loco, tempori, adeoque & ſibi ipſi accuratè congruat.

9. Reductio thematis eſt baſis ac norma omnis ſolidæ deductionis.

Nam præſcribit meditationis, ut ita dicam, doſin. Cùm enim de quolibet themate, ut mox in argumento videbimus, infinita dici queant. Reductio abſcindit infinitatem, & quæ maximè ad rem faciunt oſtendit: hinc obſcuriſſima ac difficillima quæque aperit. Sic Theologus tum demum Prophetas intelligit, ſi ſciat de quo Themate, de quo loco theologico, quoque modo de eo agatur. Arithmeticus quęſtionem intricatiſſimam protinus expedierit, ſi ſciat ad quam regulam Arithmethicam pertineat. Ictus caſum ſine negotio dextrè definiverit, ſi animadvertat ad quodnam genus actionis referendus ſit: Morbi denique exacta cognitio eſt plus quàm dimidia ejus curatio: Verùm cum reductio thematum varietatem præſupponat, diligentiùs de eâ in Logicâ ſpeçiali agendum erit.

10. *Fallaciæ thematis ſunt periculoſiſſimæ, itaq; diligenter notandæ & cavẽdæ.*

Nam qui circa thema fallitur, ab ipſa diſſertationum janua aberrat. Oriuntur autem ut & reliquorum inſtrumentorum fallaciæ à confuſione *eſt* & *non eſt*; *modorum & graduum*. Hac enim ratione vel inſtrumentorum affectiones violantur, vel eorum diſtinctiones negliguntur. Itaque & The-

Thematis ſallaciæ ſunt tres, 1. cum id quod non eſt thema, vel non eſſe debet, vel non eſſe poteſt, habetur pro themate: aut viciſſim, e.g. ſi quis exiſtimet Prophetam agere de Antiocho, cùm agat de Turca: ſi quis putet agi de Eccleſia militante, cùm agatur de triumphante: vel viciſſim: ſic craſſiſſimà eſt fallacia thematis, audax Socini accommodatio, qua cum nullatenus ad loca Vet. Teſt. reſpondere poteſt, fingit Apoſtolos allegaſſe loca Vet. Teſt. præter ſcopum differentis, verbi gratia, quod Pſalmus dicit de ſummo (ut loquitur) Deo, id Paulum poſtea torquere ad Chriſtum. Sic abſurdus eſt ille Medicus qui putat ægrotum laborare hydrope, cùm laboret febri. Committitur autem hæc fallacia thematis, non ſolùm cùm generalis convenientia negligitur, ut cum manifeſtè ſtulta, inhoneſta vel impoſſibilia proponuntur; verum etiam cùm ſpecialis, puta ea, quæ eſt cum differentibus & circumſtantiis non obſervatur. Quod ex JCtorum doctrina de proceſſu judiciario, pulchrè diſci poteſt: Ubi varia de incompetentiâ judicis, perſonæ in judicio agentis, loci ac temporis inconvenientia, aliaque quæ huc pertinent, adferuntur. Hinc quoque fluit fallacia ἑτεροζητήσεως, ſeu alienæ quæſtionis & thematis. 2. cùm thematum modi confunduntur, ut ſi quis thema Theologicum, modo philoſophico vel cauſam Angli-

ca

cam juxta leges Romani Imperii tractare vellet ? ſic ſi Medicus eodem modo gravidam eamque infirmam ac foſſorem robuſtiſſimum tractet. Prout aliorum modi variè inter ſe diſcrepant, ita & fallacia variat. Sic non tam abſurdus eſt Judex, qui cauſam Naſſovicam, juxta jus municipale Haſſiacum decidit, quam is, qui juxta Hungaricum: huc pertinet μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, ſive tranſitus de genere in genus, quo diſciplinarum juriſdictiones confunduntur. 3. Cum thematum gradus confunduntur, verbi gratia, cum thema principale habetur pro minus principali, vel viciſſim: cùm cauſa publica in jure habetur pro privata: cùm febris lethalis habetur pro non lethali, & viciſſim: ſic primus Evæ error fuiſſe videtur quod ſui exaltationem pro majori, obedientiam erga Deum, pro minori themate habuerit, vel ſaltem circa ea ita ſe geſſerit, ac ſi pro talibus haberet. Utriuſque poſterioris fallaciæ combinatio eſſe poteſt fallacia πολυζητήσεως, ſeu plurimum interrogationum, quâ plures quæſtiones nec ſubordinatæ nec coordinatæ inter ſe conjunguntur: verbi gratia, Petrus & Papa ſuntne ſervi Chriſti? Eccleſia commendatne Scripturam, eamque facit authenticam? Joſephus & Scipio an fuerunt fideles & caſti? Atque hæc de inſtrumentis Logicis in genere, itemq; de Themate paulò fuſius explicavimus, quia ea & ultiſſima & à paucis pleniùs tractata videre-

videremus:quamvis ut verum fateamur,plurima notatu digna adhuc omiſerimus:in reliquis pro re natâ erimus breviores.

Caput IV.

De Argumentis in genere.

ARgumentum eſt inſtrumentum Logicum ſimplex, quod mentem rebus thema notificantibus congruè applicat.

A Keckermanno dicitur thema ſimplex extra ſeriem prædicamentalem : à Cicerone ac aliis, locus inventionis, unde ejus doctrina topica, ſi nimirum hæc vox generaliter ſumatur.

Argumentum conſideratur in genere vel ſpecie.

In genere videnda eſt ejus natura, quam communes affectiones & diviſiones docent, & uſus.

Argumenti communes affectiones ſunt relatio, nexus & immeatio.

Relatio eſt quâ thema & argumentum ſe mutuò reſpiciunt.

Nexus eſt relationis gradus, eſtque neceſſarius vel contingens.

Immeatio eſt relationum concurſus, ſeu quâ

quâ unum argumentum fert & non excludit alterum.

Communes diviſiones argumentorum quæ ſe immeant, ſunt quod argumenta. 1. ſint conſentanea vel diſſentanea. 2. neceſſaria vel contingentia: item adæquata vel inadæquata; naturalia vel moralia.

Argumenta conſentanea ſunt, quorum reſpectus eſt reſpectus convenientiæ. Diſſentanea verò quorum reſpectus eſt reſpectus diſconvenientiæ.

Argumenta neceſſaria ſunt quorum reſpectus eſt immutabilis. Contingentia quorum reſpectus eſt mutabilis.

Uſus argumentorum eſt vis, quâ themata poſſunt notificare.

Notificatio eſt ſimplex, eaque explicatio vel probatio: vel combinata ut amplificatio.

Explicatio eſt notificatio thematis prima, ſeu eſt notificatio obſcuris, probatio eſt notificatio dubii, ſeu eſt confirmatio explicationis. Amplificatio eſt notificatio varia, ſeu eſt explicationis vel probationis iteratio.

REGULÆ.

1. *Argumentum medetur ſecundo mentis humanæ morbo, nimirum* ignorantiæ.

Igno-

Ignorantia eſt quâ mens vel nihil ſcit, vel ſi quid ſcit, illud non argumenta adæquata ſunt quæ ſolùm inter ſe inadæquata ſcit, quæ cum aliis quoque habent reſpectum.

Argumenta naturalia ſunt quæ à naturâ; moralia quæ ab Entis Intelligentis inſtutione ſeſe ita reſpiciunt, ſcit modo & gradu convenienti. Hinc patet ejus & thematis diſcrimen: Thema applicat mentem rei cogitabili. Argumentum applicat rebus ut ita dicam cogitativis, quæ faciunt ut aliquid de re cogitanda cogitare poſſimus. Sic multi ſolliciti quæſiverunt tractus magnetici cauſam, adeoque themati ſe applicarunt, ſed nulla potuerunt invenire notificantia argumenta. Hoc ipſum quoque realis utriuſque definitio explicat & indicat. Definitur enim thema id de quo diſſeritur: argumentum verò id quo diſſeritur.

2. *Cum argumentum ſit Inſtrumentum, non tradet res ipſas, ſed modum eas inveniendi oſtendet.*

Hoc accuratè notandum eſt, ne nos ipſos decipiamus, omnemque inventionem à terminis Logicis ſperemus. Qui error in rebus incognitis manifeſtè deprehenditur: ſic inventionem tormentorum, typographiæ & acûs nauticæ, fruſtrà à ſola Logica expectaſſes. Sic ex ſolis præceptis Logicis, myſteriorum naturalium cognitionem infeliciter, teſte

 expe-

experientia, homines in ſcholis verſantes, ſibi pollicentur: ſic ridiculè tyróni injunxeris, ut de arcâ fœderis concionetur, qui nihil unquam de eâ audiverit vel legerit, vel alio modo cognoverit. Inſtrumenta enim Logica non ſunt ipſæ res, ſed ſunt artificioſi moduli quibus rerum imagines in mente formantur, vel inter ſe conformantur. Ergo ne inventionis Logicæ præceptis rerum ſcrutatores fruſtrantur? minimè, ſed te docent ut ſe tanquam indicibus & normis utaris, ſeque per univerſum mundum, cujus pictura eſt Encyclopædia, circumducas, ut rebus præcepta de ſe tradita applices, ex qua applicatione oritur cogitationum abyſſus. Hæc tamen infinitas thematis unitati repugnat, ſed cum ea ſuaviſſimè conſpirat: thema enim eſt centrum, argumentum, & res ſunt circumferentia. Sicut igitur peripheria fit converſione lineæ, altero termino quieſcente, altero lineante, ſic etiam hæc fit mentis circulatio: Et hoc vult illud Veterum præſertim Platonis ſecretum.

In uno videnda omnia & in omnibus unum. Unde à Philoſophis ingenia melancholica & cholerica pro præſtantiſſimis habentur: nam melancholia facit ut ſint fixa ſeu thematica; cholera ut ſint mobilia ſeu inventiva.

3. *Cum thema & argumentum ſint relata, nitetur omnis inventio* collatione.

Ob

Ob hanc relationem duo termini ſimplices à Logicis practicis vocantur argumenta: ut ſi quæram, pater eſt Deus, pater habet filium, quænam ſunt argumenta? ſunt autem relata, thema & argumentum, quatenus ſumuntur pro notionibus ſecundis, non autem, ſi ſumuntur pro notionibus primis ſeu exemplis: modò relatio ſumatur pro relatione prædicamentali, non pro tranſcendentali. Cæterùm cùm relata ſint oppoſita, quorum unum conſtat ex mutuâ alterius affectione, primò inter ea erit differentia, deinde aliqua concordantia. Ex hac concordantiâ fluit ſaltem aliqua omnium correlatorum argumentorum proportio, ſeu in generaliſſimis quibuſdam terminis convenientia: ſic rectè dico, privatio eſt habitui proportionalis. Deinde oritur ex argumentorum concordantia mutua, eorum notificatio, quâ non ſolùm thema arguitur ab argumento, ſed etiam argumentum poteſt argui à themate, quæ permutatio eſt inſignis. Obſervandum tamen eſt, quòd quidem res frequentiùs thematum quàm argumentorum vices ſuſtinere ſoleant. Illæ cum fiunt argumenta oritur uſus quidam profundior & quaſi irregularis. Sic regularis eſt cùm Theologus ex textu argumenta, Juriſconſultus ex cauſa ſententiam, Medicus ex morbo curam: Arithmeticus ex addendis ſummam, ex factoribus factum colligit. Irregularis verò cùm Theologus ex argumentis

tractatione eruit thema Propheticū. Juriſconſultus ex latâ ſententiâ cauſam, Medicus ex curâ morbum: Arithmeticus ex ſumma & altero addendo, addendum alterum, ex facto factores, qualis eſt extractio radicum. Atque hic uſus dominatur in ænigmaticis, typicis, hieroglyphicis, ſimilibuſque ſublimioribus diſſerendi modis. Ex his omnibus ſequitur, quòd argumentorum inventio nitatur *collatione*, quâ mens res inter ſe conferendo earum convenientiam venatur. Cùm enim argumenta ſe mutuò neceſſario reſpiciunt, neutrum quis poterit accuratè inſpicere niſi utrumque aſpexerit.

4. *Inter quæ argumenta eſt nexus arctior, ea ſe magis notificant.*

Inter omnes res, adeoque & terminos neceſſariò reſpectum quendam ſaltem tranſcendentalem dari non obſcurè ex iis quæ ſupra de rerum immeatione diximus, colligitur. Hinc etiam quælibet res poteſt arguere quamlibet: ſed non eodem modo & gradu: alia enim ſe ita reſpiciunt, ut ſe non poſſint non reſpicere, & inter hæc eſt nexus neceſſarius: alia autem ſe reſpiciunt ita ut ſe poſſint non reſpicere: Illa in diſſerendo ſunt præferenda his, quamvis nec hæc ſint negligenda, propinquiora enim ſe magis illuſtrant quam remotiora.

Im-

5. Immeatio argumentornm eſt clavis univerſæ Topicæ, nam ex ea oritur admirabilis argumentorum combinatio.

Immeatio argumentorum eſt, quâ una eademque res pro diverſo reſpectu poteſt induere plurimas argumentorum affectiones & quidem aliquando omnium: ſic Sol, poteſt eſſe cauſa, effectus, ſubjectum, adjectum. Hanc immeationem qui ignorat in omnibus diſciplinis cæcutit, maximè in Theologia, Matheſi, Symbioticis, Mechanicis: Ejus etiam neglectus parit omnes errores veritatem aliquam negantes, adeoque omnes hæreſes, myſteium aliquod fidei rejicientes. Hinc trita illa & nimis vulgaria; homo non eſt Deus: Major non æqualis: cauſa non eſt effectus, inſtrumentum non eſt cauſa principalis, & alia ſimilia, quæ omnia facili negotio immeationis gnarus explicat, ubi notatu dignum eſt Chriſtum eſſe illuſtriſſimum hujus immeationis exemplum. Cavendum tamen eſt, ne immeationis prætextu contradictoria ſeu planè *ἀσύστατα* incompoſſibilia conciliare conemur. Ex hac immeatione oritur non rarò argumentorum quoddam Cambium, quo unum alterius vices gerit, ejuſque characteriſticam notam aſſumit. Characteriſticas argumentorum notas vocamus eas voces quæ argumenta indi-

eare ſolent, ſic autem eſt character efficientis & materiæ, ·

6. Conſenſio & diſſenſio ſpargitur per univerſam Topicam.

Conſenſio, inquam, generaliter ſumpta non ſpecialiter, de qua paulò inferiùs. Sic conſenſio eſt artificialis vel inartificialis: prima vel orta: abſoluta vel comparata: eſt autem conſenſio amicus quidam & quaſi uniens argumentorum aſpectus. Diſſenſio autem inimicus & quaſi disjungens res: hinc conſentanea ſemper de ſe invicem affirmantur & diſſentanea ſemper de ſe invicem negantur, i.e. in propoſitione ſemper à ſe invicem disjunguntur.

7. Neceſſitas & contingentia vagatur per omnia argumentorum genera.

Sic cauſa, effectum, ſubjectum, conrrarium, pars &c. eſt neceſſaria vel contingens. Hinc Peripatetici doctrinam topicam vocant eam quæ de contingentibus, dicticam & apodicticam quæ de neceſſariis argumentis agit: eſt autem neceſſitas hîc reſpectus imutabilitatis, ſive is ſit ratione ſubſtantiæ reſpectus, ſive ratione modi., ſive ratione graduum, ſive ratione duorum ſimul, ſive denique ratione omnium trium. In ſpecialibus erit res clarior. Argumenta conſentanea neceſſaria ſunt, quorum unum alteri eſt eſſentiale, i. e. quorum unum

unum vel facit ad alterius eſſentiam, vel eam neceſſariò ſequitur, quia ſecus illa eſſentia eſſet falſa, mala, vel inutilis & ſtulta, horum itaque unum non poteſt eſſe ſine altero. Argumenta diſſentanea neceſſaria ſunt, quorum unum repugnat alterius eſſentiæ, adeoque quorum unum cum altero eſſe nequit. Argumenta conſentanea contingentia ſunt quorum unum alteri non eſt eſſentiale. Argumenta diſſentanea contingentia ſunt, quorum unum poteſt eſſe cum altero.

8. *Explicatio eſt baſis & norma probationis.*

Quò diſcrimen explicationis & probationis appareat, clarius repetenda quædam ſunt, ex natura intellectionis: Ea mentis atque imaginum ſeu ſpecierum intelligibilium eſt indoles, ut ſe mutuò illuſtrent. Thematis autem ſpecies eſt primaria, reliquæ ſpecies argumentorum ad ejus notificationem à mente deſtinantur, adeoque ſunt ſecundariæ. Jam iſtas ſpecies ſi mens inter ſe conferat, neceſſariò altera alteram reſpicit ac quaſi luce quadam perfundit, quia protinus eorum differentia ac convenientia menti conferenti apparet: quæ cognitio eſt quædam illuminatio: in illâ autem collatione mens duas ſpecies vel nudè componit, vel eas meditante tertiâ quaſi colligat: illa nuda compoſitio & explicatio; hæc eſt proba-

tio. Explicatio igitur nihil eſt aliud quam thematicæ ſpeciei evolutio, clarior expoſitio ac expreſſio, quâ ejus partes quaſi expanduntur & diſtinctius oſtenduntur, ſingula enim argumenta aliquam thematicæ ſpeciei partem indicant. Probatio autem eſt, cum duæ ſpecies vel minus diſtinctè, vel interjectâ aliquâ obſcuritate impedita ſe mutuò illuſtrare nequeunt. Itaque neceſſe eſt ut quædam ſpecies interponatur, ex cujus ad ſingulas extremas habitudine, extremorum habitudo colligatur. Quemadmodum dum quod lineis rectis videri nequit, duabus obliquis mediante ſpeculo videtur: Hinc patet quod explicatio ſit fundamentum probationis; niſi enim ſingulæ ſpecies inter ſe conferantur, media extremas illuminare nequit.

9. *Explicationem egregiè juvant quæſtiones ſimplices, themati affirmativè & negativè applicatæ.*

Quæſtiones autem hæ, ſunt quid, de quo, quare, quantum, quale, quando, ubi, quomodo, & cum quo: verbi gratia quid eſt motus Solis in ſe, in alio? quid habet in ſe, quid habet in alio; de quo, ſeu unde eſt motus Solis? quibus rebus prodeſt motus Solis? quibus partibus conſtat, & ſic deinceps: item quid non eſt, unde non eſt, ex quibus non eſt, quando non eſt motus Solis? Inſigniter autem augetur ipſarum vis

vis ſi dextrè iuter ſe combinentur: nimirum ſi primæ reſponſioni denuò applicentur reliquæ.

10. *Artificium probationis eſt quo fontis omnium canonum, demonſtrationum aperiuntur, moduſque inde eos deducendi oſtenditur.*

Nos hic probationis & demonſtrationis voces ſumimus promiſcuè: eſt autem hoc artificium uſu infinitum, nam ejus ope, non ſolùm canones, ab aliis inventos facillimè retinere, ac accuratè examinare: verùm etiam novos mirâ fœcunditate excogitare poſſum s: conabimur itaque illud ſequentibus reguli complecti.

11. *Artificium demonſtrationis eſt ſimplex vel combinatum.*

Utrumque continetur regulis partim generalibus, partim ſpecialibus: regulæ generales ſunt hæ, 1. Artificium demonſtrationis abſolvitur terminorum τȣ̃ eſt & non eſt, modorum & graduum ex unâ, itemque argumentorum Logicorum ex altera parte, congruâ collatione & combinatione, verbi gratia ſi eſt hoc, eſt & illud; ſi non eſt hoc, neque illud: ſi eſt hoc, non eſt illud: Si hoc eſt tale, etiam illud eſt tale: Si hoc non eſt tale, neque illud tale eſt: ſi hoc eſt tale, illud non eſt tale: ſi hoc eſt tantum, etiam illud eſt

tantum: ſi hoc non eſt tantum, neque illud tantum eſt: Si hoc tantum eſt, illud non eſt tantum: quomodo autem termini hi cum argumentis ſint complicandi mox patebit. 2. Congrua combinatio eſt quæ argumentorum Logicorum definitiones & diſtributiones obſervat: his itaque violatis, ſi futiles ac inutiles canones invenias, id non noſtris regulis, ſed tuæ incogitantiæ aſcribas. 3. Cùm argumenta alia ſint neceſſaria, alia contingentia, etiam canones demonſtrationis, alii erunt neceſſarii, alii contingentes. 4. Omnes canones ſunt intelligendi theoreticè, practicè & poëticè, verbi gratia, ſi totum eſt, ſunt partes: Si totum eſt debent eſſe partes: ſi totum eſt, poſſunt eſſe partes.

12. *Regulæ ſpeciales de artificio demonſtrationis ſimplici ſunt ſequentes.*

1. Si res aliqua eſt argumentum unum, non eſt ejuſdem correlatum argumentum, nimirum ſi ſit verè & univocè tale, ac ſervetur idem reſpectus, omnia enim relata; quà relata, ſunt oppoſita. Hinc rectè concludis: hæc res eſt illius rei efficiens. E. non eſt illius rei effectum: hæc res eſt illius rei totum. E. non eſt illius pars. 2. Si eſt conſentaneorum unum, erit quoque ejus correlatum, & viciſſim: Seu poſito conſentaneorum uno, ponitur & alterum: ſumitur autem hic conſenſio generaliſſimè

ſimè, verbi gratia, ſi eſt cauſa, eſt effectus, & viciſſim; ſi eſt ſubjectum, eſt adjunctum & viciſſim: ſi eſt par unum, etiam eſt par alterum: ſi non eſt conſentaneorum unum, neque erit correlatum alterum, v.g. ſi non eſt conjugatorum unum, neque erit conjugatorum alterum: ſi non ſunt partes, neque erit totum: ſi non eſt definitio, neque erit definitnm; ſi non eſt teſtis, neque teſtimonium erit.

Sequuntur Regulæ ſpeciales de modis & gradibus: de quibus tamen in genere nota duo quàm accuratiſſimè.

1. Eſſe adhibendos modos, gradusque communes intrinſecos, & rerum atque argumentorum diſcrimina obſervantes, non verò arripiendos oppoſitis argumentis proprios, extrinſecos vel argumentorum differentiam confundentes. Utraſque argumentorum definitiones perſpicuè docent. Hic operæ pretium fuerit metaphyſicas diſtinctiones percurrere, eaſque argumentis applicare. 2. Concludendos eſſe modos ac gradus, qui competunt argumeutis, quâ talia ſunt, non verò illos, qui illis ratione illius notionis cujus vi concluditur, ſunt extrinſeci & quaſi per accidens, e. g. Deus bonus eſt, E. ipſius creaturæ bonæ ſunt, nimirum quatenus tales ſunt.

Jam ſpecialiora ſubjungamus, quorum ſumma hæc eſt: Conſentanea ſibi ſunt proportionalia; E. quale eſt conſentaneum unum, tale

eſt

eſt & alterum: 2. quale non eſt unum, tale quoque non eſt alterum: 3. Quantum eſt conſentaneorum unum, tantum quoque eſt alterum. Solet frequenter hic modus variari, 1 Per poſitivum, comparativum & ſuperlativum: 2. Per majus, æquale & minus. 3. Per magnum, majus & maximum: 4. Per multum, plus & plurimum. 5. Per prius, ſimul & poſterius: 6. Quantum non eſt conſentaneorum unum, tantum quoque non eſt alterum. De diſſentaneis unicus canon eſt generalis: diſſentaneorum unum non eſt alterum: in quo etſi primus canon ſpecialis ſuprapoſitas lateret, ſpecialiter tamen erat applicandus.

13. *Artificium demonſtrationis combinatum eſt, quo præcedentes regulæ convenienter conjunguntur.*

Hoc ad ſpecialia maximè deſcendit, ideoque diligentiſſimè eſt exercendum, conjungit autem ſingulas regulas cum ſingulis, ideoque variis modis: Ut ſi eſt cauſa magna, erit effectus magnus: ſi cauſa ſupernaturalis & magna eſt prior, effectus quoque ſupernaturalis & magnus erit prior, & ſic deinceps.

14. *Amplificatio, cujus uſus eſt longè maximus, eſt homogenea, vel heterogenea.*

Amplificatio eſt quâ varias imagines ad unius

unius notificationem adhibemus: quæ non ſolùm utilis,ſed planè eſt neceſſaria: Vix enim una imago alteram perfectè illuminat. Poteſt autem amplificatio peti ex omnibus argumentis, ut in parte ſpeciali oſtendetur. Hic in genere obſervandum eſt, quod ſit homogenea vel heterogenea. Illa eſt cum argumenta ejuſdem generis combinantur; talis combinatio eſt genealogica, quæ cauſas; anatomia quæ partitiones accumulat: Heterogenea eſt cum varia argumenta conjunguntur. Ut cauſa cum effectis, ſubjectis, adjunctis,& ſic deinceps. Hæc eſt infinita, præſertim ſi non tantum binaria, ſed ternaria, quaternaria, aliuſque numeri inſtituatur. De ſpecialibus autem amplificationis modis, in iis argumentis ex quibus fluunt, quorumque cognitionem requirunt, ſpecialiter dicetur.

15. *Ex incongruâ præcedentium regularum uſurpatione oriuntur omnes fallaciæ demonſtrationis.*

Nimirum ſi τὸ eſt & non eſt, modi & gradus contra præcedentes regulas confundantur: Ut ſi à poſitione unius conſentanei ad alterius remotionem concludatur: vel ſi à cauſis non ſufficientibus neceſſariò inferatur effectus; Ut autem omnis varietas in canones Logicas, ſic omnes omnium diſciplinarum errores in fallacias Logicas ſunt reſolvendi, quæ analyſis plurimùm acuit ingenium. Cap.

CAPUT V.

De cauſa in genere.

ARgumentum in ſpecie eſt artificiale vel inartificiale.

Artificiale eſt quod habet vim inſitam notificandi thema.

eſtque vel	Primũ quod vim notificandi à ſemet ipſo habet.	ſimplex vel comparatũ
	Ortum.	

Simplex eſt, quod per ſe ipſum & ſolum thema notificat, eſtque vel conſentaneum vel diſſentaneum ſtricte dictum.

Conſentaneum ſtrictè dictum eſt argumentum ſimplex quod vi convenientiæ thema notificat: Argumentum conſentaneum conſideratur vel in genere, vel in ſpecie.

In genere videnda ejus affectio & communes diviſiones.

Communis affctio eſt proportio, communes diviſiones ſunt quod ſit. 1. Per ſe vel per accidens. 2. Adæquatum vel inadæquatum. 3. Principale vel minus principale,

In ſpecie conſentaneum eſt efficax vel nudum. Efficax conſenſio eſt quæ infert aliquam communicationem.

Conſentaneum efficax eſt vel primarium vel ſecundarium. Conſentanea primaria ſunt,

quorum

quorum unum facit ad alterius eſſentiam. Conſentaneum primarium eſt cauſa vel effe-ctum ſeu cauſatum.

Cauſa eſt Principium à cujus vi pendet cau-ſatum: pendere eſt factam eſſentiam ab alio accipere. Cauſari eſt factam eſſentiam aliis dare.

Cauſa conſideratur vel in genere vel in ſpecie.

In genere, quantum ad communes affectio-nes & diviſiones.

REGULÆ.

1. *Tabula Topica quæ eſt promuſcondus inventionis, nec nimis eſt arctanda nec nimis dilatanda.*

Tabula Topica eſt perfecta argumentorum ſeu locorum inventionis ſeries: hanc quilibet ſtudioſus Logicæ debet habere in promptu, danda autem eſt opera ut ſit perfecta, id eſt, nec defectu nec exceſſu laboret: defectu laborat, ſi quoddam argumentum omittat, exceſſu, ſi ea præter neceſſitatem multiplicat: ſic peccant in exceſſu, qui locos quos vocant Perſonales, e.g. Patriam, Genus, ſimiliaque conſtituunt locos inventionis: item illi qui ſpeciales Theologiæ, Philoſophiæ, aliarumque diſciplinarum diviſiones ſuis Logicis inferunt, quos ſcòpulos ſi

ſi quis vitare velit, & Metaphyſica principia & experientiam conſulat, certiſſima enim eſt Regula in quas notiones propoſitiones vel Syllogiſmi reſolvuntur, ea ſunt argumenta ſeu loca inventionis: hanc Regulam qui non obſervat non ſolum Logicę, ſed etiam ipſis rebus vim infert, ſic qui non admittit locũ antecedentium, is nunquam dextrè reſolvet hanc propoſitionem: nox præceſſit diem. Cæterum priores argumentorum diviſiones ex ſequentibus ſunt futuræ clariores: ad ultimas properabimus,

2. *Generalis argumentorum conſideratio plurimum facit ad accuratam ipſorum cognitionem & faciliorum uſum.*

Aureum eſt methodi præceptum, generalia generaliter, ſpecialia ſpecialiter tradantur, verum ejus praxis eſt difficillima, præſertim in generalibus, quæ ita ſe immeant atque inter ſe complicata ſunt, ut vix à ſe invicem diſcerni queant, etſi autem Lectori imò ne nobis quidem ipſis non ſatisfaciamus, præcipuas tamen diviſiones generales attingamus, quæ diſcentium intelligentiæ ac memoriæ inſigniter inſerviunt, earum enim beneficio ac applicatione diviſiones ſpeciales proprio marte invenient, atque ut à conſentaneis ſtrictè dictis (ſupra enim vidimus quod ſumantur generaliter vel ſpecialiter) initium faciamus.

Primò ſe offert proportio, quæ eſt argumentorum

torum conſentaneorum in generalibus quibuſdam terminis convenientia, quam ſingulorum definitiones ſpecialiter explicant, nam cum omnia conſentanea inter ſe conveniant, ſeu unita ac conjuncta ſint, unio autem non ſit omnimodo incongruentium ſeu non unibilium, neceſſe eſt ut in iis ſit aliquis reſponſus: hic reſponſus eſt fons omnium canonum demonſtrativorum de modo & gradu, & variat pro arctiori vel minus arcta argumentorum convenientia: videamus jam communes diviſiones. Primò conſentaneum argumentum eſt tale. Per ſe vel per accidens. Per ſe deſcribimus, quod intrinſecum quendam ordinem ad ſuum correlatum habet, per accidens quod merè eſt extrinſecum: hæc diviſio omnibus conſentaneis competit, niſi quod in fortuna peculiaris quædam occurrat difficultas, quæ ad ſuum effectum extrinſecum ordinem habere nequit, ſi tamen eam conferes cum materia, itemque intelligas formas analogicè dictas, locum poterit habere, ſic igitur cauſa & quidem efficiens, materia, finis, effectus, ſubjectum, objectum & ſic deinceps, eſt vel per ſe vel per accidens, deinde argumentum conſentaneum eſt adæquatum vel inadæquatum, Adæquatum eſt cujus reſpectus & convenientia tantùm inter ipſum & correlatū continetur, unde & reciproca ſunt. Inadæquatum cujus reſpectus & convenientia non tantùm continetur

intra

intra ipſum & correlatum, eſtque latius vel anguſtius, unde reciproca non ſunt, ſic efficiens, materia, forma, objectum, adjunctum eſt adæquatum vel inadæquatum. Tertiò, conſentaneum eſt.

Principale vel minus principale. Principale quod primariò à ſuo correlato reſpicitur. Minus principale quod ſecundariò: ſic cauſa impulſiva, inſtrumentalis, ſubjectum recipiens eſt principale vel minùs principale, ſed hæc omnia in ſpecialibus erunt clariora.

5. Varij conſenſionis modi ac gradus ad duo ſumma capita revocari poſſunt.

Cùm noſtra cognitio proficiſcatur à ſenſibus, fermè ſemper ſolet uti corporeis ad exprimenda incorporea, & ſpecialibus ad exprimenda generalia: idem & nobis hic erit factitandum. Argumentorum reſpectus eſt quaſi quidam eorum ſitus. Hinc alia ſunt conjuncta conſentanea; alia disjuncta diſſentanea; quæ conjuncta ſunt, vel ſunt continua, quæ, novâ quidem ſed neceſſariâ voce, vocamus conſentanea efficacia; vel contigua, quæ appellamus nuda; continua autem vel ita ſunt connexa ut à ſe invicem dependeant, ſicut annuli in catena, vel ut è latere quaſi addita ſint: illa dicuntur primaria, hæc ſecundaria: hanc varietatem conſentaneorum arbor genealogica illuſtrat, cauſa & effectum ſunt parentum & liberorum, ſub-

ſubjectum & adjunctum inſtar fratrum & ſororum, antecedentia, conſequentia & connexa inſtar affinium.

4. *Cùm cauſa ſit Principium, erit effectu, ordine, naturâ ac diſtinctâ cognitione prior.*

Quòd principium latius pateat quàm cauſa accuratè docet prima Philoſophia, nam ſi diligentem inſtituamus per diſciplinas inductionem, deprehendemus varia eſſe principia quæ vel ob perfectionem vel ob imperfectionem cauſæ dici nequeant: ſic niſi populariter & valdè analogicè Pater in divinis non dicitur cauſa filii; punctum eſt principium lineæ non cauſa, terminus à quo itineris eſt principium non cauſa. Principium autem eſt unde aliquid aliquid eſt; cùm inde aliquid ſit, neceſſe eſt ut ordine ſaltem prius ſit principium quàm principatum. Itaque & cauſa ordine erit prior cauſato. Sed cùm cauſa det eſſentiam effecto talem quæ non ſit ens à ſe, itemq; aliam à ſua eſſentia, neceſſariò ſequitur eam ordine naturæ eſſe priorem, quatenus nimirum in ſua natura abſolutè ſpectatur, non autem quatenus eſt relatum. Præterea cùm modus cognoſcendi accuratus ſequatur modum eſſendi, facile colligitur quòd perfecta rei cognitio fluat ex cognitione cauſæ, ſcil. ſi res cognoſcenda cauſam habeat: hinc illud vulgare, Scire eſt rem per cauſas cognoſcere.

5. *Ter-*

5. *Termini*, vis, pendere, effectus, *in cauſæ definitione poſiti, ſunt intelligendi generaliſſimè.*

Nam præcepta Logica debent omnibus diſciplinis eſſe communia, hic itaque per *vim* intelligendus eſt inflexus intrinſecus & extrinſecus, Phyſicus & Moralis, potentia & impotentia. Sic infirmitas ventriculi multorum morborum, peccatum originale multorum malorum cauſa dicitur; pendere ſub ſe complectitur exiſtere ſimpliciter vel ſecundum quid, id eſt, aliter atque aliter exiſtere, adeoque melius vel pejus exiſtere, fieri, non exiſtere, deficere. Denique effectus, idem eſt ac cauſatum ſeu res, intelligenda autem eſt res privativa & poſitiva, vera & ficta ſeu rationis, ens & modi entis, Quomodo autem privationes poſſint eſſe cauſæ & effecta, Metaphyſica ſubtiliùs perſequitur, & nos data occaſione attingemus.

6. *Cùm à vi cauſæ pendeat effectus, oportet ut cauſa habeat illam vim, formaliter, eminenter vel æquipollenter.*

Dare præſupponit habere, & vim exerere nequit quod nullam habet; habetur autem idem à diverſis, triplici modo, nimirum formaliter, id eſt planè modo eodem quo aliud id habet: ſic nummus Ungaricus unus habet valorem alterius, vel eminenter, id eſt, modo no-

nobiliori : ſic aureus habet valorem trium nummorum ; denique æquipollenter, id eſt, diverſo quidem modo, ſed eandem vim habente: ſic unus nummus Ungaricus habet valorem duorum Germanicorum : hinc nulla perfectio eſt in effectu quin ſit in cauſa, cauſam intellige vel adæquatam vel totalem, vel partiales omnes ſimul ſumptas: excellit autem in omnibus diſciplinis modus eminens: in Theoreticis, Creator habet perfectiones creaturarum, Spiritus poſſunt producere motus corporum, cœleſtia efficiunt diſpoſitiones ſublunarium, ut Sol calorem, vitam & alia; in practicis, ſic princeps vel ſuprema poteſtas in republica continet omnia privilegia ac perfectiones, eaſque diſpenſat, e. g. Baronem, Conſiliarium, Prætorem creat, cum ipſe Baro, Conſiliarius vel Prætor ſit: varia quoque conſectaria hinc fluunt in ſpecialibus diſciplinis. e. g. ſi nihil dat cauſa quod non habet, nihil poteſt eſſe nobilius in agendo quàm in eſſendo, unde res finita non poteſt producere effectum infinitum, i. e. creare, corpus non prodeſt producere effectum ſpiritualem : quod quiſquis non habet non poteſt in actu transferre, qui non habet poteſtatem non poteſt producere actu legitimum illi poteſtati proprium qui non habet voluntatem, ut infans, furioſus, ſervus, non poteſt inire contractum.

7. *Cum cauſa natura ſit prior effectu,*

hicque

hicque ab ejus vi quam habet, pendeat, nihil poterit eſſe cauſa ſui ipſius.

Nihil poſſe fieri à ſe ipſo clarè patet, eſſet enim quia vim haberet, & non eſſet, quia ſe faceret, ſicque eſſet antequàm eſſet, quod abſurdum. Atque hæc eſt prima baſis Theologię naturalis,& qua efficaciſſimè concluditur eſſe aliquod ens non factum ſeu independens, id eſt,eſſe Deum: facile quoque ex hoc canone colligitur quod cauſa univocè dicta non poſſit prædicari in quid de ſuo effectu niſi tropicè.

8. *Cum à vi cauſæ pendeat effectus, poſità vi,ponetur, negâta vi, negabitur effectus proportionalis.*

Ponetur inquam,vel negabitur effectus proportionalis, non qualiſcunque, nec quovis modo; ſi quis arguat hic eſt materia panis, E. & panis, malè concludit, nam à poſitione cauſæ inſufficientis ad poſitionem effecti non valet; quia proportio non obſervatur, ſed à poſitione cauſarum omnium in actu, effectus firmiter ponitur. Ex hoc canone oriuntur Prognoſtica, Symbiotica, Politica, Phyſica, Aſtrologica, Medica & Mechanica, quæ ex cauſis concludunt effectus, prout autem cauſæ ſunt efficaciores ac effectui propinquiores, eò & prædictio eſt arctior certior & verior.

9. *Cum à vi cauſæ pendeat effectus,*

qualis

qualis & quanta erit vis, talis & tantus erit effectus.

Intellige modos & gradus cauſarum & effectuorum definitionibus incluſos, non extrinſecos & alienos, fieri enim non poteſt, ut effectus quà talis non reſpondeat modis & gradibus ſuæ cauſæ, ſed àlios modos infert finalis, alios efficiens cauſa, alios naturalis, libera alios, alios principalis, alios inſtrumentalis, & ſic deinceps. Quo diſcrimine obſervato innumera hinc poteris deducere conſectaria, eo autem neglecto rerum naturam evertis: ſic rectè arguis, cauſæ veræ verus, falſæ falſus, bonæ bonus, malæ malus, perfectæ perfectus, imperfectæ imperfectus, indeterminatæ indeterminatus eſt effectus; item judicis ſupremi ſuprema, infirmi infirma, miniſterialis miniſterialis eſt deciſio: Itaque

10. *Cauſæ æqualis effectus eſt æqualis, majoris major, minoris minor.*

Hinc fluunt Principia Metaphyſica quę univerſam Matheſin pepererunt; ſi æqualibus addas æqualia, tota erunt æqualia. ſi inæqualibus addas inæqualia, tota ſeu effecta erunt inæqualia: idem innuit uſitatiſſimum àxioma; Cauſa eadem producit effectus eoſdem, cauſa ſc. eadem non ſolum eſſentiâ verum etiam modo & gradu, cauſa inquam eadem eodem modo

ſe habens, eodem autem modo ut ſe habeat requiritur eadem cùm interna ſeu abſoluta, tum externa ſeu reſpectiva modificatio: ſic cauſa libera eadem manens producit effectus diverſos, quia ſe aliter atque aliter determinat ac quaſi modificat: modificatio reſpectiva eſt certa cauſæ habitudo ad objectum, alias concauſas & circumſtantias loci & temporis: ſic idem Sol eodem modo intrinſecè ſe habens inenarrabilem rerum varietatem efficit ob objectorum aliorum, ſyderum concurſus, ſitus, præcedentium ac concomitantium diſpoſitionum varietatem; atque ex hac variâ reſpectuum combinatione mixta figuræ circularis oritur vis, tam in rerum concordantia, quam differentia producenda ac conſervanda: hic quoque ſe offert admirabile divinæ ſapientiæ myſterium, quo ex una ſimplici maſſa πολυποικίλε, imò univerſæ naturæ corporeæ exercitum ſuaviſſimè evocavit: hinc etiam omnis de virium intentione ac remiſſione, item de tractione doctrina proficiſcitur, ubi præclarum illud axioma diligentiſſime obſervandum eſt, Virtus unita fortior diſperſa: Sicuti autem eadem cauſa aliter ſe habens, poteſt producere effectus diverſos: ita non raró diverſæ cauſæ proportionaliter ad effectum & æquipollenter ad aliam ejus cauſam ſe habentes producunt effectum eundem: ſic non ſolum mus, verum etiam Sol, murem, aliaque imperfecta animalia

malia generat ; unde generatio univoca & æquivoca explicanda ; quam rerum compenſationem pulcherrimè docet Matheſis, dum oſtendit, quomodo idem numerus eademque figura à variis factoribus produci queat : ſic etiam 12.ex 1.& 11.2.& 10.3.& 9.additione: ex 2. & 6. 3. & 4. multiplicatione, confici poteſt.

Hanc proſtaphæreſin qui ingenioſè naturæ applicaverit, multa aliis ignota videbit. Ex quibus patet quod de effectus identitate vel diverſitate judicaturus debeat percurrere omnes cauſas tam principales quam minus principales, earumque habitudinem ac concurſum accuratè perpendere, atque hic eſt fons æquitatis, quæ variatis perſonarum, locorum, temporum, ſimiliumque circumſtantiis judicia variat: item ſpecialium diſciplinarum prudentiâ, quæ ſua conſilia rerum diſpoſitioni ac ſtatui accomodat, Medicus medicamenta, eorumque ordinem ac δόσιν, Juriſconſultus pro ratione circumſtantiarum ſententiam variat: denique hic canon cum ſexto conjunctus, eſt altera naturalis Theologiæ baſis, quâ à creaturarum perfectionibus ad Dei perfectionem aſcendimus. Sic Philoſophus ex effectibus, formarum animalium rationalium ac ſpirituum indolem inveſtigat.

11. *Cauſam in genere dividimus in ſolitariam,& cum aliis conjunctam. Solitaria eſt à cujus ſolius vi pendet effectus, ſeu quæ in cauſando ab aliis rebus eſt ſejuncta.*

Cum hi & paulo poſt ſequentes termini ſint reſpectivi pro varia relatione, varie & accipi poſſunt,& accipi ſolent, unde non exigua ſolet rerum ac doctrinæ confuſio oriri : nos itaque generali hac diviſione generaliter præmiſſâ, confuſioni huic ſaltem aliquantulum mederi conati fuimus. Solitaria autem cauſa hic intelligitur quæ in eodem cauſandi genere non habet ſibi conjunctas. e. g. in genere efficientis principalis,finalis, & ſic deinceps, nam ſi varia cauſandi genera intelliguntur, nulla erit ſolitaria, cum, ut mox videbimus, neceſſariò finis & efficiens ſint conjunctæ. Eſſe autem hanc diviſionem generalem, quamvis hactenus fermè ab omnibus ſoli efficienti accommodata fuerit, patet ex inductione: etenim efficiens principalis, impuſilva, inſtrumentalis, finalis, materia, denique forma, eſt vel ſola vel cum aliis ejuſdem generis conjuncta.

13. *Cauſa conjuncta eſt, inter quam & alias eſt ordo ad effectum,itaque cauſæ conjunctæ inter ſe non pugnant ſed conſpirant.* Con-

Conjunctio cauſarum nihil eſt aliud quàm earum ad certum effectum producendum unio; unde neceſſariò fluit virium communio, ex qua unione omnes Societates in regno naturæ, gratiæ ac gloriæ ſuam trahunt originem; ſic in Phyſicis ordinatiſſima occurrunt corporalium naturalium fœdera & quaſi collegia: ſic familia, ſchola, reſpublica ac Eccleſia eſt variarum perſonarum conventus ad eundem finem obtinendum inſtitutus; in quo etſi aliqua videatur occurrere diſcordia, nulla tamen revera eſt, modò Societas benè ſe habeat, ſed eſt occultior quædam ac remotior concordia adeoque concordia diſcors: ordo autem non ſolùm aliquam rerum unitatem, verum etiam varietatem poſtulat: craſſus itaque eſt illorum paralogiſmus, qui à poſitione unius ordinatæ cauſæ concludit ad remotionem alterius, e. g. Deus creat homines, ergo nec Sol nec Parentes eos producunt, literis incumbit ob Dei gloriam, ergo non ob animæ ſalutem: materia metallorum ſunt elementa, non ergo ſulphur & Mercurius: corporis humani forma eſt anima rationalis, non igitur forma mixti. Hinc apparet illos eſſe ſtultos qui cauſas ſe mutuò tollentes, vel ſaltem impedientes ad eundem effectum producendum conjungunt; niſi eo præditi ſint ingenio ut hâc cauſarum quaſi antiperiſtaſi earum vires augeant, de qua re infrà in cauſis per accidens plenius agemus.

13. *Quò*

13. *Quò major eſt inter cauſas conjunctas ordo & proportio, eò major eſt ipſarum virtus & efficacia.*

Ordo eſt unitas vel unio plurium, omnis autem congrua unio eſt unibilium ſeu proportionalium: ergo quò major eſt proportio ſeu unibilitas, eò arctior erit unio, & quo major eſt unio, eò major quoque eſt communio; unio enim eſt adæquata communionis cauſa: itaque quò major erit inter cauſas unio ſeu proportio, eò quoque communio & efficacia major. Aureum hoc axioma Matheſis, pulcherrimè docet, dum monſtrat quomodo beneficio proportionis ſæpius cauſæ majores producant effectus cum minoribus æquales, imò etiam minores, e. g. in numeris ex ſemel 9. fiunt 9. ex 2 & 8. 16. ex 3 & 7, 21, ex 4 & 6. 24. ex 5 & 5, 25. Hic omnes factores ſimul ſumpti ſunt inæquales. Sic in Geometria ex Iſopentahedris, homogeneis, ordinatius eſt majus; ſic fieri poteſt ut figuræ cujus perimeter eſt longè major perimetro, alterius area ſit longe minor, e. g. ſit oblongum longum 20. latum 2 pedes, perimeter eſt 4, area 40. ſic quadratum cujus latus 7 pedum, perimeter eſt 28. area 49.

14. *Ordo cauſarum conjunctarum eſt neceſſarius vel contingens.*

Ordo cauſarum neceſſarius eſt ſine quo effectus

fectus produci nequit, oriturque ex cauſarum quarundam imperfectione: ſic neceſſariò cauſa ſecunda ordinatur cum prima, ſic non rarò cauſa principalis indiget inſtrumentis. Ordo cauſarum contingens eſt ſine quo effectus quidem produci poteſt, congruum tamen eſt ut inſtituatur: ſic Deus poteſt omnia immediatè creare, quæ per cauſas ſecundas producit, ſed ut ſapientiæ & bonitatis ſuæ ſpecimen ſit illuſtrius ſolet plerunque vim agendi communicare creaturis: ſic princeps ſæpe utitur cauſis ſociis ac miniſtris, facilitatis, commoditatiſque gratiâ quibus carere poterat.

15. *Conjunctio ſeu ordo cauſarum eſt ſubordinatio vel coordinatio.*

Subordinatio eſt ordo cauſarum ſuperiorum & inferiorum: illæ ſubordinantes, hæ ſubordinatæ dicuntur: cauſa ſuperior eſt à qua alia cauſa in cauſando pendet, ſeu quæ in aliam vim cauſandi influit: cauſa inferior eſt quæ ab aliâ in cauſando pendet, ſeu quæ alius influxum recipit: hæc ſubordinatio eſt univerſi mundi vinculum, imò anima: ſic eſt catena cauſarum Theologicarum, Oeconomicarum, Scholaſt. Politic. Eccleſ. Mechan. & Philoſoph. quam Hoſeas ſcitiſſimè indicat Cap. 2. v. 22. Ego exaudiam cœlos & ipſi exaudient terram, terra exaudiet frumentum & muſtum & oleum, & iſta exaudient Iſraelem, Ex quibus

apparet

apparet quod in ordine binarium ſuperante, una eademque cauſa reſpectu ſuperiorum ſit ſubordinata, reſpectu inferiorum ſit ſubordinans; ſunt autem duo obſervanda de ſubordinatione, 1. Quòd ſubordinata quà talis non poſſit cauſari ſine influxu ſubordinantis, ſive illa ſubordinatio ſit neceſſaria ſive contingens, etſi enim in hac cauſa, ſubordinata ſine ſubordinante ſimpliciter agere queat, tamen non poteſt agere quà ſubordinata: ſic etſi Legatus poſſit aliquid agere ſua autoritate, hoc tamen non facit quà Legatus, ſed oportet ut il faciat ex mandato expreſſo vel implicito ſeu ſubintellecto, adeoque ſubordinatione legantis. 2. Quod cauſa ſubordinãs ſit cauſa effectus à ſubordinata producti, vulgò dicitur Cauſa cauſæ: Eſt etiam cauſa cauſati, ſcilicet quatenus ſubordinata manet in eodem cauſandi ordine: ſic Deus eſt cauſa tritici quia eſt cauſa terræ: ſic pater eſt cauſa intellectus filii, quia eſt cauſa animæ, ex qua intellectus emanat: ſed ſi ſubordinatæ aliquid præter, extra, ſupra vel contra ordinem agant, non eſt locus regulæ, quia nulla eſt ſubordinatio, non igitur eſt opus ut variis exceptionibus enervetur.

16. *Cauſæ ſubordinatæ inter ſe collatæ dividuntur in primas & non primas, cum effectu verò comparatæ in mediatas & immediatas.*

Cauſa prima eſt quæ à ſe ipſa vim habet

aliiſque vim cauſandi communicat: prout autem ſunt varia genera ordinum, ita quoque ſunt varia genera primarũ cauſarum. Cauſa non prima eſt quę vim cauſandi à prima accipit: malumus dicere cauſa non prima, qui Synechdochicè cum pleriſque, ſecunda, ut innuamus non primarum mirabilem combinationem, dantur enim non ſolum cauſæ ſecundæ, ſed tertiæ, quartæ, quintæ, &c. in Phyſicis & Symboticis, quin ſæpius ad quinquageſimam perveniatur paulò obſervaturo diligentiùs non erit dubium: ſic igitur ſunt cauſæ efficientes impulſivæ, inſtrumentales; materiæ: primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ & ſic porrò; Cum autem non primæ ſine primis cauſari nequeant, neque earum cauſalitas ſine primarum cognitione poterit diſtinctè intelligi; quare Logici officium eſt omnem non primarum cauſarum varietatem ad primæ unitatem reſolvere, idque gradatim, non præcipiti quodam ſaltu, nam ſaltus ille quo intermediæ cauſæ negliguntur, diſciplinarum confuſionem, atque in Phyſica illam de qualitatibus occultis deſperationem peperit; cum illæ non à ſimplicibus ſed à combinatiſſimis qualitatibus proficiſcantur. Cauſa mediata eſt, quæ per alias effectum attingit, & quò illæ ſunt plures vel pauciores, eò eſt remotior vel propinquior. Cauſa immediata eſt quæ proximè attingit effectum, unde & proxima dicitur, quò autem cauſa eſt propinquior, eò firmius ab ipſius poſi-

ſitione ad effecti poſitionem concluditur. Ideoque à poſitione cauſæ proximæ neceſſariò infertur effectus, jam enim omnes ad effectum neceſſariæ poſitæ ſunt: hinc ſcientiæ fons eſt, & ab effectu denominari ſolet.

Obſervanda hic eſt ſingularis quædam cauſæ primæ & immediatæ combinatio, quando nimirum tanta eſt primæ vis ac perfectio, ut & medietas cauſas & ipſum effectum proximè attingat: ſic etſi Deus ſit cauſa prima in omni bono ordine, tamen omnes quoque effectus immediatione ſuppoſiti ac virtutis attingit: itaque non ſolum eſt pii hominis, verùm & acuti Philoſophi in omni effectu bono ad Deum aſcendere: ordinatus enim per ſcalam cauſarum mentis aſcenſus & deſcenſus, omnis ſolidæ intelligentiæ eſt mater & clavis. Vocem *Concurrentium* hic ſtrictè accipimus, ita ut concurſum à præcurſu diſtinguamus, nobis enim concurrentes cauſæ ſunt quæ quidem ad eundem effectum ſunt ordinatæ, ita tamen, ut una in aliam non influat: ſic duo equi trahunt currum, uſitatè dicuntur cauſæ *Sociæ*, & ſolet coordinatio explicari in cauſa efficiente, quamvis in omnibus cauſarum generibus locum invenit: ſic ſunt coordinatæ impulſivæ, inſtrumenta materiæ; ſunt autem cauſæ coordinatæ pares vel impares: illæ æqualiter, hæ inæqualiter influunt in effectum, hinc oritur diſtinctio cauſæ in principalem & minus principalem,

palem, illa eſt quæ primariam vim offert, hæc quæ ſecundariam. Sic in Politicis ſunt fœdera vel æqualia vel inæqualia: ſic homo eſt illuſtriſſimum variarum ſubordinationum ac coordinationum ſpeculum: imprimis anatomici corporis œconomiam admirantur.

Atque hæc de cauſis generalia hac vice ſufficiant, quæ ut clariora ſint ſciendum eſt, cauſam ſolitariam plerunque ſumi pro cauſa efficiente, quæ nullas habet coordinatas, licet habeat ſubordinatas, unde & Totalis frequenter dicitur: unde illud, poſſunt eſſe plures cauſæ totales ſc. diverſi ordinis ſeu gradus, ejuſdē effectus; ſolet quoq; cauſa principalis accipi pro cauſa ſubordinante, minus principalis pro ſubordinata, ita ut hæc diviſio tam ſubordinatis quam coordinatis applicari queat: is autem his generalibus rectè utetur qui ea ſingulis cauſarum generibus & ſpecialibus ſubdiviſionibus prudenter applicuerit, ſic enim ultro ſe offerent variæ diviſiones ſpeciales notatu dignæ.

17. *Fallicia cauſæ in genere eſt triplex.*

1. Cum non cauſa habetur pro cauſa, ut cùm influxus cœleſtes habentur pro cauſa donorum ac operationum ſupernaturalium, 2. Cùm cauſarum modi ac genera confunduntur,

e. g. ſi cauſa prima habeatur pro cauſa ſecunda, vel viciſſim, ſubordinata pro coordinata, mediata pro immediata: ut ſi quis ſtatuat Deum pendere à quibuſdam cauſis prævifis; ſi quis legatum æquet leganti: ſi quis credat omnes operationes Phyſicas immediatè fluere à quatuor primis qualitatibus. 3. Cùm cauſarum gradus confunduntur. e. g. ſi quis putet, tantam eſſe vim Lunæ in inferiora quanta eſt Solis.

CAPUT VI.

De Fine.

CAuſæ in ſpecie conſiderantur abſolutè & per ſe; vel comparatè & inter ſe. Abſoſolutè in ſpecie cauſa eſt externa vel interna, Externa eſt quæ effectus eſſentiam dat, ſed eam non ingreditur: Eſtque finis vel efficiens.

Finis eſt cauſa cujus gratiâ res eſt. Ejus cauſalitas eſt efficientem ſui deſiderio movere, media ordinare ac effectum ultimò perficere.

Finis eſt vel { Subordinans eſt ad quam alius ordinatur. / Subordinatus eſt qui ab alio ordinatur. }

Subordinans qui Architectonicus dicitur: eſt

eſt talis, vel ſimpliciter, in omni cauſandi genere, ut Deus; vel ſecundum quid, ut bene metiri eſt ſummus finis Geometriæ: Deinde Finis eſt cujus vel cui. Finis cujus eſt perfectio obtinenda. Finis cui eſt, cui perfectio obtinetur, ille eſt cujus gratiâ, hic in cujus gratiam effectus eſt: ſic ſalus æterna eſt finis cujus hominis homo beatus eſt, finis cui ſalus æterna donatur.

Regulæ.

1. *Cauſa externa neceſſariò competit cuilibet effectui.*

Cum omnis effectus fiat, nihil autem à ſe ipſo fieri queat, oportet ut aliud quid ſit, quod ipſum faciat, id vocatur efficiens: cum autem omne factum ſit ens, omne verò ens ſit bonum, nullum autem bonum ſit fruſtra, effectus autem fruſtra eſſet niſi in ejus productione efficiens aliquid boni appeteret, ſequitur quòd omnis efficiens debeat reſpicere aliquid appetibile, id eſt finem; hinc hæ duæ cauſæ generales dici ſolent; quia omnibus effectibus, etiam maximè ſimplicibus ut Angelis, animabus rationalibus, materiæ primæ & formis conveniunt: finis itaque eſt primum movens in univerſo cauſarum genere, ſive ordine ac progreſſu. Ex hac externarum cauſarum deſcriptione apparet, quod licet eſſentiam dent effectui, tamen non dent

dent ſuam,ſed extra eam ſint,quamvis effectus in efficiente tanquam in ſubjecto eſſe queat ut effectus immanens.

2. *Cùm finis deſiderio ſui moveat efficientem, neceſſe eſt ut ſit bonus, utque ejus bonitas ab efficiente cognoſcatur.*

Nam omne appetibile bonum eſt, & malum quà malum appeti nequit: eſt autem finis vel revera bonus, vel ſaltem efficienti bonus videtur, nihil autem ſui deſiderium excitare poteſt, niſi cognoſcatur, unde illud, ignoti nullà cupido: hinc oritur duplex finis conſideratio, finis nimirum in intentione, & executione: finis in intentione dicitur, quatenus eſt appetibilis, & quidem eo modo ac gradu ab efficiente cognoſcibitur, quæ apprehenſio licet ſit ad finis cauſalitatem neceſſariam, non tamen in ea conſiſtit finis vis; ſed finis movet efficientem ſecundum eſſe reale, non quidẽ acquiſitum, ſed poſſibile, acquiſito enim fine ceſſat omnis operatio ad eum deſtinata: quod vero de efficientis cognitione diximus, illud præcipuè de efficiente principali eſt intelligendum, neque enim requiritur ut ſubordinatæ & inſtrumentales cauſæ finem ſemper cognoſcant: ſic calamus, ſagitta, ſecuris, finem non percipiunt: ſic in rerum naturâ, inanimata omni cognoſcendi facultate carent, ſed prima cauſa ea otdinat, atque hæc à quibuſdam propter finem eſſe, ſed non agere dicuntur,

3. *Cum*

3. *Cum finis ordinet media, certum eorum modum gradumque præſcribet.*

Media ſunt quæ ducunt ad finem, adeoque quæ ab eo ordinantur. Hinc ſolet dici quòd finis mediis omnem amabilitatem, ordinem ac menſuram conciliet: itaque ſi eſt finis, erunt quoque media, & viciſſim, ſi nullus eſt finis, neque media debent eſſe, & reciprocè: item qualis & quantus eſt finis, talia & tanta oportet ſint media, i. e. ut media fini ſint proportionalia; hinc etſi finis bonus ſit, media verò mala mala eſt & abſurda actio, quia ſibi ipſi repugnat: e. g. ſi quis furetur ut Eleemoſinam det, fur eſt, ſi quis regem de medio tollat ut Eccleſiæ proſit, nihil niſi parracida eſt, non enim ſunt facienda mala ut eveniant bona; mala tamen aliquando permitti poſſunt ut eveniant bona: ſic Deus permittit peccata, ut varia bona exiſtant, ſic poſſum bona conſcientia permittere juramentum per falſos Deos, proditionem hoſtis, uſuram iniquam, ad meæ ſalutis conſervationem: Sed hæc res eſt altioris indaginis, & in cauſis per accidens denuò attingetur: cæterùm ſi media debent eſſe proportionalia fini, oportet ut & ſibi ipſis ſint proportionalia: quæ enim in uno & tertio conveniunt, inter ſe convenire debent. Stulti igitur ſunt illi qui media verè contraria adhibent: dico verè contraria, nam in ſtratagematibus,

tibus, aliiſque ingenjoſioribus actionibus ſæpe adhibentur media in ſpeciem quidem fini contraria, ſed revera ei congruentiſſima: ſic prudens Imperator fugam ſimulat, quò victoriâ potiatur. Cùm autem finis mediis, amorem ac ordinem conciliet, ipſe quoque amabilis ac ordinatus eſſe debet, quod Apoſtolus Paulus profundiſſimè docet, Cor. 14. 40. πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. Hinc finis diſtinguit actiones, ita quidem ut ſi quis actiones vel indifferentes vel per ſe optimas ſtulto, malo, vel inepto fine inſtituat, ipſæ quoque ſtultę, malæ ac ineptæ eſſe ſentiantur. Ubi notatu digniſſima eſt diverſorum imò & contrariorum finium in eadem actione combinatio, ex qua oritur ut eadem actio hujus agentis reſpectu bona, illius verò mala ſit, ut cum alii duces ejuſdem exercitus, innocentium liberationem, alii eorundem oppreſſionem intendunt; ſic Deus ſanctiſſimo conſilio, fratres verò Joſephi ſceleratiſſimo, ejus venditionem procurabant: à finis itaque conſideratione, mediorum electio ac delectus pendet, quo media fini congruentiora incongruentioribus præferuntur.

4. *Cum omnes fines ſubordinati ordinentur ad ſubordinantem, erit finis in intentione, executione primus intimus.*

In conſiliis ac deliberationibus diligenter eſt diſcernendus ordo efficientium, ab ordine cau-
ſarum

ſarum finalium, hic enim eſt retrogradus reſpectu illiusſ, nam cùm acquiſito fine media ceſſant; ſi finis ſummus primò obtineretur, reliqui fruſtra intenderentur. Itaque certiſſimum eſt axioma: Primum in intentione ſapientis agentis eſt ultimum in executione, quod clariſſimum Principium eſt nex omnium præviſorum, i. e. illorum qui fingunt Deum ad hominum merita, fidem vel diſpoſitiones quaſdam, ita in ſuis decretis reſpexiſſe, ut ea ab illis ſuſpenderit. Nam ſi bonas, ut loquuntur, diſpoſitiones in homine prævidit, vel prævidit eas, ut à ſe efficiendas, vel ut à ſe independentes: non hoc modo, quia abſurdum eſt bonas imò nobiliſſimas creaturarum actiones non dependere ab efficientia Dei: ſi autem eas prævidit ut à ſe efficiendas, utique antequam decerneret eas efficere, jam earum finem prçconceperat, ſecus fruſtra, nulloq; fine eas efficere decreviſſet, quod de Sapientiſſima natura, vel cogitare nefas eſt: Ex ſubordinatione finium oritur harmonia practica, adeoque cùm unus ſit finis ſummus ac generaliſſimus, omnium in mundo inter ſe erunt ordinata, quamvis confuſiſſima videantur.

5. *Finis cui, eſt perfectionis vel indigentiæ.*

Diſtinctio finis in finem cui & cujus, inſignem habet uſum in practicis, omnia enim tandem

tandem reſolvuntur in finem cui;is autem duplex eſt perfectionis,qui nullam ex mediis perfectionum acquirit,ſed illis perfectionem conciliet: ſic Deus eſt finis perſectionis reſpectu omnium creaturarum. Simile quid reperitur in principe, qui legatū conſtituit, non tantùm ut ipſi inſerviat: ſed etiam ut honore eum afficiat; finis indigentiæ eſt qui per media aliquam perfectionem acquirit, ſeu cui media perfectionem communicant: ſic homo eſt finis rerum variarum, quia earum ope indiget ut ſit vel bene ſit,reliquas finis diviſiones facile invenies ſi ipſi generalia applicueris.

6. *Fallacia finis eſt triplex.*

1. Cùm non finis pro fine ponitur, ut Deus eſt omniſcius. E. fruſtra invocatur. 2. Cùm finium modi confunduntur, ut gloria Dei eſt ſummus omnium finis, non ergo Deus, Salus republicæ eſt principis finis: non ergo gloria Dei. 3. Cùm finium gradus confunduntur, ut ſi quis utilitatem publicam poſtponat privatæ.

CAP.

CAPUT VII.

De Cauſa efficiente.

Cauſa efficiens eſt à qua effectum eſt: ejus cauſalitas conſiſtit in actione, per excellentiam ſic dicta, quâ immaterialibus ſimpliciter dat eſſentiam, materialibus verò eam communicat congruè diſponendo, materiam, formamque introducendo; ſolet dividi tribus modis.

1. Eſt procreans, conſervans vel corrumpens: illa eſt quæ facit rem eſſe vel bene eſſe, ut parentes procreant infantem. Iſta, quæ rem facit porrò eſſe vel bene eſſe, ut nitrix alit infantem, hæc quæ rem facit non eſſe vel male eſſe; ut morbus tollit infantem.

2. Eſt principalis vel minus principalis: illa eſt à cujus vi primariò, hæc à cujus vi ſecundariò, pendet effectus: principalis eſt ſolitaria vel ſocia: illa eſt quæ ſola rem efficit, ut ſolus Deus creat: hæc quæ cum alia rem efficit: ſic duo confœderati unà gerunt bellum. Efficiens minus principalis eſt impulſiva vel inſtrumentalis. Impulſiva eſt quæ ſuâ exiſtentiâ principalem movet ad agendum: eſt vel interna vel externa; Interna, προηγουμένη, eſt certa diſpoſitio agentis, ut temperamentum corporis eſt cauſa certorum effectuum. Externa,

na, προκαταρκτική, certa diſpoſitio rerum ab agente diverſarum, præcipuè objecti: Sic cauſa eſt rei amabilitas.

Inſtrumentalis eſt quam principalis ſibi ſubordinat, & ad agendum applicat ſeu movet: ſic circinus eſt inſtrumentum Geometriæ, circulum deſcribentis. Eſtque internum, cum principali internè conjunctum, ut manus. Vel externum ab eo ſejunctum, ut gladius. Ad inſtrumentum internum cauſæ intelligentis pertinet cauſa exemplaris quæ eſt idea ſeu exemplar futuri operis.

3. Eſt vel per ſe vel per accidens. Per ſe eſt quæ ſuâ vi efficit, eſtque vel naturalis vel libera, naturalis eſt quæ ad actionem actioniſque modum ac gradum à natura eſt determinata: ſic ignis urit, Sol lucet, ventriculus cibos digerit: Libera eſt, quæ prævia indifferenti intellectione ſe ipſam ad actionem actioniſque modum ac gradum determinat: ſic Deus facit extra ſe quod vult, homo agit cùm vult. Cauſa per accidens eſt, quæ non ſuâ ſed alienâ ſcilicet rei conjunctę vi efficit: eſt talis vel ratione naturæ vel voluntatis; ratione naturæ eſt vel præter naturam, vocaturque caſus, ut puer cùm naſcitur ſex digitis; vel contra naturam ſcilicet particularem, ut motus corporis violentus. Efficiens per accidens ratione voluntatis agit vel præter voluntatem, ex ignorantiâ ſeu imprudentiâ; cùm neſcit quid vel quale efficiat; vel contra

volun-

tatem ſcilicet coactè, ut Eliſæus cogebatur veſci ſuillâ.

REGULÆ.

1. *Cùm efficiens effectui communicet eſſentiam, requiritur interna unio ſeu contactus, vel eſſentialis vel ſaltem virtualis.*

Etſi inter omnes cauſas & effectum requiratur unio, illuſtrior tamen eſt efficientis, quia unio finis eſt intentionalis, cauſæ internæ ingrediuntur eſſentiam, at efficiens eſt extra eſſentiam effecti, contactus autem eſſentialis eſt cùm efficiens & effectus ſunt ſimul, ut cùm ignis urit corpus ſibi injectum, angelus movet corpus aſſumptum. Contactus tantùm virtualis eſt, cum licet cauſæ eſſentia ab effectu diſtet, tamen ejus virtus eum attingit, ut cùm ignis urit corpus diſtans, angelus movet corpus ab ipſo disjunctum, Sol illuminat terram; hinc oritur Sphæra activitatis, i. e. tertii termini quouſque virtus alicujus rei ſe exerere queat, hunc virtualem rerum contactum qui in Phyſicis practicis, in primis ſpiritualibus non obſervat, miſerè cæcutit.

2. *Efficientis in procreantem, conſervantem ac corrumpentem diſtinctionis uſus eſt ampliſſimus.* Quam-

apparet quod in ordine binarium ſuperante, una eademque cauſa reſpectu ſuperiorum ſit ſubordinata, reſpectu inferiorum ſit ſubordinans; ſunt autem duo obſervanda de ſubordinatione, 1. Quòd ſubordinata quà talis non poſſit cauſari ſine influxu ſubordinantis, ſive illa ſubordinatio ſit neceſſaria ſive contingens, etſi enim in hac cauſa, ſubordinata ſine ſubordinante ſimpliciter agere queat, tamen non poteſt agere quà ſubordinata: ſic etſi Legatus poſſit aliquid agere ſua autoritate, hoc tamen non facit quà Legatus, ſed oportet ut id faciat ex mandato expreſſo vel implicito ſeu ſubintellecto, adeoque ſubordinatione legantis. 2. Quod cauſa ſubordinās ſit cauſa effectus à ſubordinata producti, vulgò dicitur Cauſa cauſæ: Eſt etiam cauſa cauſati, ſcilicet quatenus ſubordinata manet in eodem cauſandi ordine: ſic Deus eſt cauſa tritici quia eſt cauſæ terræ: ſic pater eſt cauſa intellectus filii, quia eſt cauſa animæ, ex qua intellectus emanat: ſed ſi ſubordinatæ aliquid præter, extra, ſupra vel contra ordinem agant, non eſt locus regulæ, quia nulla eſt ſubordinatio, non igitur eſt opus ut variis exceptionibus enervetur.

16. *Cauſæ ſubordinatæ inter ſe collatæ dividuntur in primas & non primas, cum effectu verò comparatæ in mediatas & immediatas.*

Cauſa prima eſt quæ à ſe ipſa vim habet

aliiſque vim cauſandi communicat: prout autem ſunt varia genera ordinum, ita quoque ſunt varia genera primarũ cauſarum. Cauſa non prima eſt quę vim cauſandi à prima accipit: malumus dicere cauſa non prima, qui Synechdochicè cum pleriſque, ſecunda, ut innuamus non primarum mirabilem combinationem, dantur enim non ſolum cauſæ ſecundæ, ſed tertiæ, quartæ, quintæ, &c. in Phyſicis & Symboticis, quin ſæpius ad quinquageſimam perveniatur paulò obſervaturo diligentiùs non erit dubium: ſic igitur ſunt cauſæ efficientes impulſivæ, inſtrumentales; materiæ, primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ & ſic porrò; Cum autem non primæ ſine primis cauſari nequeant, neque earum cauſalitas ſine primarum cognitione poterit diſtinctè intelligi; quare Logici officium eſt omnem non primarum cauſarum varietatem ad primæ unitatem reſolvere, idque gradatim, non præcipiti quodam ſaltu, nam ſaltus ille quo intermediæ cauſæ negliguntur, diſciplinarum confuſionem, atque in Phyſica illam de qualitatibus occultis deſperationem peperit; cum illæ non à ſimplicibus ſed à combinatiſſimis qualitatibus proficiſcantur. Cauſa mediata eſt, quæ per alias effectum attingit, & quò illæ ſunt plures vel pauciores, eò eſt remotior vel propinquior. Cauſa immediata eſt quæ proximè attingit effectum, unde & proxima dicitur, quò autem cauſa eſt propinquior, eò firmius ab ipſius poſi-

ſitione ad effecti poſitionem concluditur. Ideoque à poſitione cauſæ proximæ neceſſariò infertur effectus, jam enim omnes ad effectum neceſſariæ poſitæ ſunt: hinc ſcientiæ fons eſt, & ab effectu denominari ſolet.

Obſervanda hic eſt ſingularis quædam cauſæ primæ & immediatæ combinatio, quando nimirum tanta eſt primæ vis ac perfectio, ut & medietas cauſas & ipſum effectum proximè attingat: ſic etſi Deus ſit cauſa prima in omni bono ordine, tamen omnes quoque effectus immediatione ſuppoſiti ac virtutis attingit: itaque non ſolum eſt pii hominis, verùm & acuti Philoſophi in omni effectu bono ad Deum aſcendere: ordinatus enim per ſcalam cauſarum mentis aſcenſus & deſcenſus, omnis ſolidæ intelligentiæ eſt mater & clavis. Vocem *Concurrentium* hic ſtrictè accipimus, ita ut concurſum à præcurſu diſtinguamus, nobis enim concurrentes cauſæ ſunt quæ quidem ad eundem effectum ſunt ordinatæ, ita tamen, ut una in aliam non influat: ſic duo equi trahunt currum, uſitatè dicuntur cauſæ *Sociæ*, & ſolet coordinatio explicari in cauſa efficiente, quamvis in omnibus cauſarum generibus locum invenit: ſic ſunt coordinatæ impulſivæ, inſtrumenta materiæ; ſunt autem cauſæ coordinatæ pares vel impares: illæ æqualiter, hæ inæqualiter influunt in effectum, hinc oritur diſtinctio cauſæ in principalem & minus principalem,

palem, illa eſt quæ primariam vim offert, hæc quæ ſecundariam. Sic in Politicis ſunt fœdera vel æqualia vel inæqualia: ſic homo eſt illuſtriſſimum variarum ſubordinationum ac coordinationum ſpeculum: imprimis anatomici corporis œconomiam admirantur.

Atque hæc de cauſis generalia hac vice ſufficiant, quæ ut clariora ſint ſciendum eſt, cauſam ſolitariam plerunque ſumi pro cauſa efficiente, quæ nullas habet coordinatas, licet habeat ſubordinatas, unde & Totalis frequenter dicitur: unde illud, poſſunt eſſe plures cauſæ totales ſc. diverſi ordinis ſeu gradus, ejuſdẽ effectus; ſolet quoq; cauſa principalis accipi pro cauſa ſubordinante, minus principalis pro ſubordinata, ita ut hæc diviſio tam ſubordinatis quam coordinatis applicari queat: is autem his generalibus rectè utetur qui ea ſingulis cauſarum generibus & ſpecialibus ſubdiviſionibus prudenter applicuerit, ſic enim ultro ſe offerent variæ diviſiones ſpeciales notatu dignæ.

17. *Fallacia cauſæ in genere eſt triplex.*

1. Cum non cauſa habetur pro cauſa, ut cùm influxus cœleſtes habentur pro cauſa donorum ac operationum ſupernaturalium, 2. Cùm cauſarum modi ac genera confunduntur,

e. g. ſi cauſa prima habeatur pro cauſa ſecunda, vel viciſſim, ſubordinata pro coordinata, mediata pro immediata: ut ſi quis ſtatuat Deum pendere à quibuſdam cauſis prævіſis; ſi quis legatum æquet leganti: ſi quis credat omnes operationes Phyſicas immediatè fluere à quatuor primis qualitatibus. 3. Cùm cauſarum gradus confunduntur. e. g. ſi quis putet, tantam eſſe vim Lunæ in inferiora quanta eſt Solis.

Caput VI.

De Fine.

Cauſæ in ſpecie conſiderantur abſolutè & per ſe; vel comparatè & inter ſe. Abſolutè in ſpecie cauſa eſt externa vel interna, Externa eſt quæ effectus eſſentiam dat, ſed eam non ingreditur: Eſtque finis vel efficiens.

Finis eſt cauſa cujus gratiâ res eſt. Ejus cauſalitas eſt efficientem ſui deſiderio movere, media ordinare ac effectum ultimò perficere.

Finis eſt vel
- Subordinans eſt ad quam alius ordinatur.
- Subordinatus eſt qui ab alio ordinatur.

Subordinans qui Architectonicus dicitur: eſt

eſt talis, vel ſimpliciter, in omni cauſandi genere, ut Deus; vel ſecundum quid, ut bene metiri eſt ſummus finis Geometriæ: Deinde Finis eſt cujus vel cui. Finis cujus eſt perfectio obtinenda. Finis cui eſt, cui perfectio obtinetur, ille eſt cujus gratiâ, hic in cujus gratiam effectus eſt: ſic ſalus æterna eſt finis cujus hominis homo beatus eſt, finis cui ſalus æterna donatur.

REGULÆ.

1. *Cauſa externa neceſſariò competit cuilibet effectui.*

Cum omnis effectus fiat, nihil autem à ſe ipſo fieri queat, oportet ut aliud quid ſit, quod ipſum faciat, id vocatur efficiens: cum autem omne factum ſit ens, omne verò ens ſit bonum, nullum autem bonum ſit fruſtra, effectus autem fruſtra eſſet niſi in ejus productione efficiens aliquid boni appeteret, ſequitur quòd omnis efficiens debeat reſpicere aliquid appetibile, id eſt finem; hinc hæ duæ cauſæ generales dici ſolent; quia omnibus effectibus, etiam maximè ſimplicibus ut Angelis, animabus rationalibus, materiæ primæ & formis conveniunt: finis itaque eſt primum movens in univerſo cauſarum genere, ſive ordine ac progreſſu. Ex hac externarum cauſarum deſcriptione apparet, quod licet eſſentiam dent effectui, tamen non

dent

dent ſuam,ſed extra eam ſint,quamvis effectus in efficiente tanquam in ſubjecto eſſe queat ut effectus immanens.

2. *Cùm finis deſiderio ſui moveat efficientem, neceſſe eſt ut ſit bonus,utque ejus bonitas ab efficiente cognoſcatur.*

Nam omne appetibile bonum eſt,& malum quà malum appeti nequit: eſt autem finis vel revera bonus, vel ſaltem efficienti bonus videtur,nihil autem ſui deſiderium excitare poteſt, niſi cognoſcatur, unde illud, ignoti nullà cupido: hinc oritur duplex finis conſideratio, finis nimirum in intentione, & executione: finis in intentione dicitur, quatenus eſt appetibilis, & quidem eo modo ac gradu ab efficiente cognoſcibitur, quæ apprehenſio licet ſit ad finis cauſalitatem neceſſariam,non tamen in ea conſiſtit finis vis;ſed finis movet efficientem ſecundum eſſe reale,non quidē acquiſitum,ſed poſſibile, acquiſito enim fine ceſſat omnis operatio ad eum deſtinata: quod vero de efficientis cognitione diximus, illud præcipuè de efficiente principali eſt intelligendum, neque enim requiritur ut ſubordinatæ & inſtrumentales cauſæ finem ſemper cognoſcant: ſic calamus,ſagitta, ſecuris, finem non percipiunt: ſic in rerum naturâ, inanimata omni cognoſcendi facultate carent, ſed prima cauſa ea otdinat,atque hæc à quibuſdam propter finem eſſe, ſed non agere dicuntur.

3. *Cum*

3. *Cum finis ordinet media, certum eorum modum gradumque præſcribet.*

Media ſunt quæ ducunt ad finem, adeoque quæ ab eo ordinantur. Hinc ſolet dici quòd finis mediis omnem amabilitatem, ordinem ac menſuram conciliet: itaque ſi eſt finis, erunt quoque media, & viciſſim, ſi nullus eſt finis, neque media debent eſſe, & reciprocè: item qualis & quantus eſt finis, talia & tanta oportet ſint media, i. e. ut media fini ſint proportionalia; hinc etſi finis bonus ſit, media verò mala mala eſt & abſurda actio, quia ſibi ipſi repugnat: e. g. ſi quis furetur ut Eleemoſinam det, fur eſt, ſi quis regem de medio tollat ut Eccleſiæ proſit, nihil niſi parracida eſt, non enim ſunt facienda mala ut eveniant bona; mala tamen aliquando permitti poſſunt ut eveniant bona: ſic Deus permittit peccata, ut varia bona exiſtant, ſic poſſum bona conſcientia permittere juramentum per falſos Deos, proditionem hoſtis, uſuram iniquam, ad meæ ſalutis conſervationem: Sed hæc res eſt altioris indaginis, & in cauſis per accidens denuò attingetur: cæterùm ſi media debent eſſe proportionalia fini, oportet ut & ſibi ipſis ſint proportionalia: quæ enim in uno & tertio conveniunt, inter ſe convenire debent. Stulti igitur ſunt illi qui media verè contraria adhibent: dico verè contraria, nam in ſtratagematibus,

tibus, aliiſque ingenioſioribus actionibus ſæpe adhibentur media in ſpeciem quidem fini contraria, ſed revera ei congruentiſſima: ſic prudens Imperator fugam ſimulat, quò victoriâ potiatur. Cùm autem finis mediis, amorem ac ordinem conciliet, ipſe quoque amabilis ac ordinatus eſſe debet, quod Apoſtolus Paulus profundiſſimè docet, Cor. 14. 40. πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. Hinc finis diſtinguit actiones, ita quidem ut ſi quis actiones vel indifferentes vel per ſe optimas ſtulto, malo, vel inepto fine inſtituat, ipſæ quoque ſtultę, malæ ac ineptæ eſſe ſentiantur. Ubi notatu digniſſima eſt diverſorum imò & contrariorum finium in eadem actione combinatio, ex qua oritur ut eadem actio hujus agentis reſpectu bona, illius verò mala ſit, ut cum alii duces ejuſdem exercitus, innocentium liberationem, alii eorundem oppreſſionem intendunt; ſic Deus ſanctiſſimo conſilio, fratres verò Joſephi ſceleratiſſimo, ejus venditionem procurabant: à finis itaque conſideratione, mediorum electio ac delectus pendet, quo media fini congruentiora incongruentioribus præferuntur.

4. *Cum omnes fines ſubordinati ordinentur ad ſubordinantem, erit finis in intentione, executione primus intimus.*

In conſiliis ac deliberationibus diligenter eſt diſcernendus ordo efficientium, ab ordine cau-

ſarum

ſarum finalium, hic enim eſt retrogradus reſpectu illius, nam cùm acquiſito fine media ceſſant; ſi finis ſummus primò obtineretur, reliqui fruſtra intenderentur. Itaque certiſſimum eſt axioma: Primum in intentione ſapientis agentis eſt ultimnm in executione, quod clariſſimum Principium eſt nex omnium præviſorum, i. e. illorum qui fingunt Deum ad hominum merita, fidem vel diſpoſitiones quaſdam, ita in ſuis decretis reſpexiſſe, ut ea ab illis ſuſpenderit. Nam ſi bonas, ut loquuntur, diſpoſitiones in homine prævidit, vel prævidit eas, ut à ſe efficiendas, vel ut à ſe independentes: non hoc modo, quia abſurdum eſt bonas imò nobiliſſimas creaturarum actiones non dependere ab efficientia Dei: ſi autem eas prævidit ut à ſe efficiendas, utique antequam decerneret eas efficere, jam earum finem præconceperat, ſecus fruſtra, nulloq; fine eas efficere decreviſſet, quod de Sapientiſſima natura, vel cogitare nefas eſt: Ex ſubordinatione finium oritur harmonia practica, adeoque cùm unus ſit finis ſummus ac generaliſſimus, omnium in mundo inter ſe erunt ordinata, quamvis confuſiſſima videantur.

5. *Finis cui, eſt perfectionis vel indigentiæ.*

Diſtinctio finis in finem cui & cujus, inſignem habet uſum in practicis, omnia enim tandem

tandem reſolvuntur in finem cui;is autem duplex eſt perfectionis,qui nullam ex mediis perfectionum acquirit,ſed illis perfectionem conciliet: ſic Deus eſt finis perſectionis reſpectu omnium creaturarum. Simile quid reperitur in principe, qui legatū conſtituit, non tantùm ut ipſi inſerviat: ſed etiam ut honore eum afficiat; finis indigentiæ eſt qui per media aliquam perfectionem acquirit, ſeu cui media perfectionem communicant: ſic homo eſt finis rerum variarum, quia earum ope indiget ut ſit vel bene ſit,reliquas finis diviſiones facile invenies ſi ipſi generalia applicueris.

6. *Fallacia finis eſt triplex.*

1. Cùm non finis pro fine ponitur, ut Deus eſt omniſcius. E. fruſtra invocatur. 2. Cùm finium modi confunduntur, ut gloria Dei eſt ſummus omnium finis, non ergo Deus, Salus republicæ eſt principis finis: non ergo gloria Dei. 3. Cùm finium gradus confunduntur, ut ſi quis utilitatem publicam poſtponat privatæ.

CAPUT VII.

De Cauſa efficiente.

Cauſa efficiens eſt à qua effectum eſt: ejus cauſalitas conſiſtit in actione, per excellentiam ſic dicta, quâ immaterialibus ſimpliciter dat eſſentiam, materialibus verò eam communicat congruè diſponendo, materiam, formamque introducendo; ſolet dividi tribus modis.

1. Eſt procreans, conſervans vel corrumpens: illa eſt quæ facit rem eſſe vel bene eſſe, ut parentes procreant infantem. Iſta, quæ rem facit porrò eſſe vel bene eſſe, ut nitrix alit infantem, hæc quæ rem facit non eſſe vel malè eſſe; ut morbus tollit infantem.

2. Eſt principalis vel minus principalis: illa eſt à cujus vi primariò, hæc à cujus vi ſecundariò, pendet effectus: principalis eſt ſolitaria vel ſocia: illa eſt quæ ſola rem efficit, ut ſolus Deus creat: hæc quæ cum alia rem efficit: ſic duo confœderati unà gerunt bellum. Efficiens minus principalis eſt impulſiva vel inſtrumentalis. Impulſiva eſt quæ ſuâ exiſtentiâ principalem movet ad agendum: eſt vel interna vel externa; Interna, *προηγουμένη*, eſt certa diſpoſitio agentis, ut temperamentum corporis eſt cauſa certorum effectuum. Externa,

na, προκαταρκτική, certa diſpoſitio rerum ab agente diverſarum, præcipuè objecti: Sic cauſa eſt rei amabilitas.

Inſtrumentalis eſt quam principalis ſibi ſubordinat, & ad agendum applicat ſeu movet: ſic circinus eſt inſtrumentum Geometriæ, circulum deſcribentis. Eſtque internum, cum principali internè conjunctum, ut manus. Vel externum ab eo ſejunctum, ut gladius. Ad inſtrumentum internum cauſæ intelligentis pertinet cauſa exemplaris quæ eſt idea ſeu exemplar futuri operis.

3. Eſt vel per ſe vel per accidens. Per ſe eſt quæ ſuâ vi efficit, eſtque vel naturalis vel libera, naturalis eſt quæ ad actionem actioniſque modum ac gradum à natura eſt determinata: ſic ignis urit, Sol lucet, ventriculus cibos digerit: Libera eſt, quæ prævia indifferenti intellectione ſe ipſam ad actionem actioniſque modum ac gradum determinat: ſic Deus facit extra ſe quod vult, homo agit cùm vult. Cauſa per accidens eſt, quæ non ſuâ ſed alienâ ſcilicet rei conjunctę vi efficit: eſt talis vel ratione naturæ vel voluntatis; ratione naturæ eſt vel præter naturam, vocaturque caſus, ut puer cùm naſcitur ſex digitis; vel contra naturam ſcilicet particularem, ut motus corporis violentus. Efficiens per accidens ratione voluntatis agit vel præter voluntatem, ex ignorantiâ ſeu imprudentiâ; cùm neſcit quid vel quale efficiat; vel contra volun-

tatem ſcilicet coactè, ut Eliſæus cogebatur veſci ſuillâ.

Regulæ.

1. *Cùm efficiens effectui communicet eſſentiam, requiritur interna unio ſeu contactus, vel eſſentialis vel ſaltem virtualis.*

Etſi inter omnes cauſas & effectum requiratur unio, illuſtrior tamen eſt efficientis, quia unio finis eſt intentionalis, cauſæ internæ ingrediuntur eſſentiam, at efficiens eſt extra eſſentiam effecti, contactus autem eſſentialis eſt cùm efficiens & effectus ſunt ſimul, ut cùm ignis urit corpus ſibi injectum, angelus movet corpus aſſumptum. Contactus tantùm virtualis eſt, cum licet cauſæ eſſentia ab effectu diſtet, tamen ejus virtus eum attingit, ut cùm ignis urit corpus diſtans, angelus movet corpus ab ipſo disjunctum, Sol illuminat terram; hinc oritur Sphæra activitatis, i. e. tertii termini quouſque virtus alicujus rei ſe exerere queat, hunc virtualem rerum contactum qui in Phyſicis practicis, in primis ſpiritualibus non obſervat, miſerè cæcutit.

2. *Efficientis in procreantem, conſervantem ac corrumpentem diſtinctionis uſus eſt ampliſſimus.* Quam-

Quamvis ſæpiſſimè fiat, ut una eademque res eundem effectum procreet, conſervet ac corrumpat; ſunt tamen diverſi modi à Logico præſertim practico obſervandi; & licèt pleræque corrumpentes ſint contrariæ diſpoſitionis procreantis, ut corruptio ligni eſt productio ignis; aliæ vero corruptiones ſubtiliter loquendo ſint non tam actiones quam actionis omiſſiones, ut cùm viſibili remoto ceſſant viſibiles, attamen quia omnes fermè diſciplinæ hac diſtinctione frequentiſſime utuntur, utiliter retinetur: ſic omni ſocietate perpenditur fundatio, conſervatio, amplificatio & curatio: ſic Theologici, Phyſici, Ethici, Politici, Jurisconſulti, Medici, Mechanici conſiderant quomodo bona opera ſeu ſanctitas, qualitates Phyſicæ, virtutes, fœdera, bella, poteſtas, obligatio, poſſeſſio, dominium, actio & ſimilia conſtituantur, conſerventur aut promoveantur, tollantur aut minuentur: ad conſervantem autem reducitur augens, promovens & perficiens; ad corrumpentem, imminuens, impediens & reſiſtens.

3. *Cauſa ſolitaria aliquando dicitur talis ratione cauſarum coordinatarum, aliquando ratione cauſarum ſubordinatarum.*

Uſitatior eſt prima ſignificatio; ſi enim ſecunda rigidè urgeatur, ſolus Deus erit cauſa

ſolita-

ſolitaria & quidem tantùm in actionibus immediatis. Cauſa itaque ſolitaria hîc dicitur, non quæ nullum cum aliis cauſis habeat ordinem, ſed quæ non æqualem, ſeu quæ non ſit coordinata. Hîc quæri ſolèt, an tres perſonæ S. Trinitatis ſint cauſæ Sociæ vel ſolitariæ? Res diſtinctione facilè explicatur, quatenus ſolitaria cauſa dicit plenitudinem virtutis, rectè ad eam referuntur, quatenus verò ſocia arctiſſimam diverſarum conjunctionem ac concordiam, malè ad eas revocantur, etſi enim actiones ad extra, ut loquuntur Theologi, tribus perſonis ſint communes modi, tamen agendi ſunt diſtinguendi.

4. *Accuratè diſtinguendum eſt inter cauſam impulſivam & finalem.*

Utraque quidem movet ſed modo diverſo: cauſa impulſiva movet, quia eſt, finalis verò ut ſit; unde hæc per effectum obtinetur, illa vero minimè; cauſa finalis movet ſui deſiderio, ideoque ſemper ut bona concipitur, cauſa autem impulſiva movet ſui amore vel odio, ideoque poteſt eſſe ingrata: ſic dolor incitat ægrum ut quærat Medicum, ignorantia ingenuos impellit ad ſtudia. Atque hoc voluimus innuere verbis *ſuâ exiſtentiâ* in definitione poſitis: quamvis enim cauſa impulſiva in intelligentibus poſſit eſſe longè poſt effectum, attamen non ut ab efficiente producenda, ſed ut per alias

cauſas

cauſas exſtitura, apprehenditur, ſic propter futuram lytri ſolutionem ſæpius aliquis à captivitate liberatur, ſic propter futuram Chriſti ſatisfactionem Patriarchæ in Vet. Teſt. juſtificati fuerunt: ſolent quoque obſervare J. C. quòd impulſiva poſſit eſſe ſuo effectu anguſtior, ſed finalis eo ſit vel generalior vel ſaltem adæquata: ſic occaſione unius illegitimi actûs, poteſt fieri lex, quæ ad plurimos alios ſe extendat, unde illud, mali mores ſunt origo bonarum legum.

5. *Cauſa Phyſica eſt quæ intrinſecam agenti vim indit, cauſa autem moralis eſt quæ res ab agente diverſas, agenti commodius applicat.*

Frequentiſſima eſt hæc diſtinctio apud recentiores Scholaſticos, magnumque habet uſum in practicis de virtutum ac vitiorum cauſis, item in loco de prædeſtinatione, concurſu divino, libero arbitrio, Sacramentis & miraculis: Phyſica autem cauſa hîc non opponitur cauſæ ſupernaturali; ſed generaliter hîc ſumitur, ita ut ſub ſe & ſupernaturales quaſdam & Phyſicas cauſas ſtrictè dictas comprehendat, noſtra autem definitio ut ſperamus cum meliorum auctorum uſu vel ſaltem cum rerum naturâ conſentit. Phyſica igitur cauſa dicitur quæ ſe tenet ex parte potentiæ agentis; moralis quæ ſe tenet ex parte objecti circa quod agi-

tur

tur eique annexorum: verbi gratia qui luſco majorem vim & facultatem videndi indit, Phyſica, qui verò ei viſibile proprius eommodiuſque applicat, moralis cauſa viſionis dicitur: Spiritus Sanctus novas vires facultatibus humanis infundendo, Phyſica regenerationis cauſa eſt, at paſtor Evangelii dignitatem, veritatem ac utilitatem exponens, poteſt eſſe cauſa regenerationis moralis: ſic Chriſtus erat Phyſica miraculorum cauſa, Apoſtoli non niſi moralis.

Itaq; ſi accuratè velimus loqui, hæ duæ cauſę propriè non ſunt ipſæmet impulſivæ, ſed producunt vel augent impulſivas, phyſica quidem internas, moralis verò externas: ad moralē refertur præcipiens, conſulens, externè perſuadens. Ad impulſivam, quoq; externam pertinet cauſa meritoria & occaſio; cauſa meritoria eſt cujus eſt aliquod meritum, meritum eſt cauſa impulſiva ſuo effectui, ſaltem par ſeu æquivalens, effectus autem hic ſolet eſſe prę mium vel pœna; dico ſaltem æquivalens, poteſt enim eſſe valoris majoris quam ſit effectus, minoris autē eſſe non poteſt: occaſio autem eſt rerum ab agente diverſarum, ſed ad effectum facientium conveniens ſtatus: ut commoda diſpoſitio objecti, mediorum, loci, temporis, ſimiliumque: hæc autem Græcis dicitur καιρὸς & diſtinguitur à χρόνος: eſt autē occaſio vel per ſe, quæ ſi ſit effecti boni, non ſtatim eſt laudabilis,

E ſed

ſed ſi mali ſemper eſt culpabilis. Hinc oritur diviſio ſcandali in datum & acceptum ſeu arreptum, illud eſt cauſa impulſiva per ſe, hoc per accidens.

6. Efficacia impulſivæ externæ præſupponit internam.

Impulſiva interna eſt quædam ut ita dicam, activitas ſeu agendi vis, vel ſi actio ſit immanens quædam quoque receptivitas ſeu recipiendi aptitudo: at omnis actus, adeoque & effectus, præſupponit congruam potentiam, quæ ſi abſit, fruſtra is ſperatur: ſic fruſtra cœco adhibentur faces, ſurdo muſica, olfactu carenti odores: ſic fuſtra in improbitate confirmatis inculcantur ſalutares admonitiones; ſic non ſolum in Theologiam ſed etiam in Logicam peccant illi qui externam quandam vocationem ad ſalutem ſine interna ſufficere exiſtimant.

7. Cauſæ naturales agunt vel ſine cognitione vel cum cognitione, eaque ſenſuali vel intellectuali.

Cauſam naturalem definivimus, quæ à natura ad actionem ejuſque modum ac gradum eſt determinata, id eſt ita ordinata ut aliter ad effectum ſe habere nequeat; per naturam autem hic non tantùm intellige internam agentis diſpoſitionem ac vires, ſed ejus quoque exter-

externam ut objectum & circumſtantias, habitudinem: ſic Sol naturaliter illuminat noſtrum horizontem, ſed non quovis modo ſe habens, verùm in certo cœli loco conſtitùs; naturalis itaque determinatio nil eſt aliud quàm certæ cauſæ habitudo, quâ poſitâ, non poteſt non agere, vel aliter agere, itaque nec citiùs, nec tardiùs, nec intentiùs, nec remiſſiùs quam illa habitudo fert agit: mutatâ autem illâ habitudine, ſæpius vel non agere, vel aliter agere poteſt; hæc autem agentium habitudo in omnibus entium generibus locum invenit; ſic omnia corpora inanimata agunt naturaliter, bruta quoque quamvis prævià cognitione ſenſitivâ agant, agunt tamen naturaliter & neceſſariò, verùm non ſolùm hæc, ſed etiam agentia voluntaria ſæpius agunt naturaliter, latiùs enim patet agens voluntarium quam liberum: omne quidem liberum eſt voluntarium, ſed non omne voluntarium eſt liberum; nam innatus voluntatis appetitus eſt neceſſarius, ſic Deus amat ſe ipſum non liberè, Angeli in gratia confirmati & beati neceſſariò amant Deum non liberè; niſi velimus confundere terminos, ita enim ſunt ab objecto determinati ut illud non amare vel minus amare nequeant; hinc ſpontaneũ diſtinguendũ eſt à libero, ut latius ab anguſtiore, ſive enim ſpontaneũ generaliſſimè ſumatur ita ut etiam complectatur inanimatorum inclinationem, ſive ſpecia-

liùs accipiatur pro appetitu cognoſcentium ipſorum naturæ congruo, tamen non ſtatim omne ſpontaneum eſt liberum, quamvis omne liberum ſit ſpontaneum: ſic canis eſuriens ſponte quidem accurrit ad cibum, non tamen liberè, ſed ſpontaneè neceſſariòque.

8. *Cauſa libera eſt independens ſeu prima, vel dependens ſeu ſecunda, illa eſt quæ ſeipſam ſola determinat, nec ab alio aliquo determinatur, hæc quæ & à prima cauſa & à ſe ipſa determinatur.*

Nobiliſſimæ hujus doctrinæ obſcuratio graviſſimos in religione errores peperit, puta Pelagianiſmum, Semipelagianiſmum, Socinianiſmum, ſimileſque de Dei ſcientia ac gratia ſeu efficacia, opiniones, quæ non ſolum fundamenta religionis, verùm prima rectæ rationis axiomata evertunt, quamvis miro applauſu ſingulari quadam ſeculi infelicitate à plurimis, tanquam divinæ ſubtilitates hodie excipiantur, quem ſtuporem Metaphyſici perſpicuè ac maſculè refutare debebant. Omnes autem hæ opiniones hoc agunt unicè, ut libertatem Dei tollant, creaturarum verò, præſertim hominum, nimis extollant. Fingunt enim Deum feciſſe quædam decreta Univerſalia confuſa, non peremptoria, disjuncta,

quæ

quæ poſtea ab hominum diſpoſitionibus prævíis, veluti bruta Socini ſecta credit, adhuc à Deo diſcendis, reddantur ſingularia, diſtincta, peremptoria ac categorica. Verum iſtæ bonę diſpoſitiones pendent ne à Deo ejuſq; decretis nec ne? ſi pendent, jam Deus ipſas prædeſtinavit, adeoq; ſe ſolum determinavit: ſi non pendent, ſed à ſolis creaturis indifferenter ſe habentibus efficaciter producuntur, jam habebimus ſemi-Deum, à quo nobiliſſimæ creaturarum actiones non niſi remotiſſimè dependeant, quippe omnium liberarum actionum diſcrimina, omneſque effectus independentes, ut ſunt omnes homines ex libero collibitu nati à creaturis exſpectet. Et quî quæſo intelligi poteſt, Deum determinari à creaturarum diſpoſitionibus ſine dependentia ab ipſis; hæc autem independens libertas eſt proprium divinæ naturæ privilegium. Libertas dependens eſt quâ Creatura & à Deo & à ſe ipsâ determinatur. Quod quamvis acerrimè ab adverſariis negetur, cuique tamen ordinis naturam meditanti eſt indubium: etenim creatura in actus liberi exercitio aut eſt ſubordinata cauſæ primæ, aut non eſt: ſi hoc, jam eſt quoad actum illum independens, adeoque ens primum; ſi illud, aut ſubordinatio illa eſt ſapientiſſima ac potentiſſima, aut non, poſterius nemo dixerit; ſi prius, ergo certa & infallibilis, nam ſi ſit fallibilis, creatura non eſt

per-

perfectè ſubordinata, ſed tantùm ſubordinabilis, imò neque ſubordinabilis, cum ex adverſariorum opinione à Deo nunquam efficaciter ſalvâ rerum naturâ ſubordinari poſſit; talis autem ſubordinatio in ens Sapientiſſimum cedere nequit, quare creatura cauſæ primæ certò ac infallibiliter ſubordinatur, adeoque ab ea determinatur; determinatio enim hic nihil eſt aliud, quàm certa & infallibilis alicujus ad aliquid ordinatio: Sed inquis? libertas non eſt potentia paſſiva ſed activa; Ergo hæc tua determinatio eſt ficta

℞. Omninò libertas eſt facultas quædam, ſed enti libero congrua, itaque in ente independente eſt potenia purè activa & ſumma eminentia, in ente vero dependente neceſſariò eſt potentia receptivo activa: habet creatura intelligens libertatem ſubditi non verò ſummi principis. Pergis? determinatum non poteſt eſſe indeterminatum, ergo ſi homo determinetur à Deo non poteſt ſeipſum determinare. ℞. Determinatum non poteſt eſſe eodem modo indeterminatum quo determinatum, at poteſt eſſe determinatum uno, indeterminatum alio modo; ſic Deus determinat hominem ut ſe determinet, nam ſi hoc non eſt verum, ſequitur quòd unicam quidem liberam actionem creaturæ Deus poſſit efficaciter procurare, quod certè à ratione vehementer abhorret; at ſic fit vis voluntati

creatæ

creatæ & cogitur! falſum, quia divina determinatio non eſt incongrua naturæ creaturarum ſed congruentiſſima, imò intimè in ipſius conceptu incluſa, non enim determinat Deus hominem, ut tantùm ſimpliciter agat, ſed ut liberè agat, rerum naturas non deſtruit ſed conſervat & perficit.

9. *Omnis cauſa per accidens reducenda eſt ad aliquam cauſam per ſe.*

Nam cùm cauſa per accidens ſit quæ alienâ vi efficit, omnis autem effectus requirat vim ſibi proportionalem, neceſſe eſt ut talis aliqua vis detur quæ effectum illum per ſe producat: eſt itaque reductio hæc valdè neceſſaria, ne in Theoria ſimus ignari, in praxi iniqui, in poeſi ſeu effectione inepti: de eo notentur ſequentia,

1. Cauſa quo eſt univerſalior, eò plures effectus poſſunt ad eam reduci.
2. Cum cauſæ proximæ poſſunt haberi, non eſt confugiendum ad remotam.
3. Ad Deum poſſunt ac debent reduci omnes effectus boni.
4. Effectus moraliter mali non poſſunt reduci ad Deum tanquam cauſam, ſed debent reduci in voluntatem creaturæ deficientis tanquam cauſam per ſe, nihilominus tamen reſpectu divinæ providentiæ non ſunt per accidens, quia inſcio & invito

Deo non fiunt; illud enim ſapientiæ, hoc potentiæ infinitæ repugnat,

5. Ad Angelos tam bonos quam malos multi effectus tam ordinarii quam extraordinarii ſunt reducendi.

6. Cœleſtes influxus, Elementorum aliorumque corporum qualitates nondum cognitę ſunt multorum effectuum cauſę per ſe.

7. Sæpius ratione ſubſtantiæ effectus eſt naturalis, ratione verò modi ac gradus non naturalis; id eſt, præternaturalis vel ſupernaturalis.

8. In Symbioticis, præſertim in Politicis non rarò dicitur aliquid fieri per accidens, quia conſilia occultantur & prætextus aliquis excogitatur.

9. Majus eſt artificium per cauſas per accidens certò obtinere effectum quàm tantùm per ſe, arguit enim plenum cauſæ; hæc omnia ordinantis, in univerſum exercitum, & ut ita dicam, circulare Dominium, hinc videmus quòd Deus plurimas cauſas per accidens in regno naturæ, gratiæ ac gloriæ adhibeat: ſic ſtratagemata, tentationes, ſimulationes & ſimilia, prudentioris ingenii ſpecimina frequenter utuntur cauſis per accidens.

Ex his omnibus patet, nihil fieri reſpectu ejus per accidens, qui omnes cauſas, omnemque earum ſubordinationem ac coordinationem cognoſcit & temperat.

10. *In practicis non eſt habenda pro cauſa per accidens illa quæ ſibi facultatem debitum effectum præſtandi ipſamet ademit.*

Cauſis naturaliter agentibus nullæ leges præſcribi poſſunt, ideoque nec pœnæ accuratè loquendo infligi. Cùm enim à natura ad effectum neceſſariò ſint ordinatæ, à legibus aliter ordinari nequeunt; hinc juris æquitas etiam illis parcit, qui ob judicii defectum quaſi naturaliter agunt, ut ſunt infantes ante uſum rationis, furioſi & ſomniantes, eandem clementiam exercet eadem ἐπιείκεια, erga eas cauſas liberas quæ ferè per accidens aliquid perpetrant; per accidens autem cauſa libera quæ agit, agit vel præter voluntatem, ut quæ agit ex ignorantia vel contra voluntatem, quæ coacta. Agens ex ignorantia præter voluntatem agit, quia nihil appetitur à voluntate quin ipſi prius monſtretur ab intellectu adeoque agit per accidens; ignorantia autem illa eſt facti vel juris: facti, cùm quis neſcit quid agat, ut ſi quis in prælio interficiat ſocium, quem probabiliter putabat eſſe hoſtem, ſi quis lapidem in commodum locum projecturus, cùm impingat in hominis caput: ignorantia juris eſt, cùm quis neſcit quale ſit ſuum factum, nimirum juſtum vel injuſtum: eſtque ignorantia juris particularis quod tantùm

quaſdam perſonas, vel in quibuſdem cauſis obligat; vel Univerſalis quod omnes obligat. Cauſa coacta eſt quæ conſtanter reluctante voluntate aliquid facit, ut ſi Matronæ honeſtæ vis inferatur non quòd voluntas cogatur, reluctatur enim, ſed facultas executiva.

Jam videamus quinam effectus his cauſis aſcribendi ſint, nam cauſis per accidens effectus per accidens, cauſis per ſe effectus per ſe ſunt aſſignandi, & prout ſunt gradus cauſarum per accidens, ita quoque effectorum gradus ſunt conſtituendi: verum illa eſt verè cauſa per accidens, quæ facultatem ad effectum non habuit, vel ſi eam habuit ſua tamen culpa eam non amiſit, nam ſi ſuâ culpâ eam amiſit non eſt verè cauſa per accidens ſed per ſe. Cauſa maximè per accidens eſt cauſa coacta, itaque maximè excuſabilis: ſic Virgo, Matrona, vi ſtuprata quæ neque occaſionem per ſe dedit, neque ante actum, neque in actu, neque poſt actum conſenſit, eſt perſona miſerabilis non culpabilis; at quæ ſuâ curioſitate in illud periculum ſe congeſſit, vel tandem etiam ob graviſſimorum malorum evitationem concubuit, non eſt ab omni culpâ vacua, ſic Gen. 34. Dina etiamſi invita fuiſſet oppreſſa, peccavit tamen. Sic imprudentiſſimi omnium mortalium ſunt illi qui mentiuntur ſe fuiſſe ad apoſtaſiam coactos, quia omnium bonorum jacturam facere debebant, illorum enim voluntas,

luntas meliùs judicavit Deum vivum, quàm caduca bona deſerere; itaque ſemiplena voluntas etiam voluntas eſt licet non eodem gradu quo plena lubentia.

Cauſam coactam excipit cauſa agens ex ignorantia juris univerſalis, quæ non excuſatur, ut ſi quis in Judæam veniens furetur, adulterium committat, occidat, tum dicat, ignorabam, talia hic eſſe prohibita, abſurdus nebulo eſt.

Ignorantia juris particularis aliquandiu & aliquantum excuſat niſi ſit affectata: ſic jus civile perſonis imprudentiæ obnoxiis putà minorennibus, fœminis, ruſticis & militibus conceſſit ut habeant ſingularia privilegia, poſſuntque reſtitui in integrum. Denique ignorantia facti quàm maximè excuſat, ſi nimirum ſit rationabilis, hinc ab ipſo Deo conſtituta aſyla Num. 35. v. 15.; at ſi ſit contra rationem, non planè excuſat, ut ſi quis projiciat lapides in viam publicam; ſive autem ſibi quis ignorantiam facti, ſive juris particularis ſive univerſalis, ſive denique coactionem accerſat, non eſt cauſa per accidens ſed per ſe, ut ſi miles qui excubias agit, ſe inebriet ac à vino, naturali neceſſitate, ſopiatur, jure ſuſpenditur quia ipſe ſibi hanc neceſſitatem impoſuit, ſic à debitore qui mille florenos acceperat, & honeſtam uſuram dare neglexerat, juſtè univerſum debitum poſtulatur licèt jam nulla ra-

tione id ſolvere poſſit. His ſimilibuſque obſervatis graviſſima circa peccatum originale difficultas non parum illuſtrabitur: tandem nota quòd graviſſimi Ethici, Politici, Phyſici ac Medici actiones quaſdam mixtas ſtatuant, quæ vel ex cauſæ naturalis & liberæ, vel ex naturalis & per accidens, vel ex liberæ & per accidens, vel denique ex naturalis, liberæ & per acdens combinatione oriuntur, quorum anatomia judicioſè eſt inſtituenda.

11. *Fallacia cauſæ efficientis eſt triplex.*

1. Cùm efficiens ponitut pro non efficiente, ut cùm efficax Dei permiſſio ſtatuitur cauſa peccati.

2. Cùm efficientium modi confunduntur, quæ confuſio eſt multiplex, prout varia ſunt efficientium genera, ut ſi cauſa naturalis confundatur cum Phyſicâ, quæ confuſio fermè univerſum papiſmum peperit; nam ex Phyſicis cauſis facit morales, ex moralibus Phyſicas, ut Sacramentis affingunt vim Phyſicam, operationem verò Sp. S. Jeſuitæ tantùm fingunt moralem, in converſione hominis. Excellit hic confuſio cauſæ per ſe cum cauſâ per accidens.

3. Cùm efficientium gradus confunduntur, ut cùm pax, gloria, gregario militi & imperatori tribuitur.

Caput VIII.

De Materia & Forma.

SEquuntur cauſæ internæ, quæ ſuam eſſentiam dant cauſato, eſtque materia & forma.

Materia eſt cauſa interna ex qua cauſatum eſt; ejus cauſalitas eſt formam recipere, cumque eâ intimè uniri, ſicque cauſatum conſtituere. Materia dividitur tribus modis,

1. Eſt generationis, ex qua res fit: ut pullus ex ovo, vel conſtitutionis, ex qua res conſtat, ut pullus conſtat corpore, illa dicitur tranſiens, hæc permanens.
2. Eſt prima vel non prima, illa eſt qua materia eſt, ſed nullam habet; ut prima maſſa ex qua Deus mundum corporeum condidit, hæc eſt quæ eſt materia & materiatum: ut ſunt materiæ omnium corporum naturalium: non prima eſt remota vel proxima:
3. Eſt ſenſilis, rerum corporearum, ut materia poculi eſt aurum, vel intelligibilis, rerum incorporearum; ut materia accidentium, quantitatum, relationum. dicitur materiale.

Forma eſt cauſa interna per quam cauſatum eſt; ejus cauſalitas eſt intimè uniri cum materiâ, eamque perficiendo conſtituere cauſatum,

Forma

Forma dividitur tribus modis.

1. Eſt ſubordinans vel ſubordinata, illa etiam dicitur totalis, ſic anima rationalis eſt forma hominis: hæc dicitur partialis, ut forma capitis eſt partialis, forma hominis ſubordinata aliquando eſt generica & ſpecifica.
2. Eſt ſubſtantialis quæ eſt ſubſtantia, & ſubſtantiarum, ut forma ignis; vel accidentalis, quæ eſt accidens & accidentium, ut forma trianguli: & certus ordo partium, vocatur formale, eſtque certus accidentium modus.
3. Eſt immaterialis quæ in materiam introducitur. adeoque ab ea nec in fieri, nec in eſſe, nec in operari, ſimpliciter pendet; ut anima rationalis; vel materialis quæ ex materiâ educitur, adeoque ab ea in fieri, eſſe, ac operari ſimpliciter pendet, ut forma equi, omniumque corporum naturalium excepto homine.

REGULÆ.

1. *Cum cauſæ internæ conſtituant eandem eſſentiam maxima erit inter eas proportio, unio ac communio.*

Nam quæ in eadem eſſentia conſtituenda conveniunt, eâ inter ſe convenire oportet intimè

mè; at cauſati eſſentia eſt compoſita ex eſſentiâ materiæ & formæ, itaque quorum eſſentia eſt indiviſibilis & ſimplex,ea proprie materiam intimam non habent, ut anima rationalis & angeli; rectè itaque concluditur, ſi quid habet materiam habet & formam, & ſic viciſſim, qualis & quanta eſt materia, talis & tanta erit forma, & ſic reciprocè: ſeu cauſæ internæ ſibi ſunt proportionales, ſic animæ rationali, non quodvis corpus, ſed humanum, idque non quovis modo ſed congrue ſe habens debetur; ſic formæ ignobiliori ignobiliorem, nobiliori nobiliorem materiam ac diſpoſitionem natura optima materfamilias aſſignavit; quò autem major eſt inter materiam & formam proportio, eò meliùs ſe habet compoſitum: ſic perfectior eſt vir adultus quàm puer; perfectiores erimus in vita æterna, ubi corpora noſtra erunt incorruptibilia quàm ſumus in hac, ubi contra naturæ ordinem ſunt corruptibilia, hinc ex externis naturæ diſpoſitionibus ac lineamentis, internas formas, earumque virtutes, ſolida phyſiognomia ingenioſè ac feliciter venatur.

2. *Materiarum ſubordinatio in natura & artibus mechanicis planè eſt admirabilis.*

Sic qui perpendis quot tranſmutationibus opus ſit, antequam ex rudi primæ materiæ portione, humana natura fiat, obſtupeſcit; in arti-

artibus verò mechanicis res quotidie eſt obvia, non ſolùm autem eſt obſervanda ſubordinatio & coordinatio materiarum, ſed notatu digniſſima eſt, formæ, efficientis & materiæ combinatio in ſeminibus animatorum; niſi quod in humano anima rationalis non lateat.

3. *Dari ſubordinationem formarum in uno compoſito docet experientia.*

Quis enim credat homine mortuo partium quantitatem, figuram, ſitum, colorem ſimiliaque accidentia non eſſe eadem numero imò ne ſpecie quidem cum iis quæ videbantur & tangebantur in agonizante, & quis ſibi perſuadeat eandem eſſe formam partium cordis ac cerebri, oculi & tali? datur itaque formarum non ſolùm ſubordinatio, verùm etiam partialium coordinatio; at, inquis? ubi duo actus conjunguntur ibi eſt ens per accidens, item actus non eſt actûs. At quis te docuit hoc principium? duo actus æque perfecti & inter ſe oppoſiti per ſe non conjunguntur, at quorum unus alteri inſervit & eſſentialiter ſubordinatus vel coordinatus eſt; maxime conſtituunt ens per ſe unum; item actus quà talis non eſt alius actus, at quatenus aliquid potentiæ includi poteſt ejus eſſe actus; ſic materia, quamvis ſuus eſt actus, habet tamen aliam intrinſecum actum, putà formam; poteſt itaque in eodem compoſito eſſe forma domina, ut

anima

anima rationalis in homine,& forma famula,ut forma mixti & partialis in eodem ; non tamen tot formas conſtituimus in compoſito, quot occurrunt gradus generici & ſpecifici: itaque hanc formarum ſubordinationem quâ in genericas, ſpecificas & numericas dividuntur plerunque ſtatuimus eſſe rationis tantùm.

4. *Forma eſt præcipua cauſa diſtinctionis, facultatum & operationum compoſiti.*

Conſtituit enim compoſitum materiam perficiendo; dico præcipua, non ſola, nam hinc materiam excludere eſt eam tollere; itaque hæc omnia & materiæ & formæ ſunt proportionalia, maximè tamen formæ, adeoque & proportionalia inter ſe.

5. *In accidentibus accuratè diſtinguendum eſt materiale à formali.*

Frequentiſſimus eſt hujus diſtinctionis in omni diſplinarum genere uſus: ſic in objectis diſciplinarum, actionibus, relationibus, peccatis, entibus collectivis & concretis diligenter ſolet diſtingui. Hic notant Philoſophi practici, quod unus idemque actus poſſit habere duplex formale, naturale & morale ut loquuntur, ſic ſi quis bene concipiat & cognoſcat, aliquid poſtea eam cognitionem malo fine corrumpat, manet idem actus naturaliter,ſed non moraliter.

6 Fal-

6. Fallacia materiæ eſt triplex.

1. Cùm non materia ponitur pro materia; ut cùm ſubtilior pars cæli habetur pro materia angelorum. 2. Cùm modi materiarum confunduntur; ut cùm elementa ſtatuuntur materia proxima metallorum. 3. Cùm gradus materiarum confunduntur, ut cùm duo termini habentur pro materia ſufficiente ſyllogiſmi.

7. Fallacia formæ eſt triplex.

1. Cùm non forma ponitur pro forma, ut cùm qualitates dicuntur formæ elementorum, charitas fidei, 2. Cùm modi formarum confunduntur, ut cùm anima rationalis habetur pro forma materiali quæ fit ex traduce, 3. Cùm gradus formarum confunduntur: ut cùm anima rationalis habetur pro forma tantùm unius membri principalis & non pro forma adæquata totius corporis.

CAPUT IX.

De cauſis inter ſe collatis.

HActenus fuit conſideratio cauſarum abſoluta, ſequitur comparativa, quæ mutuam earum habitudinem perpendit. Mutua earum habitudo cognoſcitur ex ipſarum proportione, nexu, & illatione.

REGULÆ.

1. *Quatuor eſſe cauſarum genera, nec plura nec pauciora, tam ratio quam experientia oſtendit.*

Omnis enim cauſa influit in effectum, influxus autem ille eſt vel intrinſecus vel extrinſecus; Extrinſecus eſt metaphoricus ſeu ratione appetitûs, vel realis ſeu ratione potentiæ executivæ: intrinſecus influxus conſiſtit vel in recipiendo perfectionem, vel in dando: idem confirmat experientia, nam ſi in effectibus maximè dependentibus ac compoſitis, plura nec reperiuntur nec requiruntur cauſarum genera, neque etiam in ſimplicioribus plura ſunt quærenda. Obſervanda eſt autem varia cauſarum combinatio, ut ex combinatis faciamus ſimplices, ſeu ad ſimplices reducamus.

2. *Certa eſt inter quatuor cauſarum genera proportio.*

Productio effectus, eſt quædam ordinatio, primò enim finis ordinat efficientem, efficiens ordinat materiam, eamque ordinando introducit formam, quæ eſt intrinſecus eſt eſſentialis cauſati ordo, & proportio, unio & communio; Quò autem major eſt inter cauſas proportio eò effectus eſt nobilior, ubi notandum, quod efficacia efficientis poſſit compenſare defectum materiæ,

materiæ, ſic infinita potentia poteſt producere materiatum, ſine materia & ex materia indiſpoſita.

3. *Negato fine negantur cauſæ omnes, eo poſito non neceſſariò ſed probabiliter ponuntur.*

Ratio primi eſt quia ſecus effectus eſſet fruſtra, ratio ſecundi eſt, quia non ſemper omne appetibile appetitur actu.

4. *Poſitâ cauſâ efficiente neceſſariò ponitur finis, & eâ negatâ neceſſariò negatur materia & forma, ſed eâ poſitâ non protinus ponitur.*

Ratio primi quia ſecùs eſſet fruſtra, ratio ſecundi eſt quia res in potentia non deducitur in actum niſi actu; ratio tertii eſt quia non ſtatim poſita potentia activa ponitur actus.

5. *Poſitis cauſis internis neceſſariò ponuntur externæ, ſed iis negatis non protinus negantur.*

Declaratio & demonſtratio clara eſt ex ſuperioribus.

6. *Negatâ materiâ neceſſariò negatur forma, ſed poſitâ materiâ non protinus ponitur forma.*

Ratio primi eſt, quia forma non eſt forma, niſi

niſi informet & recipiatur; intellige de forma quatenus actu informat, ſecus fallit in forma immateriali; ratio ſecundi, quia materia poteſt ſubeſſe variis formis.

7. *Poſitâ formâ neceſſariò ponuntur reliquæ cauſæ omnes, ſed ea negata, non protinus negantur.*

Ratio primi eſt, quia forma eſt ſcopus & complementum omnis proceſſus cauſalis, & immediatè ſecum adducit finem internum, id eſt internam rei perfectionem, & proximè diſponit ad finem externum id eſt externam perfectionem, quo progreſſu κυκλοειδῆ abſoluto eſt perfecta quies, hinc in omnibus creatis, perpendendum quomodo ex ſuis cauſis, in primis à Deo egrediantur, juxta eas progrediantur, & in eas regrediantur.

Fallacia circa cauſarum collationem ex prædictis regulis nullo negotio cognoſcitur.

CAPUT X.

De Cauſato.

CAuſatum eſt principiatum quod à vi cauſarum pendet, ejus affectiones adeoque & canones & diviſiones reſpondent affectionibus & divi-

diviſionibus cauſarum. Eſt itaque Finitum ſeu medium, effectum ſtrictè dictum, materiatum, & formatum, deinde eſt operatio, ipſe cauſandi actus, ue ædificatio; vel opus, res poſt operationem remanens ut ædificium, illa Græcis dicitur ἐνέργεια hoc ἐνέργημα ubi excellit ἀποτέλεσμα quod eſt diſtinctarum cauſarum opus.

REGULÆ.

1. *Canones de cauſis converſi ſunt canones de effectis.*

Ut ſi cauſa eſt, eſt effectus: reciprocè ſi eſt effectus, eſt cauſa: qualis & quanta eſt cauſa, talis & tantus eſt effectus; reciprocè, qualis & quantus eſt effectus, talis & tanta eſt cauſa, atque hic aſcenſus ab effectis ad cauſas dicitur demonſtratio à poſteriori, quæ eſt mater omnis diſciplinæ moraliter cognitæ, imò ſummum habet uſum in ſupernaturalibus; ſic ex ſenſibilibus cognoſcimus intelligibilia, ex creaturis Deum, ex miraculis divinam vocationem, ex executione decreta, ex fide prædeſtinationem, ex præſcriptione ſeu diuturna uſurpatione Jurisprudentia colligit jus, ex firma vel infirma functione, Medicina concludit firmam vel infirmam facultatem: qui aſcenſus ab effectis ad cauſas ſi conjungatur cum deſcenſu à cauſis ad effecta parit praxin perfectam. 2. *Non*

2. *Non ſolùm generales, verùm etiam ſpeciales cauſarum diviſiones cauſato ſunt proportionaliter applicandæ.*

Sic effectum eſt procreatio & procreatum, conſervatio & conſervatum, corruptio & corruptum, per ſe & per accidens, eſt naturale vel liberum: & ſic deinceps, cognito enim relatorum uno cognoſcitur & alterum.

3. *Fallacia effecti eſt triplex.*

1. Cùm non effectum ponitur pro effecto, ut cùm electio ſtatuitur effectum fidei. 2. Cùm modi effectorum confunduntur, ut cùm tumultus habetur pro effecto Evangelii per ſe cùm ſit effectus per accidens. 3. cum gradus effectorum confunduntur, ut cùm effectus inchoatus habetur pro conſummato, ut amat Deum, ergo implevit legem, facit opus Deo gratum, ergo meretur aliquid.

Caput XI.
De Subjecto & Adjuncto.

HActenus de argumento conſentaneo, efficace primario, ſequitur ſecundarium. Argumenta conſentanea ſecundaria ſunt, quorum unum alteri præter eſſentiam additur: eorum communes diviſiones in ſpecialibus erunt clariores,

riores conſentaneum ſecundarium eſt ſubjectum vel adjunctum.

Subjectum eſt cui aliquid præter eſſentiam additur: ejus diviſiones ſunt communes vel ſpeciales.

1. Quod ſubjectum ſit adæquatum vel inadæquatum: adæquatum eſt quod adjuncto eſt æquale ſeu cum eo æquè latè patet. Inadæquatum eſt quod adjuncto eſt inæquale, ſeu eſt latius vel anguſtius, hinc ſubjunctum eſt
   1. Proprium vel non proprium: non proprium eſt cui, vel non omni, vel non ſoli, adjunctum competit; illud eſt adjuncto latius: ſic homo eſt ſubjectum non proprium virtutis ſenſitivæ, Subjectum proprium eſt cui omni ſoli ac ſemper competit adjunctum; ut ſubjectum proprium viſibilitatis eſt homo.
   2. Subjectum eſt totale vel partiale, illud eſt cui toti ac ratione omnium partium adjunctum convenit; ſic vita eſt adjunctum hominis: dicitur etiam abſolutum, hoc eſt cui ratione certæ partis adjunctum competit, ſic intellectus competit homini ratione animæ, dicitur quoque limitatum,
2. Eſt neceſſarium vel contingens, illud eſt quod ſine adjuncto eſſe non poteſt, hoc quod poteſt, ita ſitus eſt neceſſarium hominis adjunctum, ſitus creatus, contingens,

3. Eſt

3. Eſt per ſe vel per accidens: per ſe eſt cui juxta naturam: per accidens cui præter naturam aliquid additur: ſic aquę per ſe competit frigus, per accidens calor,
4. Eſt perfectionis vel imperfectionis, illud eſt cui congruum adjunctum additur, ſeu perfectio, ſic homo eſt ſubjectum Sapientiæ: h. e., cui incongruum, ſeu imperfectio additur: ſic homo eſt ſubjectum ſtultitiæ.

Subjectum in ſpecie eſt recipiens vel occupans, recipiens eſt quod recipit adjunctum; ſeu quod unitur adjuncto ſeipſum non addenti: eſtque recipiens in ſe vel ad ſe, recipiens in ſe, quod adjunctum intimè recipiendo ei eſſentiam communicat, ſic ſubſtantiæ recipiunt accidentia, recipiens ad ſe eſt, cum adjunctum unitur externè, ita ut complectatur ſub ſe & circa ſe, ſic ſubſtantiæ additur ſubſtantia ut homini veſtitus, arma, bona fortunę, ſic locus (eſt ſubjectum rei locatę) ad ſe recipit locatum. Subjectum occupans eſt circa quod adjunctum verſatur, ſeu cui ſe unit adjunctum, vocatur objectum, ſic viſibile eſt adjunctum viſus, audibile auditûs.

Adjunctum eſt quod alicui præter eſſentiam additur, eſtque receptum vel occupatum: receptum eſt quod unitur ſubjecto, eſtque receptum in rem, vel ad rem; receptum in rem eſt adjunctum inhærens; inhærentia eſt unio quâ alicujus eſſentia conſiſtit in additione ad

aliud, dicitur accidens, ſed prædiamentale, ſic quantitates, qualitates, relationes, paſſiones ſunt adjuncta ſubſtantiarum. Receptum ad rem eſt quod extrinſecè additur ſubjecto, ſic bona mobilia & immobilia adduntur homini, eſtque adhærens vel circumſtans. Adjunctum occupatum eſt quod in unione cum ſubjecto ſe habet active, ſeu quod ſe unit ſubjecto, eſtque perſonale, ſic homo verſatur circa divina: vel reale, ſic intellectus & intellectio hominis verſatur circa divina.

REGULÆ.

1. *Doctrina de ſubjecto eſt proportionalis doctrinæ de adjuncto, & hæc eſt proportionalis illi.*

Itaque diligenter inter ſe ſunt conferendæ, habent autem quædam communia quæ ad majorem perſpicuitatem ſubjecto applicuimus. Quędam propria quæ ex ſingulorũ definitionibus cognoſci poſſunt; generalia autem ſingulis ſpeciebus ſunt diligenter applicanda, ſic non ſolum ſubjectum ſed etiam adjunctum, imò & occupatum eſt adæquatum vel inadæquatum, non proprium vel proprium, totale vel partiale, & ſic deinceps. Summopere autem in hoc loco inventionis diſtinguenda eſt terminorum ambiguitas, quæ partim à maxima illorum

lorum generalitate, partim à varia illorum combinatione oritur, nondum ſatis videntur exquiſita, præter eſſentialis unionis genera, nec ſatis diſtincta, quod ipſorum nominales definitiones ſatis indicant, itaque nos conati fuimus afferre reales, itaque ne mireris ſi à diverſis autoribus eadem exempla ad diverſas ſubjectorum & adjunctorum ſpecies referri videas, ſic ſanguis in venis aliis eſt adjunctum inhærens, nobis eſt adhærens, ſeu ad rem, nobis enim diſplicet quod quidem ex ſola ambiguarum vocum & phraſium convenientia rerum convenientiam concludant; itaque in hoc labirintho definitionum fila Ariadnes diligenter erunt reſpicienda: illuſtremus tamen rem ſimili quodam familiari; corporis cum corpore continua conjunctio vel ſignificat quandam quietem & ſtatum, vel quendam metum; cum ſignificatur quies, corpus corpori vel eſt infixum, cui ſimile eſt adjunctum receptum ad rem ſtricte dictum, vel ab omni parte, cui ſimile eſt adjunctum circumſtans, ſeu quod eſt circa rem; cum conjunctio corporum ſignificat aliquem motum, ſignificat vel motum ad rem vel circa rem, cui corpore moto ſimile eſt adjunctum occupatum, unde pulchè dicitur verſari circa objectum, hinc adjuncta corpora forſan non ineptè dixeris quieſcentia, occupata agentia ſeu ſe moventia, confer cum huius libri cap, 5. can, 3.

2. Vi conſenſionis mutuus eſt inter ſubjectum & adjunctum nexus & proportio.

Vi relationis neceſſe eſt ut inter ſe differant, ſaltem ratione, nihil enim ſibi ipſi proprie additur, dico ſaltem ratione, non enim ſemper differunt revera: ſic cum dico Deus eſt Sapiens, ens eſt unum: adjunctum nihil eſt aliud quam ſubjectum, ſed cum à nobis à ſe invicem diſtinguantur ſibi invicem quoque adduntur: vi autem conſenſionis Canones demonſtrativi habent locum, hinc ſi eſt ſubjectum eſt quoque adjunctum, & viciſſim; ſi eſt ſubjectum neceſſarium, neceſſarium quoque eſt adjunctum, ſi contingens contingenter, & reciprocè: item quale & quantum eſt ſubjectum, tale & tantum eſt adjunctum, & viciſſim, at inquis? hæ duæ regulæ non ſolum in finitis exemplis ſunt falſæ, ſed in adjunctis imperfectionis ſeu incongruis abſurdæ, e. g. quam ſtulta hæc ſunt, homo (Subjectum) eſt bonus, ergo peccatum (adjunctum) eſt bonum, homo (ſubjectum) eſt verum, ergo & adjunctum: falſa opinio eſt vera. Sed his jam ſuperius reſponſum fuit, nimirum harum regularum veram intelligentiam, utilitatem ac applicationem pendere ab argumentorem definitionibus, eas itaque ſi violes, contra principium noſtrum, non eſt quod nobis tuam in cogitan-

cogilantiam imputes: ſic qui omnes modos ſubjecti vult applicare adjuncto ſtultus eſt,quia ſubjectum & adjunctum confundit: ſic qui eandem quantitatem tribuit adjunxto inadæquato & adequato,negat eorum diſtinctionem: ſic denique imprudentiſſimè agit,qui adjunctis incongruis tot modos congruentiæ vel convenientiæ vult applicare,quot congruis, his enim duplex competit convenientia, ſc. quâ adjuncta ſunt,deinde quâ adjuncta congrua ſunt; Videamus ergo convenientiam adjunctorum incongruorum,ſi eſt angelus, vitium ejus erit angelicum, non humanum, non corporeum; pueri malitia, ſtultitia, eſt puerilis, hominis morbus erit humanus ,& ſic deinceps. Hæc paulo fuſius explicuimus, ne generalem ac utiliſſimam hanc doctrinam quis temeritatis accuſet.

3. *Adjunctum proprium inſeperabile eſt à ſuo ſubjecto & alii incommunicabile.*

Quamvis adjunctum proprium habeat locum in omnibus adjuncti generibus, excellit tamen adjunctum proprium inhærens, itaque pleraque Philoſophorum monita de eo ſunt intelligenda: eſt autem adjunctum proprium quod ex eſſentiâ ſubjecti immediatè fluit, ſive conſideretur abſolutè, ſic proprium corporis naturalis eſt quantitas; ſive comparatè, ſic ſitus eſt proprium corporis cum alio collati: eſt

autem firmiſſimus inter ſubjectum & proprium nexus, ac infallibilis illatio, e. g, ſi eſt ſubjectum eſt adjunctum proprium & contra. Ibi occcurrit proprii à ſubjecto inſeparabilitas, hic incommunibilitas ratione alius ſubjecti, utraque ex proprii definitione colligitur, nam ſi ſeparetur à ſuo ſubjecto utique eſſentia illa perfecta non erit, quia formalem ſuum effectum non exerit: quod verò quidam dicunt, poſſe Deum ita influere in ſubjectum ut ejus eſſentiam producat ac conſervet, nihilominus tamen inhibeat fluxum ſuum ne proprium emanet, illud eſt otioſum figmentum, nam eſſent hæ actiones contradictoriæ, prima enim poneret cauſam proximam proprietatis, ſecunda vero tolleret eam, præterea ſtulta eſſent ejuſmodi entia, quia nullum uſum in rerum natura haberent: quorſum quæſo conſervaretur homo intellectu carens? quis uſus ignis non calidi? quare illa Scholaſticarum regula, quæcunque realiter diſtinguuntur poſſunt à ſe invicem ſeparari? falſa eſt: ſunt enim quædam entia tam intrinſecè ſibi ſubordinata ac coordinata, ut unum ſine altero perfectum eſſe nequeat. Sic figura realiter differt à quantitate, nulla tamen quantitas ſine figura conſervari poteſt. Non poſſe autem proprium unius ſubjecti ſubjectivè communicari alii ſubjecto, ex definitione quoque patet. Cùm enim eſſentia ſubjecti ſit unica ac adæquata

proprii

proprii cauſa, non niſi illi competit proprium, niſi rerum eſſentiæ inter ſe confundantur.

Præterea fieri non poteſt, ut unum adjunctum perfectum, ſive accidens inhærens ſit in duobus ſubjectis. Quis enim non videt ridiculum eſſe, ſi quis dicat fieri poſſe ut unius intellectus ſit quoque intellectus alterius? Quod verò quidam excipiunt proprium uni ſubjecto primariò, alteri ſecundariò convenire poſſe, nihil niſi effugium eſt. Nam ſecundariò ineſſe, eſt etiam ſubjectivè ineſſe. At hoc æquè abſurdam eſt: Nam quem uſum habet ejuſmodi communicatio? Si humanæ naturæ Divinæ proprietates ſubjectivè inſunt, jam non debet manere humana natura, ſed fieri divina. Etenim ſi humanæ naturæ oprationes ac officium præſtare adhuc debet, non opus eſt proprietatibus divinis, illæ enim divinarum operationum principia ſunt. Sic ſi humanæ proprietates communicarentur bruto, fruſtra conſervaretur eſſentia bruti.

Si verò per ſecundariò convenire intelligunt effectivam communicationem, quâ videlicet fit ut proprietates unius naturæ alteri unitæ producant quaſdam proprietates à ſe quidem diverſas, attamen ſibi ſimiles & proportionales, contra quos quæſo diſputant?

Aliæ autem ſunt illæ proprietates ab iſtis quæ dicuntur communicari nôn ſolùm numero; ſed plerumque ſpecie & genere. Sic nemo

negat quin in Chriſto Divinæ naturæ, cum humana unio excellentiſſimas humanæ naturæ dotes pariat: ſic clarum eſt quod anima vitam communicet corpori, ac non ſuam, ea enim eſt incorruptibilis & ſpiritualis, ſed aliam in ipſo producit.

Nam ſi ejuſmodi exempla ſint ad rem: jam proprietatum communicatio non erit ſupernaturalis tantùm ſed planè naturalis.

Quæ contrà adferuntur facile ſolvuntur ſi obſervemus ſequentia.

1. Diſtinguendum eſt inter potentiam & actum, e. g. inter vim ſe movendi & motum, inter vim urendi, & uſtionem, inter gravitatem & (ut loquuntur) gravitationem.

2. Aliam eſſe communicationem effectivam, quâ effectus proportionalis alii rei inditur: Aliam ſubjectivam, quâ ipſa proprietas alii tanquam ſubjecto competit: Illa vera, hæc abſurda eſt, quam ut quidam vir non doctus probaret, in medium attulit proprietates generis communicari ſpeciei: ſed mirabilis eſt tranſitus à communicatione rationis, ſeu mente fictâ ad communicationem realem. Utilis quidem eſt diſtinctio proprietatum in genericas, ſpecificas, & numericas ſeu individuales, ſed cùm ſola ratione differant, communicatio quoque tantùm erit rationis.

4. Poſita vel negata proprietate una, ponuntur vel negantur quoque reliquæ.

Nam quæ uni tertio neceſſariò ſunt annexa, ea inter ſe quoque connexa ſint, oportet. At omnes proprietates neceſſariò competunt eſſentiæ.

Eſt autem frequens in eodem ſubjecto proprietatum ſubordinatio & coordinatio. Sic in anima partim ſubordinata, partim coordinata ſunt intellectus & voluntas. Hinc proprietates ſunt primitivæ vel derivativæ: Illæ immediatè reſultant ex eſſentia, hæ mediantibus aliis, poſſunt eſſe ſecundi, tertii, quarti ordinis, & ſic deinceps.

Hic nota quod proprietatum aliæ ſint unitæ; ſic magnitudinis proprietas eſt continuitas: Vel disjunctæ, ſic ejus proprium eſt eſſe ſymmetriam vel aſymmetriam.

Deinde obſerva quod proprietas ſicut & cætera adjuncta, aliquando ſint res poſitiva, aliquando privativa, ſic Eclipſis Lunæ dicitur proprietas Lunæ.

5. Accidentis eſſe eſt ſuo ſubjecto ineſſe.

Cum enim accidentis effectus formalis ſit, ſubſtantiam quandam afficere, extra ſubjectum vel ſine eo eſſe non poterit, ſecus ens malum, falſum ac confuſum foret: fingamus intellectu

aliquem extra aliquod intelligens, quis ejus uſus? Itaque nec in alio ſubjecto, quàm ſuæ naturæ congruè neceſſario in ipſa migratione erit extra ſubjectum, ſimul enim in duobu s eſſe nequit. Ut verò protinus ab initio accidens in alienum ſubjectum introducatur, ordini ac ſapientiæ repugnat: quæ quæſo utilitas ſi proprietas ignis inhæret aquæ? Diſtinctio autem inhærentiæ in aptitudinalem & actualem, difficultatem nullatenus ſolvit, aptitudinalis inhærentia non accidenti actuali, ſed in potentiâ tantùm exiſtenti attribuenda erit, niſi omnem rerum proportionem & ordinem velimus evertere.

6. Objectum eſt quod actionem ac vim agentis terminat.

Objectum duplicem vim habet nimirum movendi & terminandi. Quatenus movet eſt cauſa impulſiva externa: quatenus terminat, objectum eſt: Sunt autem Objecta omnia illa circa quæ rerum facultates exercentur: e g. circa quæ ſenſus; appetitus, & motus verſantur. Barbara quidem ſed perſpicua & utilis eſt regula.

Omne *ile* eſt objectum reſpectu, *ivi*, *ntis*, & *tionis*. *ivum* ſeu *ivitas* eſt ipſa vis augendi, & facultas viſiva, *ns* eſt ipſum agens. ut videns: *tio* eſt ipſa actio, ut viſio.

Hinc adjunctum occupatum aliquando eſt per-

perſonale, ut Philoſophus: aliquando reale, ut Philoſophia & ipſum Philoſophari, confer cum his cap 29. lib. 1. reg 2.

7. *Fallacia Subjecti eſt triplex.*

1. Cum non ſubjectum ponitur pro ſubjecto, ut cum humana natura ſtatuitur ſubjectum divinarum proprietatum.

2. Cum modi ſubjectorum confunduntur, ut cum non proprium ponitur pro proprio, ut cum homo habetur pro adæquato objecto Phyſicæ.

3. Cùm ſubjectorum gradus confunduntur, ut cùm homini tanta libertas tribuitur quanta Deo.

8. *Fallacia adjuncti eſt triplex.*

1. Cùm non adjunctum habetur pro adjuncto, ut cùm ſumma in ſacris & prophanis poteſtas tribuitur Papæ.

2. Cùm adjunctorum modi confunduntur, ut cùm adjunctum non adæquatum habetur pro adæquato, ut ſi quis corruptibilitatem omnibus hominis partibus tribuat.

3. Cùm adjunctorum gradus confunduntur, ut cùm martyrum ſanctitas inchoata habetur pro conſummatâ.

CAPUT XII.

De antecedente, connexis & conſequente.

PRÆCEPTA.

Sequuntur conſentanea nuda, inter quæ tantùm ordo quidam apparet, ſuntque in genere neceſſaria vel contingentia.

IN ſpecie ſunt ſubordinata vel coordinata, illa ſunt antecedentia vel conſequentia, hæc connexa.

Antecedens eſt quod eſt ante ſuum thema, ut ex nihilo factus eſt mundus, ex puero fit ſenex, ex rudi doctus, lapſus præſupponit labilitatem, nox præceſſit diem, dominus præcedit famulum.

Huc pertinet Cauſa ſine quâ non, quæ eſt res ad effectum quidem neceſſaria, non tamen in eum influens, ut remotio puris eſt cauſa ſine qua non ſanationis, occaſus ſolis eſt cauſa ſine quâ non tenebrarum, medium eſt cauſa ſine quâ non viſionis, privatio eſt cauſa ſine quâ non generationis.

Conſequens eſt quod eſt poſt ſuum thema, ut Monarchia Perſica ſucceſſit Chaldàicæ, Græca Perſicæ, Romana Græcæ.

Con-

Connexa ſunt quæ ſimul ſunt. Talia ſunt coordinatæ partes, facultates, ac proprietates, coordinata locata, ac res eodem tempore exiſtentes, v. g. ubi cerebrum ibi cor, ubi eſt intellectus ibi quoque eſt voluntas, ubi Æneas, ibi Achates; eodem tempore eſt æſtas in meridionalibus & hyems in ſeptentrionalibus regionibus.

Ad Connexa neceſſaria videntur referenda eſſe relata, quatenus ſunt conſentanea, quorum unum mutuò reſpicit aliud: ſeu quorum unum ex alterius coordinatione conſtat, ut omnis pater habet filium, & omnis filius habet patrem, omnis Dominus habet ſervum & viciſſim.

REGULÆ.

1. *Locus antecedentium, connexorum & conſequentium, diſtinguendus eſt à reliquis inventionis locis.*

Antecedentia, connexa & conſequentia vel ſumuntur generaliter vel ſpecialiter. Generaliter pro quacunque anteceſſione, conjunctione, & conſecutione, ſive intercedat aliqua dependentia, ſive non, ſicque competunt omnibus argumentis conſentaneis, ut cauſa eſt antecedens, effectus eſt conſequens; ſubjectum & adjunctum ſunt ſimul.

Spe-

Specialiter verò accipiuntur pro nudo ordine in quo nulla dependentia occurrit: cujus cùm plurima exempla in omnibus diſciplinis occurrant, omnino diſtinctè erit explicandus. Sicut autem priora argumenta conſentanea comparavimus cum corporibus continuis, ità hæc cum contiguis conferimus.

Antecedens eſt quaſi corpus ſuperius vel anterius: Conſequens eſt quaſi inferius vel poſterius: Connexa ſunt quaſi à latere conjuncta. Illa autem exempla pertinent ad connexa inter quæ eſt habitudo æqualis, ut poſſint alternari, v. g. Johannes comitatur Petrum, & Petrus comitatur Johannem. Verùm ea quæ quidem ſimul ſunt, unum tamen ab alio pendet, huc non pertinent, ut locus & res locata ſunt ſubjectum & adjunctum.

2. *Negato antecedente negatur conſequens: ac poſito conſequente ponitur antecedens.*

Si neceſſaria ſint, neceſſariò, ſi contingentia, contingenter concluditur; ut ſi non concipit, non pariet, ſi peperit concepit: Verùm poſito antecedente non protinus ponitur conſequens, ut non ſequitur, florent arbores, ergo adſunt fructus. Revelatus eſt Antichriſtus, ergo extremum judicium præ foribus: niſi immediatè cum conſequente cohæreat: Viciſſim negato conſequente non ſtatim negatur antecedens,

cedens, ut non ſequitur, non ſunt fructus, ergo nec flores.

3. *Poſito vel negato connexorum uno, ponitur vel negatur connexorum alterum.*

Nimirum in neceſſariis neceſſariò, in contingentibus contingenter. Si hæc res eſt prædita intellectu, erit quoque prædita voluntate: Si caret hâc, carebit & illâ: ſi res eſt bona, erit quoque ordinata: ſi non eſt ordinata, nec bona. Cæterum relata quatenus de ſe invicem affirmantur eſſe referenda ad argumenta conſentanea, perſpicuum eſt ex illâ regula, omnis propoſitio affirmata enuntiat conſentanea, omnis verò negata, diſſentanea.

Fallacia antecedentium, connexorum, conſequentium eſt triplex.

1. Cùm ea quæ non ſunt talia habentur pro talibus; ut cùm prima materia fingitur fuiſſe ante initium creationis.

2. Cùm modi illorum confunduntur, e. g. cùm connexum contingens habetur pro neceſſario, ut ſi in Repub. concludat filius, meus pater fuit nobilis & princeps; ergo & ego ero princeps.

3. Cùm gradus confunduntur, ut ſi quis ſingat tam arctam eſſe connexionem inter fidem ſalutiferam, & actus bonorum operum, quanta eſt inter eam & habitum ſanctitatis.

Atque hæc eſt doctrina conſenſionis quæ eſt fons

fons omnis convenientiæ ſeu unitatis & identitatis: ſicut diſſenſio eſt fons omnis diſconvenientiæ, diverſitatis ac differentiæ.

Solent quidam addere locum de ſigno & ſignato, verùm longè rectius ad præcedentia argumenta reducitur, quia ad varia pertinet. ſunt enim ſigna prognoſtica rerum futurarum, dictica præſentium, & mnemonica præteritarum. Progooſtica petuntur vel à cauſis, ſic conjunctiones Planetarum, Ecclipſes & Cometæ ſunt ſigna futuræ conſtitutionis elementaris: Vel à modis antecedentibus, ſic Iris eſt ſignum mundum non periturum diluvio, nebula veſpertina eſt ſignum ſerenitatis.

Dictica ſigna ſumuntur vel à cauſâ proximâ, vel ab effectu immediato, vel à ſubjecto aut adjuncto, vel à connexis.

Mnemonica denique ſuppeditant effectus mediati, vel conſequentia, ſtrictè dicta.

Caput XIII.

De Contradicentibus.

Præcepta.

Hactenus de argumentis conſentaneis; ſequuntur diſſentanea, ſuntque argumenta ſimplicia, quæ inter ſe diſconveniunt, ſeu quo-

quorum unum notificat alterum vi diſconvenientiæ; adeoq; unum de altero negatur.

Hinc inter ſe ſunt æque manifeſta, alterumque ab altero æqualiter arguitur, tametſi ſua diſſenſione clarius eluceſcant, unde oritur antitheſis.

Diſſenſio eſt communis vel ſpecialis.

Communis eſt in contradictione.

Contradicentia ſunt diſſentanea quorum unum alterum negat ubique, ut homo, non homo: Deus non Deus.

Contradictio eſt unius diſſentanei de altero negatio infinita, generalis & confuſa. Eſtque omnium diſſenſionum prima, ſimpliciſſima, atque in iis ſemper incluſa,

Regulæ.

1. *Diſſentaneorum uſus conſiſtit in negatione; nam vi diſconvenientiæ ſe arguunt.*

Hinc ſi res aliqua eſt diſſentaneorum unum, non eſt alterum: Item quale & quantum eſt diſſentaneorum unum, tale & tantum non eſt alterum, ſcilicet quatenus diſſentanea ſunt. Sic rerum diverſa, diſparatarum diſparata, relatarum relata ſunt attributa & ſic deinceps. Itaque diſſentanea de ſe non affirmantur propriè,

priè, & quæ de ſe invicem affirmantur non ſunt diſſentanea.

2. *Æqualis diſſentaneorum notificatio ſummum habet in rerum cognitione uſum.*

Æqualis notificatio eſt quâ unum alteri æqualem lucem adfert, omnia quidem argumenta etiam conſentanea ſunt æquè nota quàm relata, attamen unum altero eſt illuſtrius. At diſſentanea quâ talia ſunt æque illuſtria, ſic tam clarum eſt hoc axioma, ſpiritus non eſt corpus, quàm illud, Corpus non eſt ſpiritus.

Hinc magna eſt illorum facilitas & efficacia, adeoque in praxi utiliſſimè adhibentur. Facilius enim cognoſcimus quid non ſit res, quàm quid ſit. Ità ſi puero tabulam prædicamentalem offeras, protinus infinita axiomata negantia eaque vera inveniet, ut Deus non eſt Angelus, non eſt corpus, non eſt cœlum, & ſic deinceps. Verùm non tam facile excogitabit affirmata, quibus Dei & Angeli, Dei & corporis, Dei & Cælo habitudinem exprimat, quare in omnium rerum præſertim obſcuriorum inventione, negatione omnium primò procedendum eſt: Quamvis in rerum inventarum traditione affirmantia axiomata ſint præferenda.

Niſi enim primò removeamus aliena, facile præcipitamus judicium. Atque hæc innata humano

humano ingenio ſuperbia, quâ, Dei inſtar, rerum naturas protinus per affirmationem cognoſcere ſatagens, corrumpit diſciplinas imprimis Phyſicam: ſic feliciùs in magnetis motus inveſtigatione verſabitur, qui primò perpenderit, quæ non ſunt ejus cauſæ, quæ non effecta, quæ non ſubjecta, quàm qui inſtar dictatoris alicujus cauſam definiverit.

Hinc oritur via negationis apud Theologos; quâ imperfectiones creaturarum removentur à Deo. Hinc plerique termini in generaliſſimis, divinis, ſpiritualibus, aliiſque ſubtilioribus, ſunt ſenſu negativi. Sic in regula falſi, negatione falſorum numerorum invenio verum.

Quare non eſt probanda illorum ſeveritas, qui omnes propoſitiones negantes ab artibus proſcribunt, quos ſi ſententiam mutare nolint, rogatos velim ut nobis de prædictis itemque de privationibus diſciplinas affirmatis axiomatibus conſtantes communicent. Fons autem hujus facilitatis eſt quod convenientiæ cognitio ſit difficilior, diſconvenientiæ facilior.

3. *Antitheſis eſt primus amplificationis modus, quo variorum diſſentaneorum conjunctione oſtenditur quid non ſit res.*

Hujus uſus ampliſſimus tam in profundis ſpeculationibus quem in patheticis orationibus,

bus, removet enim obſtacula quæ in intellectu, voluntate ac affectibus occurrunt, illaſque facultates inſtar machinæ expugnat.

4. *Contradictoria ſunt radix & menſura omnium reliquorum diſſentaneorum.*

Diſſentaneorum vis cognoſcitur in negatione. Illa negatio eſt generalis & naturâ clariſſima, ut contradictio: Vel ſpecialis, ut reliqua diſſenſionis genera Longè enim clariùs eſt hominem non eſſe non hominem quàm hominem non eſſe doctum, non eſſe avem.

Hinc negatio contradictoria ſub ſe complectitur omnes reliquas diſſentaneorum negationes: Sic non homo ſub ſe continet diverſa, diſparata, relata, adverſa & privantia hominis. Quod itaque dici ſolet contradictionem eſſe diſſentionem vel oppoſitionem fortiſſimam, id cum grano ſalis accipiendum eſt. Nam reliquæ oppoſitiones ſunt longè fortiores, ſic aliquid quod eſt non homo poteſt convenire homini, putà ejus proprietates: at diſparatum hominis non poteſt ei convenire, ideoque

5. *Omnia diſſentanea poſſunt ac debent reduci in contradicentia.*

Hæc analyſis mirificè facit examen propoſitionum: omnis enim falſitas oritur ex quadam

dam contradictione : ſed illa aliquando eſt expreſſa & manifeſta. aliquando implicita & occulta, quæ ad expreſſam eſt reducenda. Sic in omnibus diſſentaneis eſt quædam contradictio, ſed involuta, quia unus terminus alterius negationem in ſe includit : Clariſſimè autem hæc negatio apparet in contradicentibus, ita ut non niſi inſanus eam negare queat. Itaque negationum ſcala non minus eſt perpendenda, quàm affirmationum, ubi hoc eſt ſingulare; quod terminus affirmatus quò eſt generalior eò plura; quò ſpecialior eò pauciora ſub ſe contineat: Contra verò quò terminus negatus eſt generalior eò pauciora, quò ſpecialior eò plura comprehendat. Sic non ſubſtantia ſub ſe pauciora continet, quàm non Ariſtoteles, nam non Ariſtoteles etiam plurimas ſubſtantias comprehendit, quas non continet non ſubſtantia. Hinc peculiaris eſt ratio duorum primorum terminorum, ſcilicet ens non ens, inter quos eſt infinita diſtantia. Uſus hujus tabulæ eſt cor ingenii Logici, & plurimum facit ad acutam refutationem.

6. *Fallacia diſſentaneorum eſt triplex.*

1. Cùm non diſſentanea ponuntur pro diſſentaneis, ut ſi quis putet unitatem & trinitatem omni reſpectu eſſe diſſentanea.

2. Cùm diſſentaneorum modi confunduntur, ut cùm diverſa habentur pro diſparatis & contra.

3. Cùm

3. Cùm diſſentaneorum gradus confunduntur, ut cùm ſumma diſſentanea habentur pro remiſſè diſſentaneis.

• 7. *Fallacia contradicentium itidem eſt triplex.*

1. Cùm non contradicentia habentur pro contradicentibus, ut ſi quis putet contradicere ſibi Philoſophos, dum dicunt, materia prima eſt ens, materia prima non eſt ens.

2. Cùm contradictionis modi confunduntur, e. g. ſi contradictio explicita confunditur cum implicita: quæ confuſio parit illam tyrannidem quâ hodie in eccleſia protinus damnantur illi tanquam fundamenta religionis evertentes, qui in aliquibus diſſentiunt. Omnis quidem falſa propoſitio habet prædicatum ſubjecto contradictorium. Sed quia plerumque prædicata implicitè contradicunt, ſæpius ab aſſentiente non videtur contradictio, nam ſi eam videret, non aſſentiretur.

3. Cùm gradus contradictionis confunduntur, ut cùm contradictio ex hypotheſi, certa habetur pro contradictione ſimpliciter.

Caput XIV.

De diverſis.

Præcepta.

Diſſenſio ſpecialis eſt unius de altera ſpecialis ac diſtincta negatio: Ea occurrit in diverſis & oppoſitis.

Diverſa ſunt diſſentanea, quæ ità diſſentiunt, ut tamen inter ſe convenire queant.

Sunt itaque vel diſtincta tantùm, vel non unita quidem ſed tamen unibilia, i. e. talia argumenta. quæ quidem disjuncta ſunt, attamen ſuâ naturâ vel immediatè inter ſe, vel tertio cuidam jungi poterant, ſive ſint ſubſtantiæ, ſive ſubſtantia & accidentia, ſive denique accidentia.

Sic diverſa ſunt, corpus igneum non eſt terreum; ſpirituale non eſt corporale: Theologus non eſt Philoſophus, eruditio non eſt fortitudo.

Diverſa ſunt inſeparabilia vel ſeparabilia.

Illa ſunt quorum unum quidem non eſt alterum, non tamen poteſt eſſe ſine altero, ut ſunt ſubjecta & proprietates neceſſariò connexæ, e. g. homo & viſibilitas, riſibilitas, docilitas: Hæc ſunt quorum unum poteſt eſſe ſine altero, ut flavedo & dulcedo, nimirum cùm negativè enun-

enuntiantur, ut homo non eſt viſibilitas: riſibilitas non eſt docilitas.

REGULÆ.

1. *Certum diverſorum criterium eſt ſi disjuncta uni ſubjecto ineſſe poſſint.*

Magna eſt authorum varietas in definiendis diverſis, eorumque exemplis dijudicandis: Quidam enim tradunt ea demum eſſe diverſa, quorum unum de altero in caſu rectu affirmari poteſt: Itaque non rarò fieri quod concreta ſint diverſa, abſtracta autem diſparata: Sic dicunt Theologus & Philoſophus ſuut diverſa, Theologia autem & Philoſophia ſunt diſparata: Verùm hæc doctrina confundit diverſa cum oppoſitis, nulliſque diverſis applicari poteſt. Nam ſi Theologia & Philoſophia ſunt diſparata, utique diſparata adeoque oppoſita poterunt eidem attribui, ſecundum idem, ad idem & eodem tempore, nec poſſunt dicere, Inſignia victoriæ ſunt victoriæ: in mediâ morte teneri eſt abſtinere. Quamvis hæc ab ipſo Ramo pro diverſis habeantur. Nos itaque rectam rationem & experientiam ſecuti Diverſa ita definimus, ut ea omnia pro diverſis habeamus quæ uni ſubjecto ineſſe, hoc eſt, quorum vel unum alteri, vel utrumque tertiò ineſſe poteſt: priori modo diverſa ſunt, Abraham non fuit pauper, quia

quia paupertas ipſi convenire poterat: Poſteriori modo, Uliſſes non erat formoſus ſed facundus, quia & hæc & illa ipſi poterant ineſſe,

Itaque omnes illas ſubſtantias quæ inter ſe intrinſecè uniri poſſunt, dicimus diverſas: Uniri autem inter ſe poſſunt eæ, quarum ſaltem altera eſt incompleta, quarumque naturæ inter ſe non repugnant, Sic divina perſona & humana natura ſubſiſtentia carens non ſunt diſparata ſed diverſa, & in Chriſto conſentanea. illæ autem ſubſtantiæ ſunt oppoſitæ quarum vel utraque eſt completa, vel ſi aut utraque, aut alterutra ſint incompleta, naturarum tamen proprietates ac operationes ità inter ſe repugnent, ut intrinſecè ſubordinari vel coordinari nequeant.

Cæterùm quia diverſa ſunt diſſentanea nunquam ea pro diverſis ſunt habenda quæ de ſe invicem affirmantur, e. g. Etſi ſit Theologus tamen eſt Philoſophus; Quamvis ſit Comes Flandriæ eſt tamen Rex Hiſpaniæ; hæc ſunt conſentanea non diverſa.

2. *Etſi primarius diverſorum uſus conſiſtat in explicatione & amplificatione: habent tamen vim probandi,*

Excellunt in rerum diſtinctionibus, faciunt enim ne conſentanea confundamus, vel inter ſe opponamus. Quod verò vim probandi habeant ſatis ntelligitur ex illo principio, quæ

 in

in uno tertio non conveniunt, ea inter ſe non conveniunt.

Itaque ſi agatur de rerum diſtinctione, & diverſa abſtracta aſſumantur, poteſt ex iis concludi in omnibus figuris negatè: Negatè quia diſſentanea ſunt, e. g. nulla diſciplina ſolis naturæ viribus nitens eſt Theologia; Ethica non eſt Theologia: nullus intellectus humanus determinat ſeipſum: omnis voluntas humana eſt intellectus humanus. Si verò agatur de diverſorum ſeparatione, & aſſumantur diverſa concreta, poteſt tantum concludi particulariter: Ut, Uliſſes non eſt formoſus: Uliſſes eſt facundus: Ergo quidam facundus non eſt formoſus. Salomon non fuit caſtus, Salomon fuit ſapiens, ergo, Sed de his plura in modis ſyllogiſmorum.

5. *Fallacia Diverſorum eſt triplex.*

1. Cùm non diverſa habentur pro diverſis. Id fit duobus modis. 1. Cùm intimè conſentanea habentur pro diverſis, ut, ſi dicas, etſi Chriſtus ſit verus Deus, tamen non eſt æternus. 2. Cùm oppoſita habentur pro diverſis, ut, etſi Chriſtus ſit verus Deus, non eſt tamen Deus factus.

2. Cùm diverſorum modi confunduntur: ut cùm ratione tantùm diverſa, habentur pro diverſis reipsâ, ut cùm unitas, & veritas entis habentur pro realiter disjunctis.

3. Cùm diverſorum gradus confunduntur.

CAP.

Caput XV.

De diſparatis.

Præcepta.

Oppoſita ſunt diſſentanea quæ ità diſconveniunt, ut inter ſe convenire ſeu uniri nequeant. Ea in genere ſunt immediata vel mediata. In ſpecie ſunt diſparata vel contraria.

Diſparata oppoſita ſunt quorum unum multis pariter opponitur.

Talia ſunt multæ ſpecies aut individua ejuſdem generis, ſi nimirum ſuâ naturâ inter ſe uniri nequeant, ut, homo, lapis, arbor, tactus, infidelitas, charitas.

Regulæ.

1. *Oppoſita non poſſunt eidem tribui, ſecundum idem ad idem, iiſdemque circonſtantiis.*

Hæ ſunt leges oppoſitionis, quarum vel unicâ violatâ perit oppoſitio, ſuntque argumenta conſentanea, unde oritur artificium diſtinctionis.

Per idem ſubjectum intellige idem numero non verò ſpecie aut genere,

Secundum idem, i.e. ſecundum eandem partem.

Ad Idem, eodem reſpectu & modo. Denique iiſdem circonſtantiis, eodem tempore & loco; quod ſi vel unica harum conſiderationum varietur, cadit naturalis oppoſitorum repugnantia. Sunt quidem qui diſparata quædam excipiunt, ut pietas & fortitudo juxta eos ſunt diſparata, attamen eidem ſubjecto convenire queunt. Verùm hæc talia non ſunt diſparata, ſed tantùm diverſa, ut ſuprà oſtendimus,

Quamvis autem oppoſita non poſſint convenire eidem, tamen oppoſitis convenire poſſunt eadem: ſic ſiccitati & humiditati convenit quod ſint entia, accidentia, qualitates, & quidem patibiles.

Itaque oppoſitio non eſt inſtituenda in communibus, ſeu quatenus conſentanea ſunt, ſed in propriis, quatenus oppoſita ſunt. Itaque ſi res eſt oppoſitorum unum non poteſt eſſe alterum, & quale & quantum eſt unum, tale & tantum non eſt alterum: Ut, ſi eſt homo, non eſt Leo: ſi homo eſt animal perfectiſſimum, Leo non eſt animal perfectiſſimum.

2. *Medium oppoſitorum eſt negationis vel participationis.*

Oppoſita aut admittunt aliquod tertium aut non

non admittunt : ſi non admittunt ſed univerſam rerum naturarum in duas adæquatas partes dividunt, dicuntur immediata: ſic ens eſt dependens vel independens, ſubſtantia & accidens, ſunt oppoſita immediata. Si oppoſita admittunt tertium aut in illo tertio conveniunt extremo, ut color albus, rubeus, niger: calor, tepor, frigus: diciturque medium participationis: aut non conveniunt, ut albedo, tepor, nigredo: calor, rubedo, frigus: diciturque medium negationis.

Diſtinctionis hujus uſus eſt inſignis in remotione oppoſitorum: Nam ſi res non eſt unum oppoſitorum immediatorum, neceſſariò eſt alterum: ut, ſi lux primigenia non eſt accidens, erit ſubſtantia: At non ſequitur in oppoſitis mediatis, thema non eſt hoc oppoſitum, ergo eſt illud, poteſt enim eſſe tertium, quartum, quintum, ſextum &c.

3. *Diſparatorum uno affirmato negantur alia, ſed uno negato non protinus affirmatur quodvis, omnibus tamen aliis ſemel negatis affirmatur reliquum.*

Ità valet: Cometa eſt ſtella, ergo neque igneum, neque aereum eſt meteorum: At non valet. Cometa neque eſt aliquis ex veteribus planetis, neque ex ſtellis fixis, ergò eſt fumus: datur autem tertius novus planeta, datur quarta nova ſtella, quæ neque planeta vulgari ſenſu

dictus, neque ſtella fixa ſit: at rectè concluditur: Cometæ, Planetæ non admittunt ut ſint meteora, vel ſtellæ veteres, vel earum conjunctiones vel nudè apparentia; Ergo ſunt novæ ſtellæ: ratio conſequentiæ patet ex diſparatorum definitione, ſunt enim oppoſita quorum unum multis pariter opponitur, i. e. quorum unum alteri ità repugnat, ut eodem oppoſitionis genere adhuc tertio vel quarto opponi queat. Sic piſcis opponitur plantæ ac auro, quia æque impoſſibile eſt ut piſcis ſit planta, atque ut ſit aurum: Quod ut clarius ſit, conabimur diſſentaneorum naturam ſimili à ſitu corporum ſumpto illuſtrare; ſicut ſupra in conſentaneis factum eſt.

Diſſentanea ſunt quaſi corpora in diverſis locis exiſtentia, ſeu disjuncta & diſtantia. Jam concipiamus Sphæram in eâque varia corpora collocemus.

Primò generaliter dico corpus hoc non eſt ibi, ubi eſt illud: hæc exprimunt naturam contradicentium. Deinde ſpecialiter, hoc corpus non eſt quidem ibi, ubi eſt illud: poterat tamen eſſe: hæc ſunt diverſa: pergo; Hoc primum corpus tam longè diſtat à ſecundo, quantum à tertio, ut corpus A ſit in media circunferentia & B in 9. gradu ſuperioris quadrantis, C in 9, gradu quadrantis inferioris: hæc ſunt diſparata.

Itaque, ut rectè dico: hoc corpus eſt in primo gradu

gradu, ergo non eſt in nonageſimo : non autem rectè; hoc corpus non eſt in 90. ergo in primo, poteſt eſſe in ſecundo ,tertio & vigeſimo.

Denique ſicut bene dico, hoc corpus neque in hoc,neque in illo gradu eſt,eundo per omnes gradus, excepto uno: Attamen eſt in Sphærâ: Ergo neceſſariò eſt in reſiduo, Sic quoque modo ſupra dicto concludo ex diſparatis. Ex quibus omnibus clariſſimè patet, quàm malè de diſciplinis mereantur illi, qui mutilis inductionibus utuntur, qui nimirum ex ſuis imperfectis tabulis prædicamentalibus rerum naturam condere, corrigere vel minuere ſatagunt. Sic infinitas qualitates in naturâ reconditas negant, quia eas in ſuis tabulis non inveniunt. Non minus ridiculè, ac ſi Piſces volantes ex naturâ proſcripſiſſent, quia nimirum in tabulis non reperiebantur, ſed Philoſophi officium eſt tabulas quotidianâ experientiâ ditare, corrigere, & quoad fieri poteſt perficere.

4. *Fallacia oppoſitorum in genere eſt triplex.*

1. Cùm non oppoſita, putà conſentanea vel diverſa, habentur pro oppoſitis, ut cùm interna ac efficax vocatio ad ſalutem, fingitur à quibuſdam tollere vocationem externam : hæc fallacia ſemper committitur cùm leges oppoſitionis violantur.

2. Cùm modi oppoſitorum confunduntur, ut cùm mediata habentur pro immediatis: non eſt albus, ergo niger.

3. Cùm oppoſitorum gradus confunduntur, ut cùm oppoſita remiſſa habentur pro intenſis, ut David peccavit, ergo amiſit fidem: nam in gradibus remiſſis non ſunt oppoſita ſed diverſa, poſſuntque eſſe conſentanea.

5. *Fallacia diſparatorum itidem triplex eſt.*

1. Cùm non diſparata habentur pro diſparatis, ut cùm natura divina & humana dicuntur eſſe diſparata.

2. Cùm modi diſparatorum confunduntur, ut cùm diſparata quæ unum habent medium, confunduntur cum diſparatis duorum, trium mediorum: quæ fallacia committitur in inſufficienti inductione. Item cùm diſparata naturalia confunduntur cùm moralibus, ut cum Aſinus & Bos negantur eſſe diſparata, quia unus idemque homo poſſidet Aſinum & Bovem.

3. Cùm diſperatorum gradus confunduntur, ut planta, aurum, argentum ſunt diſparata: Ergo non magis argentum poteſt immutari in aurum, quàm aurum in plantam.

Caput XVI.

De Relatis.

Præcepta.

Contraria ſunt oppoſita quorum unum uni tantùm opponitur: ſeu quorum oppoſitioni non datur ſimilis, ſimilitudine ſcilicet ſpecificâ vel genericâ.

Hinc contraria juxta ſe poſita clariſſimè eluceſcunt.

Contraria ſunt affirmantia vel negantia.

Affirmantia ſunt quorum utrumque affirmat, i. e. quorum utrumque eſt terminus poſitivus: hæc eſt affirmatio topica ſeu incomplexa, non axiomatica ſeu complexa.

Contraria affirmantia ſunt relata & adverſa.

Relata ſunt contraria affirmantia, quorum unum conſtat ex mutuâ alterius affectione, ut pater non eſt filius, nec tamen poteſt eſſe ſine filio: Dominus non eſt ſervus, nec tamen poteſt eſſe ſine ſervo, ſic Maritus & Uxor: frater & frater, hoſpes & hoſpes ſunt relata.

Relata ſunt æquiparantiæ, æqualia, ut condiſcipuli, vel diſquiparantiæ, inæqualia, ut præceptor & diſcipulus.

REGULÆ.

1. *Contrariorum contraria ſunt conſequentia, id eſt contraria cauſæ, effecta, ſubjecta, & ſic deinceps, nimirum qua contraria ſunt, & pariter ſe habent.* Sumimus autem contraria non ſtrictè pro adverſis tantùm, ſed generaliter. Eorum mutua notificatio eſt illuſtrior, quia intra duo continetur, etſi enim unus Rex pluribus ſubditis, unus pater pluribus liberis, unus frater pluribus fratribus, una virtus duobus vitiis opponatur, tamen ſemper eſt ejuſdem generis relatio, licèt varia ſint numero.

Itaque poſito uno contrariorum negatur alterum, & negato uno, ponitur alterum in ſubjecto habili, ut ſi homo videt non eſt cæcus: &, ſi non eſt cæcus videt. In contrariis autem mediatis hoc non procedit, quia ſunt diſparata accuratè loquendo.

2. *Relata ſunt ſimul natura, cognitione ac conſecutione.*

Mirabilis eſt relatorum natura, ſummam enim rerum convenientiam ac differentiam ſimul includunt, hinc in ente quoque perfectiſſimo, Deo, relativa oppoſitio locum habet. Non ſecus ac in ſphærico non poteſt eſſe connexum niſi ſit concavum, & viciſſim.

Sunt

Sunt autem relata quâ talia ſimul naturâ non quatenus aliorum argumentorum affectiones induunt. Sic pater quâ pater eſt ſimul naturâ cum filio, ſed non quà res abſoluta. Nam eſſentia relatorum conſiſtit in eorum coexiſtentia; hinc ſunt ſimul cognitione, neque enim diſtinctè poteſt cognoſci unum, niſi cognoſcatur ejus correlatum: quæ mutua notificatio omnium excellentiſſima eſt in perſonis S. S. Trinitatis.

Denique hinc fluit mutua conſecutio relatorum, ut, ſi res aliqua eſt pater, aliqua quoque res erit filius, & contra: ſi res aliqua non eſt pater, neque res aliqua erit filius: ſi patris proprium eſt generare, filii proprium erit gigni, confer doctrinam de connexis, Cap. 12. hujus Libri.

3. *Fallacia relatorum triplex eſt.*

Cùm non relata habentur pro relatis, ut cùm Papa dicitur ſponſus Eccleſiæ.

2. Cùm relatorum modi confunduntur. Ut ſi concludatur, Dominus non poteſt eſſe ſine ſervo; Ergo tantus honos debetur ſervo quantus Domino.

Cùm relatorum gradus confunduntur, ut ſi quis putet tantam fuiſſe relationem inter Iſmaelem & Abrahamum, quanta fuit inter illum & Iſaacum, ſi Bilha habeatur pro tam perfecta conjuge Jacobi, ut Rachel.

CVPUT XVII.

De Adverſis.

ADverſa, Peripateticis contraria per excellentiam, quæ ſibi è diametro abſolutè opponuntur, id eſt ſub eodem genere maximè diſtant.

Talia ſunt ſpecies oppoſitæ per omnia prædicamenta, ut, homo & brutum, linea recta & curva, numerus par & impar, calor & frigus; Monarchia & Poliarchia; calefactio & frigefactio: externum & internum: Dies & nox: ſurſum & deorſum: togatus ſagatus,

REGULÆ.

1. *Contrarietas ſumitur generaliter & ſpecialiſſimè.*

Generaliter pro genere Relatorum, Adverſorum, & Privantium, nimirum pro iis argumentis, quorum diſtantia talis eſt, ut ei par non detur.

Specialiter ſumitur pro diſtantia diametrali, ſub eodem proximo vel remoto genere maximè: Atque ſic vagantur per omnia prædicamenta: Nam contrarietas & expulſio dicit vel coexiſtenti impoſſibilitatem, ſubſtantiæ & qua-

qualitates quoque ſibi ſunt contrariæ, vel ſpecialiſſimè ſignificat expulſionem effectivam, quæ propria eſt qualitatum, ac per eas convenit ſubſtantiis aliiſque.

2. *Fallacia Adverſorum eſt triplex.*

1. Cùm non adverſa habentur pro adverſis, ut cùm ſpecies intentionales ſeu intelligibiles & inſenſiles habentur pro contrariis.

Cùm adverſorum modi confunduntur: ut cùm contrarietas formalis confunditur cùm effectivâ.

3. Cùm adverſorum gradus confunduntur, ut cùm peccatum actuale etiam grave, tam adverſum ſtatuitur fidei habituali, ut non poſſint ſimul in eodem homine conſiſtere.

CAPUT XVIII.
De Privantibus.

Contraria negantia ſunt quorum alterum ait, alterum negat idem. Dicuntur privantia.

Privantia ſunt quorum alterum affirmat, alterum negat habitum in ſubjecto habili ſeu capaci.

Habitus eſt res poſitiva alicui rei ſeu ſubjecto non repugnans, ſeu quæ ſubjecto naturæ vel intel-

intelligentis alicujus ordinatione ineſt, ſive omni tempore & loco, ſive certo demum ſtatu poſito inſit.

Privatio eſt habitûs abſentia ſeu negatio: ſic privantia, viſus & cæcitas, auditus & ſurditas, libertas & ſervitus, divitiæ & paupertas.

Privatio eſt Phyſica quæ præcedit habitum: vel Logica ſtrictè dicta, quæ eum ſequitur. Illa eſt abſentia habitus futuri, ſic privatio pulli eſt in ovo: ſic primæ tenebræ erant privatio futuræ lucis. Hæc vel actu vel ordine naturæ præteriti: ſic claudicatio eſt privatio congrui inceſſus. Eſtque totalis vel partialis: illa potentiam & actum, hæc tantùm actum tollit.

REGULÆ.

1. *Habitus hic generaliſſimè ſumitur pro quacunque re poſitivâ alii indita vel addita ſive à Deo, ſive à natura, Angelis vel hominibus addatur: hinc per omnia prædicamenta ſpargitur habitus hoc modo ſumptus: frequentes autem ſunt habitus* Oeconomici, *Politici, Eccleſiaſtici & Scholaſtici.*

2. Cùm

2. *Cùm privatio ſit negatio per ſe non erit efficax.*

Negatio enim eſt non ens, dico per ſe, verum habitui ac facultatibus conjuncta varios exercet effectus. Sic ſola cæcitas, ſurditas, infirmitas in Phyſicis nihil efficeret, niſi aliæ eſſent in corpore naturali vires.

Deinde nuda quoque privatio poteſt exercere influxum moralem, quatenus impellit cauſas intelligentes, ut hoc vel illud faciant: ſic peccatum originale & vitia moralia producunt multos effectus.

Sic mors Chriſti nos liberat à morte æternâ, quatenus eſt cauſa impulſiva: ſic crimina producunt ſupplicia poſitiva, quatenus impellunt judicem ad exercendam juſtitiam vindicativam.

3. *Cùm negatio ſit proportio, habitus erit ipſi proportionalis.*

Privatio eſt quædam, ut ità dicam, proportionalis diſpoſitio, ſic umbra eſt proportionalis lucido.

Hinc pertinet ad eandem diſciplinam ac prædicamentum ad quam vel ad quod pertinet habitus.

Sic habitus Theologici, Theologica; Juridici, Jurdica; Medici, Medica eſt privatio: Unde etiam privatio definitur mentione ſubjecti & habitus.

4. *A Privatione partiali ad habitum, facilis: à totali difficilis, multiſque impoſſibilis eſt regreſſus.*

Privatio partalis eſt quæ actum ſeu habitum: Totalis quæ & habitum & ejus cauſas tollit, ut ſuffuſio vel glaucoma eſt privatio viſus partialis: ſed oculi vel viſivorum ſpirituum amiſſio eſt totalis.

Poteſt autem à privatione totali ad habitum dari regreſſus vi cauſę primę,i. e. vel totam naturę vim,vel univerſę ſocietatis ordinē virtualiter in ſe continentis. Sic Deus poteſt reſuſcitare mortuos, poteſt transferre hominem ex regno tenebrarum in regnum lucis. Sic primus magiſtratus poteſt hominem condemnatum priſtinæ dignitati civiliter reſtituere; ſpuriū legitimare. Hic nota quod in crimine læſæ Majeſtatis unico malo actu poteſt tolli habitus, quia tam atrox eſt ut ſummam partem, omnemque ordinem velit evertere. Sic unum peccatum ſuſtulit juſtitiam originalem: unico actu rebellionis amittuntur omnia jura & privilegia.

5. *Fallacia privantium eſt triplex.*

1. Cùm non privans ponitur pro privante, ut cùm ſimplex mendacium habetur pro privatione: ſic errant illi qui inferunt, Deus non dedit Adamo auxilium ut perſeveraret: Ergo eum privavit viribus, illud enim auxilium erat indebitum.

2. Cùm

1. Cùm privantium modi confunduntur, ut ſi privationi Phyſicæ infligeretur pœna moralis.

3. Si privantium gradus confundantur, ut ſi dicas David fuit adulter, ergo infidelis, erat privatio actus, non habitus.

CAPUT XIX.

De Paribus.

PRÆCEPTA.

Hactenus de argumentis ſimplicibus: ſequitur comparatum, quod mediante tertio thema notiſicat.

COmparata itaque ſunt quæ in tertio conferuntur.

Ea conſiderantur vel in genere vel in ſpecie.

In genere quoad communes diviſiones & affectionem.

Communis comparatorum affectio eſt quod comparationis naturâ ſint æque nota; quamvis alterum altero alicui notius eſſe queat. Hinc etiam ficta arguunt: Ex iis oritur ſecundus amplificationis modus, ſyncriſis ſeu comparatio per exellentiam ſic dicta.

Com-

Comparatio in genere eſt 1. convenientiæ ſeu identitatis: vel diſconvenientiæ ſeu diverſitatis.

Comparatio convenientiæ nititur hoc principio, quæ in uno tertio conveniunt, ea conveniunt inter ſe. Et comparatio diſconvenientiæ iſto, quæ in uno tertio non conveniunt ea non conveniunt inter ſe; Deinde Comparatio eſt explicata vel contracta.

Explicata eſt quæ extrema ſeorſim cum tertio confert, ideoque conſtat protaſi ſeu propoſitione, parte antecedente; & apodoſi. ſeu redditione, parte conſequente, ut, ſicut Luna lumen à Sole, ità Eccleſia omnem perfectionem à Chriſto accepit.

Contracta comparatio eſt quæ extrema ſimul confert in tertio: ea vel notis indicatur, ut improbus eſt inſtar glumæ: vel ſine notis effertur, ut homo eſt bulla. Poteſt autem ex qualibet comparatione explicata fieri contracta, & viciſſim ex qualibet contractâ explicata.

Comparata in ſpecie ſunt in quantitate vel qualitate.

Illa ſunt quæ conferuntur inter ſe ratione gradûs.

In quantitate ſunt paria vel imparia.

Paria ſunt quorum quantitas eſt eadem: talia ſunt quibus eadem magnitudo, vel idem numerus attribuitur, ut tanta fuit Pauli authoritas quanta Petri.

Tan-

Tanta eſt nox longiſſima, quantus dies longiſſimus. Tot fuerunt Apoſtoli, quod Tribus Iſraelis.

REGULÆ.

1. *Tertium eſt baſis ac norma omnis comparationis.*

Argumenta abſoluta ſunt quæ ſe immediatè reſpiciunt, conparata mediatè: quorum natura in tertio tanquam in ſpeculo elucet. Nam quia mens noſtra à ſenſibus incipit, ideò cùm res ſibi invicem immeditatè applicare nequit, utitur quaſi menſurâ quâdam, quâ extremis applicatâ, ea inter ſe conferendo veluti metitur. Itaque tertium eſt centrum comparationis. Tot autem poſſunt eſſe tertia quot ſunt termini Encyclopædiæ, excellunt tamen Metaphyſici & generaliores: Eſt autem tertium vel explicitum, ut juſtus inſtar palmæ floret, vel implicitum ſeu involutum, ut juſtus eſt palma.

Deinde tertium eſt ſimplex, ut quando duo in uno termino tantum conveniunt, ut ſtultus mutatur ſicut Luna; vel combinatum quando extrema in pluribus conveniunt, ut, Chriſtus eſt Agnus.

Denique tertium eſt mediatum, vel immediatum, ut, A æquatur B B, ut pondus æqua-

tur

tur pondere, B æquatur C, C æquatur D: Ergo A æquatur D; quæ tertiorum continuatio non ſolum in matheſi; ſed in omnibus diſciplinis inſignem habet uſum. Cùm autem comparata in tertio conferantur, ſaltem ratione diſtinguantur oportet, licèt non ſemper re ipſâ, ut tanta eſt Dei eſſentia, quanta eſt ejus perfectio: poſſunt autem inter ſe conferri, non ſolùm termini ſimplices, ſed etiam propoſitiones imprimis ratione probabilitatis, ſeu veritatis.

2. *Comparatio eſt nobiliſſimum inſtrumentum amplificationis.*

Comparatio ſtrictè ſumpta eſt argumentorum in variis tertiis collatio, ejus vis in eo excellit quod ex noto ignotum, ex notiore doceat ignotius. Itaque ſi noverim unum, ſciamque quale ſit comparatum reſpectu alterius, novero & alterum: Hinc etiam ficta comparata explicant, probant & amplificant.

Eſt autem comparationis uſus non ſolùm in popularibus & exotericis, ſed etiam in ſubtilioribus & Heroamiticis, quod vel ſola Hebræorum, Chaldæorum, Judæorum, Ægyptiorum omniumque ſapientiſſimarum gentium praxis nos docere poterit. Sic in Metaphyſicis diſtinctione abſtractiones, compoſitiones aliaque entia rationis, nos in cognitionem rerum aliàs inexplicabilium deducunt. Sic ſacra

cra ſcriptura frequentiſſimè utitur typis, allegoriis, parabolis, ſimilibuſque comparationis modis. Sic in Arithmeticis regula falſi, ut Algebra procedit ex fictis: ſic Juriſprudentia ſuas habet fictiones.

3. *In diviſione comparatorum, quantitas & qualitas generaliſſimè ſunt intelligendæ.*

Cum duo Corpora inter ſe conferimus vel comparamus ea ratione quantitatis, ſcilicet magnitudinis & numeri, vel ratione figuræ: Illa comparatio perpendit eorum differentiam & rationem: hæc ſimilitudinem ſeu proportionem: ſic quoque mens noſtra res ſimiles inter ſe confert; itaque quantitas & qualitas hîc non ſolum vagantur per omnia prædicamenta, ſed etiam per ipſa tranſcendentia, ut quanta rei eſt eſſentia, tanta eſt ejus perfectio: qualis eſt rei veritas, talis quoque ejus bonitas.

4. *De paribus par judicium ferendum eſt.*

Si eſt par unum, erit etiam par alterum, modo graduque pari, Hinc tria oriuntur principia ex quorum combinatione poſſunt inveniri infinita.

1. Si duo pariter inſunt uni, ſi ineſt unum, inerit & alterum: ut ſi ſpiritus Sanctus eſt omniſcius, erit quoque æternus. Si Chriſtus habet

habet æqualem cum patre honorem, habet quoque æqualem dignitatem.

Si autem unum non ineſt, nec inerit alterum: ut ſi humanæ Chriſti naturæ non eſt communicata æternitas, ergo nec ubiquitas: Si papa non habet poteſtatem deſtruendi in infernum: Ergo nec eripiendo.

2. Si unum duobus pariter ineſt, ſi ineſt uni inerit & alteri: Si Abraham credens habuit ſpem vitæ æternæ, eandem quoque reliqui fideles in Vet. Teſt. habuerunt.

Si autem uni non ineſt, nec inerit alteri: ut ſi Abraham non fuit juſtificatus operibus: Ergo nec reliqui.

3. Si duo duobus pariter inſunt, ſi unum ineſt uni, alterum quoque inerit alteri. Ut ſi infantes potuerunt circumcidi in Vet. Teſt. poterunt etiam baptizari in Nov, Teſt.

Si autem unum non ineſt uni, nec alterum inerit alteri, ut ſi incircumciſo in Vet, Teſt. non licuit comedere Paſſcha: Ergo nec in novo licebit non baptizato accedere ad ſacram cœnam.

Huc pertinet parium contrariorum pertractatio: ut ſi domini eſt imperare, ſervi erit parere,

Sic quoque par pari reponitur i. e. opponitur; ſi tu tibi æqualem non vis arbitrum, nec tibi æqualis te volet.

Fal-

5. *Fallacia comparatorum in genere eſt.*

1. Cùm non comparata habentur pro comparatis: hoc ſemper fit quando comparatio non obſervat tertium: Chriſtus eſt Agnus: Ergo eſt quadrupes.

2. Cùm Comparatorum modi confunduntur, ut cùm paria habentur pro ſimilibus, vel è contra, ut erimus ἰσάγγελοι: Luc. 20. 37. Ergo nulla habebimus corpora.

3. Cùm Comparatorum gradus confunduntur, ut cùm paritas reſpectu unius tertii habetur pro paritate omnimoda, ut miniſtri verbi Dei æque ſunt ſervi Chriſti ac Apoſtoli: Ergo æque poſſunt condere canonem ſcripturæ,

6. *Fallacia parium itidem eſt triplex.*

1. Cùm non paria habentur pro paribus: ut ſummus Sacerdos in V. Teſt. prę erat omnibus Sacerdotibus: Ergo Papa in Nov. Teſt, præerit omnibus paſtoribus.

2. Cùm parium modi confunduntur, omnes fideles æque erunt beati vel æqualiter, confundit rem cum gradu.

3. Cùm parium gradus confunduntur, Uterque eſt ejuſdem ſtaturæ: Ergo & ætatis: confunditur paritas limitata cum paritate omnimoda.

Caput XX.
De Imparibus.

Præcepta.

Imparia ſunt quorum quantitas eſt diverſa.

IMpar eſt Majus vel minus.

Majus eſt cujus quantitas excedit, ſeu quod eſt perfectius: ut Deus perfectior omni creaturâ.

Minus eſt cujus quantitas exceditur, ſeu quod eſt imperfectius: Ut corpus eſt ignobilius ſpiritu. Sumitur autem perfectionis & imperfectionis nomen generaliſſimè,

Regulæ.

1. *De Imparibus impar judicium eſt ferendum.*

Alii hîc reſpiciunt ad imparitatem rerum, alii ad imparitatem rationis ſeu probabilitatis: illud nobis videtur accuratius atque utilius quàm hoc.

Impar autem Judicium de Imparibus feremus, ſi imparibus cauſis impares effectus: imparibus;

paribus ſubjectis: imparia adjuncta, & ſic deinceps prudenter attribuamus.

Quod ſi de duarum rerum imparitate judicandum ſit omnia attributa erunt perpendenda, eaque inter ſe accuratè conferenda, non unum aut alterum arripiendum.

Datur enim quædam imparitatis compenſatio, vel paritatis, reſpectu aliorum attributorum. Sic ridiculus eſſet diſcurſus, quò quid durabilius eò præſtantius: Ergo quercus præſtat homine. Hinc ſalutaris illa formula, Cæteris Paribus &c.

2. *Si alicui competit imparitas major, competit etiam rei ejuſdem generis imparitas minor ſaltem æquipollenter.* i. e: ſi ſuperlativa, etiam comparativa & poſitiva: & contra, ſi ei non competit imparitas minor, i. e. comparativa vel poſitiva, nec major ejuſdem generis, ſuperlativa. Ut ſi aliquis perfectiſſimus eſt, etiam perfectus erit: Si quis eſt miſerrimus, erit etiam miſer. Contra, ſi aliquis non eſt perfectus, neque erit perfectiſſimus: ſi quis non eſt miſer, neque erit miſerrimus.

3 *Si majori competit minoritas, competit etiam minori. Et ſi majoritas ipſi majori non competit, neque competit minori.* Intellige majoritates & minoritates ejuſdem

generis, ſeu ſubordinatas, ſecus mutatur tertium, omniſque argumentatio eſt fallax: Rectè igitur concluditur, Criſtus fuit obnoxius multis paſſionibus. Ergo multò magis Diſcipuli, Angeli non capiunt multa myſteria: Ergo nec nos in hâc vitâ. Item ſi ſanctiſſimi quique non potuerunt juſtificari ſuis operibus, quomodo nos juſtificabimur? Si ne Angeli quidem ſint exleges, quomodo homines erunt?

4. *Si minori competit majoritas competit etiam majori.* Ut, ſi Deus curam gerit florum & paſſerum: Ergo multò magis hominum: Ergo multò magis fidelium: Si plebs gaudet libertate: Ergo & Patres. Item, ſi ne pulviſculum quidem Deus fruſtra condidit. Ergo multò minùs hominem. Si ne viliſſimus quidem ex plebe ſine proceſſu ordinario condemnandus: Ergo multò minns Princeps de Repub. optimè meritus.

Poſſunt autem hi canones combinatione multiplicari, ut ſi majori ineſt majoritas maxima: minori etiam inerit minoritas minima: Et ſi ne poſitiva quidem majoritas majori ineſt, neque comparativa, neque ſuperlativa inerit minori,

5. *Fallacia majorum eſt triplex.*

1, Cùm non majora habentur pro majoribus, ut cùm publicis privata, æternis caduca præferuntur.

Cùm

2. Cùm majorum modi confunduntur, ut cùm in proſopolepſia, majoritas perſonæ, habetur pro majoritate cauſæ.

3. Cùm majorum gradus confunduntur, ut cùm duplò majus habetur pro triplo, quadruplo majori.

6. Fallacia minorum itidem eſt triplex.

1. Cùm non minora habentur pro minoribus, ut cùm Politiei in civilibus ſubjiciuntur Eccleſiaſticis; abſurdum eſt, ſi æqualia habentur pro minoribus; ſed longè abſurdius ſi majora habentur pro minoribus. Ut ſi Imperator Romanorum ſubjiciatur Papæ.

2. Cum minorum modi confunduntur, ut, ſi minoritas externa & reſpectiva, confundatur cum internâ & abſolutâ. Ut, hæc ſtella apparet minor iſtâ: Ergo eſt. Hic Rex habet veſtem viliorem quàm ille Rex: Ergo eſt minor. Chriſtus minor eſt Patre ratione officii, ergo etiam quoad naturales proprietates eo eſt minor.

3. Cùm minorum gradus confunduntur. Nos ſumus minores Sanctis: Ergo tantum ut ſint noſtri mediatores. Nos ſumus indoctiores patribus. Ergo tantò ut nos debeamus ab ipſorum ſcriptis pendere.

CAPUT XXI.

De Similibus.

PRÆCEPTA.

Comparata in qualitate ſunt quæ inter ſe conferuntur ratione modi. Suntque Similia vel Diſſimilia.

SImilia ſunt quorum qualitas eſt eadem.

Similitudo eſt contracta vel explicata.

Contracta plerumque eſt in Metaphoris, ut Chriſtus eſt vitis.

Explicata eſt reciproca, eſtque continua vel disjuncta. Illa quando ut primus terminus ſe habet ad ſecundum, ſic ſecundus ad tertium: ut ſicut 2. ad 4. ità 4, ad 8. ſicut Lex præeſt Magiſtratui, ſic Magiſtratus præeſt Populo. Itaque reciprocè ſeu inversè, ſicut ſe habent 8. ab 4. ſic quoque 4. ad 2. Ut Populus debet obedire Magiſtratui, ſic Magiſtratus debet obedire Legi.

Similitudo disjuncta eſt quæ conſtat terminis quatuor reipſa diſtinctis, quorum ut primus ſe habet ad ſecundum: ita tertius ſe habet ad quartum,

Itaque omnis proportio directa eſt etiam inverſa vel alternata.

Directa

Directa eſt prima terminorum collatio: ut ſicut ſe habent 2. ad 4. ita ſe habent 3, ad 6. ſicut habet Nauclerus ad Navem, ſic ſe habet Princeps ad Rempublicam.

Inverſa Analogia ἐναλλαγή eſt commutatus ordo vel partium propoſitionis & redditionis: vel ipſorum terminorum, ut, ſicut 3, ad 6. ſic 2. ad 4.: ſicut 4. ad 2. ſic 6. ad 3.: ſicut 6 ad 3. ſic 4. ad 2. Ut Princeps ad Rempub. ſic Nauclerus ad Navem: Ut Navis ad Nauclerum, ſic Reſpub. ad Principem: Ut Reſpub. ad Principem, ſic Navis ad Nauclerum.

Alterna Analogia eſt cùm antecedens propoſitionis conſequenti redditionis comparatur: habetque locum indirectè, ut ſicut 2. ad 3. ſic 4. ad 6. Ut Nauclerus ad Principem, ſic Navis ad Rempublicam, & etiam inverſa ut, ſicut 3 ad 2. ſic 6. ad 4, ſicut 4. ad 6: ſic 2. ad 3. ſicut 6. ad 4, ſic 3. ad 2. Ut ſicut Princeps ad Nauclerum, ſic Reſpublica ad Navem: Sicut Navis ad Rempublicam, ſic Nauclerus ad Principem. Sicut Reſpublica ad Navem, ſic Princeps ad Nauclerum.

Hæc proportionum permutatio magnum præſtat uſum in multiplicatione cogitationum, præſertim in typicis Mathematicis.

Re-

REGULÆ.

1. *Similia non ſolùm clariſſimè explicant, ſed etiam firmiſſimè probant.*

Similium qualitas tam latè ſumitur ut per omnes terminos tranſcendentales vagetur. Sic creatura eſt ſimilis Deo: ſimile generat ſibi ſimile: duo homines ſunt officio ſimiles.

Uſus itaque ſimilium latiſſimè patet, quem nimis reſtringunt illi, qui omnem probationis vim ſimilibus adimunt, illi perfectè mathematicas demonſtrationes non perpenderunt, quibus ferè omnes ſimilitudines ſeu proportiones nituntur: ſed non ſolùm in matheſin, verùm etiam in ſacram ſcripturam iniqui ſunt. Imprimis in Apoſtolum Paulum qui frequenter à typis ad antitypa, i. e. à ſimili ad ſimile argumentatur. Itaq; nec illa regula vera eſt: *Theologia allegorica non eſt argumentativa:* niſi per allegorias intelligas abſurda otioſorum hominum figmenta, non in ſcripturâ fundata, ſed contra omnem dicentis ſcopum & comparationis tertium excogitata; & niſi quædam Theologia allegorica firmiſſimas demonſtrationes ſuppeditaret, falſum eſſet axioma Pauli 2. ad Tim. 3. v. 16. certè ex pleriſque Exodi, Levit. aliiſque ſcripturæ partibus de typis agentibus quinque illos uſus non deduxerit niſi allego-

allegoricâ argumentatione profundiſſimè ac dexterrimè uſus fueris. & vix occurrit medium ad convertendum Judæos efficacius Allegoricâ hac demonſtratione, ſi nimirum ex ſingulis typis, typorumque habitudine, ac particulis veritatem Euangelicam oſtendere, ipſorumque errores evertere poſſis.

Ubi admiratione digniſſimum eſt quod ſæpius in re maximâ, ut in proportione altaris plurima argumenta contra Judæos lateant, hoc igitur velum ſpiritu Chriſti prælucente Theologi removere debebant.

Sic quoque ampliſſimus eſt apud Juriſconſultos locus ab æquiparatis, quo ex uno caſu ſimili deciditur alius ſimilis caſus, ſicque juris brevitas compenſatur.

2. *De ſimilibus ſimile judicium ferendum.*

Hujus judicii norma eſt tertium, extra quod ſi vagemur, abberramus.

Eſt autem notatu dignum, quod ut ſumma ſimilitudo æqualitatem, ità quælibet ſimilitudo ſaltem aliquam ſimilitudinem includat: ſic itaque rerum convenientia ſeu ſimilitudo eſt explicanda, ne illarum diſſimilitudo ſeu differentia tollatur.

3. *Fallacia ſimilium eſt triplex.*

1. Cùm non ſimilia habentur pro ſimilibus: ut

ut cùm ſacrificia Euchariſtica habentur pro typis juſtificationis.

2. Cùm ſimilium modi confunduntur, ut cùm ſimilitudo typica habetur pro ſimilitudine phyſicâ.

3. Cùm ſimilium gradus confunduntur, ut, cùm ſimilia in duobus terminis habentur pro ſimilibus in tribus.

Caput XXII.

De Diſsimilibus.

Diſſimilia ſunt comparata quorum qualitas eſt diverſa. Ut juſtus non eſt ſimilis arbori exareſcenti. Impius non eſt palma. Anima non eſt in corpore, ut ſanguis in venis.

Regulæ.

1. *De diſſimilibus diſſimile Iudicium eſt ferendum.*

Diſſimilia licèt diverſis ſint affinia, tamen ab iis diſcrepant: nam in diverſis ſemper eſt unum ſubiectum: in diſſimilibus neceſſaria ſaltem ut duo ſint ſubjecta: ut, Abraham fuit pius non tamen pauper, ſunt diverſa. At Abraham

ham non fuit pauper ſicut Lazarus, ſunt diſſimilia.

2. *Diſſimilia autem efficacia ſunt in refutando.*

Nam ſi hæc res ſit diſſimile, unum, non erit alterum: & qui modus ac gradus competit diſſimilium uni, is non competit diſſimilium alteri, quâ tale eſt.

3. *Fallacia diſſimilium eſt triplex.*

1. Cùm non diſſimilia habentur pro talibus, ut ſi circumciſio habeatur pro diſſimilis baptiſmi.

2. Cùm diſſimilium modi confunduntur; ut cùm diſſimilitudo accidentalis habetur pro ſubſtantiali. Ut corpora noſtra beata erunt diſſimilia his: Ergo numero vel ſpecie alia.

3. Cùm diſſimilium gradus confunduntur, ut cœleſtia ſunt diſſimilia inferioribus: Ergo nullo modo eis ſimilia.

Caput XXIII.
De toto & parte actuali.

Præcepta.

Hactenus de argumentis primis ſequun-

quuntur orta quæ à primis vim thema notificandi habent.

ARgumenta orta ſunt realia vel nominalia. Realia ſunt quæ thema per rem notificant. Suntque originis ſimplicioris vel compoſitioris.

Argumentum ortum Reale originis ſimplicioris eſt totum vel pars: utrique diviſiones eædem competunt.

Totum eſt unum ex pluribus conſtans, ſeu compoſitum.

Pars eſt unum illorum ex quibus aliquid conſtat.

Totum eſt primarium vel ſecundarium.

Totum primarium actuale eſt vel potentiale, ſive reale vel rationis.

Totum actuale in genere eſt

1. Subſtantiale vel Accidentale.

2. Eſt per ſe vel per accidens: Illud eſt cujus partes habent intrinſecum ordinem ad totum, & ad ſe invicem: hoc eſt cujus partes habent ordinem unum intrinſecum.

In ſpecie eſt eſſentiale vel integrale.

Eſſentiale eſt quod conſtat materiâ & formâ, ut, homo conſtat corpore & anima: Encyclopædia conſtat omnibus terminis eorumque methodicâ diſpoſitione.

Integrale eſt quod conſtat partibus materiæ, intellige materiam tam propriè quàm improprie

priè dictam, ut hominis corpus conſtat artubus & ventribus. Sapientia conſtat ex ſcientia & intelligentia.

Totum integrale eſt ſimilare, homogeneum, vel diſſimilare, heterogeneum. Illud eſt quod eſt ejuſdem eſſentiæ cum partibus: hoc eſt quod eſt diverſæ. Sic aqua eſt totum ſimilare: Corpus humanum eſt totum diſſimilare.

Pars eſt primaria vel ſecundaria.

Primaria eſt actualis vel potentialis.

Pars actualis eſt quæ ſuæ correlatæ parti unita totum conſtituit.

Eſtque 1. Subſtantialis vel accidentalis: 2. Eſt eſſentialis vel integralis.

Pars integralis eſt primò Similiaris vel Diſſimiliaris: Illa eſt ejuſdem eſſentiæ cum ſuâ comparte: hæc diverſæ: Sic gutta aquæ eſt pars ſimiliaris; Caput humanum, diſſimilaris.

Deinde pars integralis eſt principalis ſine quâ totum eſſe nequit: vel minùs principalis ſine quâ totum eſſe poteſt, ſed non omni modo perfectum: ſicut eſt pars magis vel minùs principalis.

REGULÆ.

1. *Argumenta orta ſunt ſymbola primorum.*

Etſi argumenta orta ſuam vim habeant à

primis, non tamen ſunt fruſtra, quia peculiarem arguendi modum exercent: vel enim combinant, vel combinata in prima reſolvunt. Qui arguendi modus cùm menti humanæ ſit accommodatiſſimus in praxi ſolet eſſe primus. Sic totum eſt vel cauſarum vel effectorum combinatio, ad rei cognitionem inſigniter faciens.

Quamvis igitur res alias non objiciant menti, quàm prima, tamen id faciunt alio modo. Hinc dicuntur primorum ſymbola, adeoque in ea ſunt reſolvenda, ex iiſque judicanda, dantur autem in iis compoſitionis gradus: Unde quædam ſunt ſimplicis originis, ſeu primæ compoſitionis: quædam compoſitæ originis, ſeu ſecundæ vel tertiæ compoſitionis. Sic definitio eſt argumentum compoſitiſſimum, quò autem major eſt compoſitio, eò etiam reſolutio frequentior eſt inſtituenda.

2. *Cùm totum conſtet ex partibus, & totum partibus, & partes ſibi ipſis erunt proportionales.*

Nam totum & partes ſunt ſibi eſſentialia, id eſt cauſæ internæ: imò totum nihil eſt aliud quàm res ex congrua partium unione orta. Partes verò cùm in uno tertio ſaltem in toto conveniant inter ſeipſas conveniant oportet. Hinc oritur pulcherrima totius & partium ſymmetria, Sic Radix non ſolùm toti plantæ,

verùm

verùm etiam reliquis ſuis compartibus (ut ita dicam) eſt proportionalis. Itaque firma eſt argumentatio: ſi eſt totum, ſunt partes, & contra: ſi non eſt totum, non ſunt partes, ſcilicet actu ut ſunt unitæ, & contra. Nam partes extra congruam unionem non ſunt partes, ſed tamen poſſunt eſſe partes: Dico unionem congruam, etenim ſi ſit incongrua, non ſtatim erit totum; ſic ſi quis partes domus inverſim conjungat, non protinus habebit domum: ſic in morte hominis etſi poſt ultimum vitæ punctum, omnia adhuc ſint in corpore, non tamen eſt homo, quia anima corpori non eſt unita, eſſentialiter ſeu localiter.

Deinde quale & quantum eſt totum, talis & tanta eſt pars, & contrà. Ubi nota ea demum tota eſſe æqualia quæ habent partes & magnitudine & numero æquales. Poteſt enim res parva tot habere partes quot magna, ſed non tantas.

Denique vi ſymmetriæ poſſum argumentari ab unius partis proportione ad aliam (niſi totum ſit monſtroſum) ſcilicet in contingenti contingentem.

Eſſe autem doctrinam partium peculiariter tractandam ac diſtributioni præmittendam, vel hinc patet quòd ſecus multa axiomata topicè reſolvi nequeant, ut, homo conſtat corpore, homo eſt animal, ubi eſt diſpoſitio non diſtributi & diſtribuentis, ſed tantùm totius & partis.

3. *Cùm*

3. *Cùm totum conſtet ex pluribus partibus, erit partibus omnibus ſimul ſumptis æquale.*

Nam ſi eſſet parti æquale, tantùm conſtaret ex unâ parte, quod implicat: Si verò eâ minus eſſet, neque ex unâ integrâ parte componeretur. Quod ſi partibus ſimul ſumptis eſſet majus, utique conſtaret ex pluribus partibus, quàm ſuis: ſi minus, non cõnſtaret ex omnibus ſuis partibus, adeoque nec totum eſſet.

Sic igitur aſſerenda eſt partium & totius proportio, ſeu convenientia, ne tollatur differentia eorum: hâc ratione intelligenda ſunt axiomata paulò ante dicta. Stultus igitur foret qui ſic argumentaretur, homo eſt longus ſeptem pedes. Ergo & ejus caput, quia quantum eſt totum, tantæ quoque ſunt partes, maniſeſtè enim impingit in definitionem totius & partium.

Idem intellige de partibus inter ſe collatis, aliæ enim ſunt majores, aliæ minores: ſenſus itaque eſt totum & partes, itemque partes inter ſe ſunt tantùm proportionales, non verò æquales: proportio autem certa ex ſingulorum definitione cognoſcitur.

4. *Cùm totum conſtet ex partibus, erit mutua quædam inter totum & partes, itemque inter ipſas partes communio.*

Omnis

Omnis unio infert aliquam communionem, ſecùs fruſtra eſſet. Itaque & partium unionem & communionem neceſſariò infert. Infert autem communionem talem quæ non tollat totius & partium, itemque partium inter ſe diſtinctionem: Alia enim ſunt attributa toti, alia partibus propria, alia denique utriſque communia · quod diligenter eſt obſervandum, ne cum quibuſdam craſſum errorem committamus, qui ſine diſcrimine omnia quæ toti conveniunt, ſingulis partibus, & quæ partibus, protinus toti, vel alteri quoque parti attribuunt. Sic ridiculus foret qui diceret, corpus hujus conſtat corpore & animâ, quia homo ex his conſtat: Anima eſt inviſibilis, ergo & totus homo. Anima eſt inviſibilis, ergo & ejus corpus.

Quæ verò Communio ſit conſentanea ex ſpeciali totorum & partium definitione perſpicuum eſt.

5. *Totum ſuis partibus eſt notius vel ignotius.*

Nimirum ratione diverſæ Cognitionis, nam cùm res cognoſcenda ob nimis magnam quantitatem menti noſtræ eſt difficilis, utitur duplici ſtratagemate, prout duplex eſt quantitas diſcreta & continua.

Prior res multas revocat ad paucas, earum multitudinem reducendo ad paucitatem: hinc oritur

oritur duplex cognitio humana, confuſa & diſtincta.

Confuſa eſt quando ſimul multa cognoſcuntur, ut cùm totam urbem ſimul aſpicio, hâc cògnitione totum eſt prius.

Diſtincta eſt quâ non ſimul, ſed unum tantùm cognoſcitur, ut cùm unam urbis domum accuratiùs intueor; hac cognitione partes ſunt priores, totoque notiores, quia partes ſunt priores toto.

Hinc inſignis datur à toto ad partes, à partibus ad totum regreſſus, qui in accuratâ rerum meditatione diligentiſſime eſt inſtituendus.

6. *Cùm totum actuale ſit cui partes eſſentiā dant, ſequitur quod quidquid competit parti actuali etiam toti competat,* juxta illam partem: quidquid competit parti, non quâ extra totum eſt, nec quâ præciſe & formaliter pars eſt, ſed quâ ſe toti communicat.

Etenim pars ſe communicat toti non per illud, ſed ſeipſam dando.

Dat autem ſeipſam vel aliquid à comparte accipiendo ut materia: vel aliquid comparti dando, nt forma materialis: vel denique aliquid dando & nihil accipiendo. Priora duo genera includunt imperfectionem, poſtremum per ſe nullam: Sic Angelus incorporatus corpori aſſumpto dat perfectionem, nullam ab eo accipit: Sic ſecunda perſona divina

natura

naturæ humanæ Chriſti dat perfectionem, nullam tamen ab ea re accipit: Itaque ſalvâ ſuâ ſummâ perfectione, eſt pars analogicè ſic dicta.

7. *Non tantùm in ſubſtantiis verùm etiam in accidentibus datur compoſitio, quamvis analogica, adeoque tota, & partes actuales.*

Non enim accidentia ſunt indiviſibilia, ſed plurima compoſita. Sic quantitates omnes, quædam qualitates, ut habitus, potentiæ, qualitates, & figuræ: multæ actiones & paſſiones, & relationes, compoſitæ ſunt. De quibus rectè judicare non poſſimus, niſi earum materiale & formale, materialiſque diverſas pertes ac utriuſque unionem accuratè diſtinguamus: quæ unio vel eſt arctior & interna, ſubordinatio eſt coordinatio: vel laxior & externa. Illâ dantur tota per ſe, hâc per accidens, ubi ſunt autem, diſtinguunt totum eſſentiale ab integrali, quia alia eſt habitudo materiæ ad formam: alia partium materiæ.

8. *Fallacia totius eſt triplex.*

1. Cùm non totum ponitur pro toto, ut cum Eccleſia Romana, habetur pro totâ Eccleſiâ.

2. Cùm totorum modi confunduntur, ut cùm totum actuale habetur pro potentiali.

Cùm

Cùm Logica habetur pro genere Logiæ generalis & ſpecialis.

3. Cùm totorum gradus confunduntur, ut cùm quis concludit, puer eſt totus homo; Ergo tantus quantus adultus.

Fallacia partis eſt itidem triplex.

1. Cùm non pars ponitur pro parte, ut cùm vomica habetur pro parte hominis.

2. Cùm modi partium confunduntur, ut cùm ſemen animalis habetur pro parte ſimilari.

3. Cùm gradus partium confunduntur, ut, ſi terra habeatur pro dimidia parte mundi.

CAPUT XXIV.

De genere & ſpecie.

PRÆCEPTA.

Totum Potentiale dicitur genus, quod eſt totum partibus ſuis eſſentiale, ſeu genus eſt unum commune multis, quod ſcilicet in multiplicatione, ſe pluribus communicat, ut, animal.

Species eſt pars quæ eſſentiam accipit à genere, ut homo.

Differentia eſt quæ communitatem generis ad ſpeciem determinat: ſeu quæ genus modificando, ſpeciem conſtituit, ut rationalis.

Genus

Genus eſt ſummum vel ſubalternum: univocum vel analogum.

Summum eſt quod tantùm eſt genus, ſive ſit tale ſimpliciter ut ens; ſive ſecundum quid ut decem prædicamenta.

Genus ſubalternum eſt quod reſpectu inferiorum eſt genus, reſpectu ſuperiorum ſpecies. Ut animal reſpectu hominis eſt genus, reſpectu corporis vivi eſt ſpecies. Hinc oritur ſcala generum, quæ eſt ordinata generum ſubalternorum, proximi ſcilicet & remotorum combinatio.

Genus univocum eſt quod æqualiter ſuis ſpeciebus communicatur: ſic animal eſt genus hominis & bruti,

Genus analogum eſt quod inæqualiter ſuis ſpeciebus communicatur, ſcilicet uni magis, alteri minùs, uni primariò, alteri ſecundariò: Sic ens eſt genus ſubſtantiæ & accidentis: Subſtantia & genus Creatoris & Creaturæ: ſpecies dividitur ut genus: ubi excellit diviſio quòd ſit ſubalterna vel ſpecialiſſima.

Species ſubalterna eſt, quæ reſpectu ſuperiorum eſt ſpecies, reſpectu inferiorum eſt genus: ſeu quæ accipit & dat ſuam eſſentiam. Sic corpus eſt ſpecies ſubſtantiæ, genus corporis ſimplicis.

Species ſpecialiſſima, ab aliis dicitur individuum, individuum eſt res quæ multiplicari nequit, ſic hic homo, Paulus, hæc lux, eſt individuum.

Diffe-

Differentia dividitur ut genus & ſpecies: Eſt itaque generica, ſpecifica, uumerica ſeu individualis,

Hactenus de toto primario. Totum ſecundarium eſt ſubjectum vel adjunctum.

Totum ſubjectū eſt cujus partes ſunt adjuncta. Sic homo eſt totum reſpectu ſani & ægri.

Totum adjunctum eſt cujus partes ſunt ſubjecta: virtus eſt intellectualis vel moralis ſeu voluntatis.

REGULÆ.

1. *Cùm genus ſit totum, erit ſpeciebus, & ſpecies ſibi ipſis, proportionalis.*

Genus adeoque univerſale conſideretur vel ratione ſui fundamenti, vel ratione formalitatis,

Ratione fundamenti, eſt ens reale, nam, e. g. humana natura revera eſt res in Petro, cui ſimilis datur in Paulo, ſed eatenus non eſt totum, verùm actualis pars ſpeciei.

Ratione verò ſui formalis, prout à mente concipitur, res una pluribus communis eſt ens rationis, ideoque dicitur totum potentiale.

Cùm autem ſit totum & mens noſtra ob intimam rerum convenientiam, illud jure optimo fingat totum ſuis partibus eſſentiale, oportet ut ſpeciebus ſit proportionale, & hæ viciſſim illi,

commu-

Communicat enim ſeipſum & ſuam eſſentiam ſpeciebus. Itaque ſpecies ſemper in eodem ordine erit, in quo eſt genus, ut ſi genus eſt ſubſtantia, ſpecies quoque erit ſubſtantia. Hinc unius ſpeciei unicum eſt genus, proximum ſcilicet Phyſicum & ſubordinatum. Nam una eademque res poteſt habere plura genera coordinata & moralia, ſcilicet Phyſicam unum, duo vel tria moralia, quia una eademque res poteſt habere varias eſſentias coordinatas vel incompletas: ſic Chriſtus eſt Deus & homo, ſic Paulus eſt homo, Benjamita, civis Romanus, Apoſtolus. Sic idem Princeps, poteſt eſſe Rex, Princeps, Comes. Hæc autem longè utilius ad genera quàm ad adjuncta referri, paulò inferius patebit. Quod inprimis eſt obſervandum in concretis & relativis.

Cæterum cùm ſpecies conveniant in genere, inter ſe quoque convenient, & proportionales erunt, licet una ſemper ſit exellentior alterâ.

2. *Cùm genus ſit totum erit majus quâlibet ſpecie, & omnibus ſuis ſpeciebus ſimul ſumptis æquale.*

Itaque poſito genere, non protinus ponitur hæc vel illa ſpecies, & negatâ unâ ſpecie, non ſtatim negatur genus. Nam quia ſe pluribus communicare concipitur, totum dicitur: non valet igitur, eſt animal, ergo homo, ergo Pe-

trus

trus; non eſt Petrus, Ergo non eſt homo: non eſt homo, ergo non eſt Animal. At quia eſt æquale omnibus ſuis ſpeciebus ſimul ſumptis (nihil enim eſt aliud genus quam natura in qua omnes ſpecies conveniunt communiter acceptæ) diviſim recte procedo: Eſt animal, ergo homo vel brutum: eſt homo, ergo hic vel ille, & ſic deinceps. Unde diligentiſſima eſt inſtituenda generum & ſpecierum collatio.

3. *Cùm genus ſit totum ſpeciebus ſuis eſſentiale, utique quidquid competit generi competit etiam ſpeciebus, & contra.*

Attributa ſpeciei non repugnabunt generi cùm genus ſeipſum det ſpeciebus, omnia quoq; ſibi competentia dabit, ſcilicet quatenus materialiter ſumitur, non formaliter, ſi enim alia conveniant tertio cuidam, cui convenit illud tertium, convenient etiam illa alia. Hinc ſumma oritur generum utilitas: his enim cognitis facile cognoſcuntur ſpecies ſcilicet confuſè, ſic cùm homo ſit animal, quidquid competit animali competit etiam homini, tandem quod non repugnat homini, neque animali in ſe ſpectato repugnare poteſt.

4. *Aſcenſus & deſcenſus mentis per ſcalam generum & ſpecierum, ſingularem habet in meditando uſum.*

Nos

Nos hic genus, ſpecies & differentias logicè ſumimus, nec adeò ſcrupuloſe inter accuratè & populariter dicta genera diſtinguimus, ſed illud inter ſe accuratè dicimus genus, quod latiùs patet, cujuſque eſſentia pluribus communicatur, per multiplicationem; ſpecies vero id quod anguſtius eſt, ac generis eſſentiam accipit. Nam metaphyſici negant ens eſſe genus, quia non reſtringitur per differentias ab ipſo diverſas.

Itaque ſcala generum hìc nobis nihil eſt aliud quàm continua generum ab individuo uſque ad ens ſubordinatio.

Aſcenſus mentis eſt quâ mens continuò à ſpecialiſſimis progeditur ad generaliſſima.

Deſcenſus verò eſt ejus à generaliſſimis ad ſpecialiſſima continuus progreſſus. Continuus autem dicitur qui gradatim procedit, & non ab infimis ad ſumma, vel à ſummis protinus ad infima, deſultoriâ levitate ſaltat.

Hinc enim oritur ſubalternorum generum pernicioſſimus neglectus, qui non ſolidam eruditionem, ſed anilem quandam garrulitatem parit.

Hi autem duo mentis proceſſus infinita meditanti ſuggerunt, ut ſi de hoc individuo triangulo meditetur perpendatq; quid ſit rectangulum, triangulum, rectilinium, planum, ſuperficies, forma linearum, magnitudo, quantitas, accidens abſolutum, ens, omniaque horum omnium principia, affectiones, operationes, ac com-

communes diviſiones ipſi applicem, dici non poteſt quanta ſe cogitationum certiſſimarum ſeges offerat. Scalæ proprietatum & differentiarum, ſcalæ generum proportioni reſpondent, Nam proprietas generica eſt genus proprietatis ſpecifica, & differentia generica eſt genus differentiæ ſpecificæ.

5. Ortus ac proceſſus differentiarum eſt clavis univerſæ Encyclopædiæ.

Admiratione digniſſimum eſt, quando ex ſimpliciſſimo termino, ens, infiniti termini oriantur, qui tamen nihil aliud quam ens dicant. Hoc myſterium egregiè aperit numerorum continua progreſſio, in quâ videmus quod ex unitate infiniti numeri reſultent.

Quemadmodum autem non ſolùm ex compoſitorum numerorum, ſed etiam ſimplicium, imo ipſius unitatis combinatione numeri producuntur: Sic quoque non ſolùm externorum ſpecialium, ſed etiam ex generaliſſimorum complicatione oriuntur terminorum differentiæ.

Etſi enim terminus generaliſſimus, ſolus ſit communis, attamen cum alio conjunctus reſtringitur, ob mirabilem habitudinum immeationum. Quod diligenter eſt obſervandum, ne protinus illam definitionem rejiciamus quæ ob ſpecialis vocabuli inopiam, generali termino exprimitur.

6. In-

6. Individuum eſt communicabile ſed non mnltiplicabile.

Audax eſt quorundam pronuntiatum, omne communicabile eſt univerſale: quod ſi verum eſſet, nulla revera in univerſa rerum natura daretur communicatio: omnia enim quæ actu ſunt, ſingularia ſunt. Sunt autem varii communicationis modi, quos Metaphyſica accuratiùs ediſſerit: Unicus qui eſt per ejuſdem rei multiplicationem repugnat individuo. Quare illi fruſtra ſunt qui exiſtimant Deum neceſſariò fore genus vel ſpeciem, ſi in eo tres perſonas juxta ſcripturas, credamus. Sanè ſi tres Dii in eo eſſent, Deus eſſet univerſale. At cum eadem eſſentia omnibus competat, quod infinitæ eſſentiæ eſt privilegium, Deus manet unicus & ſingulariſſimus: hic notet Lector quod ſpecies ſpecialiſſima & individuum nobis ſunt ſynonima, quamvis alii Logici eam diſtinguant ab individuo: noſtra ſententia eſt utilior in aſcenſu & deſcenſu ſcalæ generum.

7. Fallacia generis, ſpeciei & Individui eſt triplex.

1. Cùm non talia habentur pro talibus, ut cùm ſubſtantia ſtatuitur genus peccat: conjugiū ſpecies ſacramenti. Pharao, nomē unius individui.

2. Cùm illorum modi confunduntur, ut cum genus Phyſicum confunditur cum morali: ſpecies ſpecialiſſima cum ſubalterna.

3. Cùm eorum gradus confunduntur, ut cùm genus analogum habetur pro univoco, ut cùm ſubſtantia æqualiter tribuitur Deo & creaturæ.

CAPUT XXV.
De Diſtributione.

ARgumentum ortum reale compoſitius eſt quod circa totius & partium collationem verſatur. Cùm partes omnes cum toto conferat, partes verò omnes ſimul ſumptę æquantur toti, erit adæquatum & reciprocum, nec themate ſuo latius aut anguſtius. Hinc maxima eſt inter thema & hæc argumenta proportio & facilis canonum demonſtrativorum applicatio. Eſtque inductio vel reſolutio.

Inductio eſt partium ad conſtituendum totum collectio, ut homines & bruta ſunt animalia, duo & tria ſunt quinque.

Inductio catholica quæ omnium partium convenientiam accuratè obſervat, eſt fons & norma omnium diſciplinarum naturæ lumine inventarum.

Reſolutio eſt totius in partes diſtinctio, adeoque diſtinctæ cognitionis clavis.

Eſtque diſtributio vel definitio.

Diſtributio eſt totius in partes, toti quidem con-

conſentaneas, inter ſe verò diſſentaneas reſolutio.

Totum hic dicitur diſtributum. Itaque tantò accuratior erit diſtributio quantò partium & cum toto conſenſio, & inter ſe diſſenſio major fuerit: unde dichotomiæ laus oritur.

Diſtributio diſtribuitur ſicut totum: eſt itaque primaria, totius primarii, ſecundaria, *totius* ſecundarii.

Primaria eſt Partitio vel Diviſio.

Partitio eſt totius actualis in ſuas partes diſtributio. Eſtque eſſentialis, ſic homo diſtribuitur in corpus & animam, vel integralis, *ſic hominis* corpus diſtribuitur in artus & ventres.

Diviſio eſt diſtributio generis in ſpecies, ut corpus perfectè mixtum eſt animatum vel inanimatum: Animal eſt homo vel beſtia.

Diſtributio ſecundaria reſolvit totum in partes ſecundarias: Eſtque ex quibuſdam cauſis & effectis, itemque ex ſubjectis & adjunctis.

REGULÆ.

1. Ut aſcendit inductio, ſic deſcendit reſolutio.

Humanarum cogitationum planè mirabilis eſt compoſitio, mens autem humana ſe huc atque illuc verſat, ut rerum cognitionem adi-

piſcatur, hinc varios compoſitionis modos inſtituit; unde varia oriuntur inſtrumenta, imò & argumenta ſimplicia Logica, compoſitiora & compoſitiſſima.

Datur & compoſitio reſolvens, compoſitio nimirum ratione thematis, reſolutio ratione argumentorum, eaque vel generaliſſima reſolvit in ſpecialiſſima ut diſtributio: vel ſpecialiſſima reſolvit in generaliora ut definitio; unde hæc ſunt nobiliſſima bene differendi inſtrumenta, omniſque ſolidæ eruditionis fundamenta. Debent autem omnia tria eſſe reciproca, adeoque gradatim non ſaltatim progredi. Hinc nihil aliud ſunt diſciplinæ, quàm ordinata definitionum & diſtributionum compages.

2. *Dichotomia trichotomiæ, aliiſque diſtributionum generibus in accuratâ doctrinâ eſt præferenda.*

Dichotomia eſt cùm totum in partes ſibi intimas inter ſe verò contrarias diſtribuitur, ut ens eſt ſubſtantia vel accidens.

Trichotomia eſt cùm totum diſtribuitur in partes diſparatas, aut etiam diverſas, ut ens, ſpiritus, corpus vel accidens: Calor eſt primi, ſecundi, vel tertii gradûs, harum ſimiliumque diſtributionum uſus in popularibus eſt longè maximus, ſæpeque in accuratis ob Dichotomiæ difficultatem neceſſarius.

At ſi dichotomia haberi poſſit ſemper eſt

præ-

præferenda in primis ſi ejus omiſſione genus aliquod ſcientificum, adeoq; communia principia & attributa negligantur. Tunc enim potiùs negativæ & privativæ differentiæ admittendæ quàm dichotomia omittenda, at ſi tantùm verbales ſint diſtributiones, trichotomia dichotomiæ prudenter ante ponitur.

3. *Diſtributio ſecundaria eſt vicaria primariæ.*

Si res paulò altiùs inveſtigatur, patet quod omnis diſtributio aut ſit partitio aut diviſio. Nam inter totum & partes neceſſariò eſt eſſentialis habitudo, id eſt vel partes ſunt cauſæ totius, vel tota ſunt cauſæ partium & quidem internè, verùm cùm res illarum differentias rarò immediatè cognoſcamus, ſolemus eas per cauſas & effecta externa aut per ſuqjecta & adjuncta deſcribere ac exprimere. Sic Gallia omnis diviſa eſt in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam Celtæ, eſt partitio integri in membra niſi quòd membra exprimantur per ſua adjuncta: ſic bona alia ſunt animi, alia corporis, alia denique fortunæ, eſt imperfecta diviſio generis in ſpecies, niſi quod ſpecies ſignficentur per ſua ſubjecta.

Hanc obſervationem putamus eſſe utilem, ſi non neceſſariam in Analyſi horiſtica ſeu diſtributionum, præſertim accidentium, ut Logica ſpecialis docebit.

4. *Fal-*

4. *Fallacia inductionis eſt triplex.*

1. Cùm non inductio habetur pro inductione, ut cùm ſupina plerorumque Phyſicorum inductio obtruditur pro inductione vera & ſufficiente.

2. Cùm inductionum modi confunduntur, ut cùm inductio partium actualium habetur pro inductione ſpecierum.

3. Cùm inductionum gradus confunduntur, ut cùm inductio ſpecierum ad inveniendum genus ſubalternum habetur pro inductione ad genus ſummum.

5. *Fallacia diſtributionis itidem eſt triplex.*

1. Cùm non diſtributio habetur pro diſtributione, ut cùm ens quà tale dividitur in bonum & malum: Hæc fallacia committitur quando partes, vel non conſentiunt cum toto, vel inter ſe conſentiunt.

2. Cùm diſtributionum modi confunduntur, ut ſi quis putet hominis in corpus & animam diſtributionem eſſe diviſionem generis in ſpecies.

3. Cùm diſtributionum gradus confunduntur, ut cùm inadæquata habentur pro adæquatis.

Caput XXVI.

De Definitione.

Præcepta.

Definitio eſt quæ explicat quid res ſit.

HÆc totum reſolvit in partes, tum toti, tùm ſibi ipſis conſentaneas: totum hic dicitur definitum.

Definitio eſt perfecta vel imperfecta. Definitio perfecta eſt quæ thematis ſeu definiti eſſentiam clariſſimè notificat. Hoc thema in quantum eſt explicabile ex argumentis maximè conſentaneis explicatur, ideoque ſi thema ſit genus ſubalternum, genere & differentiâ proximis tantùm utitur, ut ens eſt quod eſt, homo eſt animal rationale. Phyſica eſt ſcientia corporis naturalis.

Definitio imperfecta ſeu deſcriptio eſt quæ definiti eſſentiam minus clarè explicat. Ideoque vel non utitur argumentis proximè conſentaneis, vel iis quædam minùs conſentanea addit, vel eorum quædam omittit, ut homo eſt ſubſtantia corporea ad imaginem Dei condita: homo eſt animal rationale, mortale: homo eſt animal riſibile.

Regulæ.

1. *Definitio perfecta dicitur vel ratione definiti, vel ratione definientis.*

Definitio perfecta ratione definiti eſt quæ ejus naturæ quàm maximè congruit, eamque omnium clariſſimè repræſentat. Hocnon poteſt ſemper conſtare ex genere & differentiâ, quia ſummum genus ex genere, & prima differentia ex differentiâ explicari nequit. Sic fruſtra ſudatur, ut res negativæ ac privativæ terminis poſitivis definiantur, quò enim major eſt inter defintionem & definitum proportio, eò definitio eſt perfectior,

Definitio perfecta ratione definientis eſt quæ ejus captui maximè congruit. Atque hanc ſolam plerique Philoſophi perfectam vocant, ſemperque conſtat ex genere & differentiâ, iiſque (ut volunt) poſitivis ac realibus. Cùm enim noſter intellectus ſit compoſitus rerum convenientiam ac differentiam plerumque generis ac differentiæ compoſitione cognoſcit. Quæ doctrina licèt veriſſima ſit, non tamen omnibus rebus definiendis eſt applicanda. Nam ſi ubique ita res ſe haberet, accurata generaliſſimorum adeoque & ſpecialium omnium diſciplinarum cognitio eſſet deſperata.

Verùm

Verùm ſciendum eſt, tantam eſſe quorundam terminorum claritatem, tam magnam eſſe eorum cognoſcibilitatem ut per ſeipſos, vel unicum additum perfectè cognoſci queant. In quibus non raró definitio nominalis cum eſſentiali coincidit, quemadmodum & in matheſi: optandum eſſet ut reliquæ diſciplinæ realibus ſuis definitionibus eam ſcientiæ ſoliditatem ac certitudinem præſtarent, quam matheſis ſuis nominalibus aſſequitur.

2. *Definitio perfecta utitur argumentis adeoque & verbis clariſſimis.*

Clariſſima autem argumenta hæc ſunt quæ ſuâ naturâ ſunt cognitu facillima, qualia ſunt generaliora & priora, hinc ſcitiſſimè Melanchton Lib. 1. Dial. In definitionibus ſcilicet perfectis, in univerſum vocabula anguſtiora declarantur per aliqua communiora, ut enim cùm procul aliquem ad nos accedere videmus initio hominem eſſe cognoſcimus, poſtea cum acceſſit propius, utrum notus aut ignotus ſit decernimus, ita in definiendo à communioribus vocabulis ordimur, ſi argumentis, ergo & verbis clariſſimis utitur, verba autem clariſſima non ſolùm ſunt propria ſed topica, ut manifeſtiſſimè ex generalium terminorum definitionibus cognoſcitur. Plerique enim generales ac ſpeciales termini à corporibus ſunt

tranſlati, ut is qui definitiones tropicis verbis conſtantes rejicit, non humanam ſed Angelicam ſcientiam affectare videatur.

Ut autem hæc claritas prima eſt perfectæ definitionis gratiâ, ità ſæpius deſcriptionis eſt morbus: Nam typicis, parabolicis, popheticis, ænigmaticis, ſimilibuſque deſcriptionibus non congruit.

3. *Definitio eſt baſis omnis accuratæ ac ſolidæ cognitionis.*

In hunc canonem maximè impingit juventus cum præſentiſſima ſuorum ſtudiorum jactura. Sed utinam ſola juventus hic peccaret, nec præceptores illi peſſimo exemplo præirent; quotuſquiſque eſt qui diſcurſibus ſuis diſcipulos non detineat, & vix decimâ lectione centeſimum ſuæ facultatis terminum, de quo tamen infinita garrit., definiat.

Verùm Logica diſertè eum ſycophantam pronuntiat qui alicujus rei cognitionem jactat, cujus definitionem in promptu non habet.

4. *Fallacia definitionis eſt triplex.*

1. Cùm non definitio habetur pro definitione, ut cùm Eccleſia definitur cœtus Papiſticam religionem profitentium.

2. Cùm definitionum modi confunduntur, ut cùm definitio ænigmatica confunditur cum

Acroa-

Acroamatica: ſic abſurdus foret qui negaret quod ſcriptura bene Anti-Chriſtum definierit quia ejus proximum genus & differentiam clarè non tradiderit.

3. Cùm definitionum gradus confunduntur, ut perfecta cum imperfecta.

Caput XXVII.

De Notatione.

Præcepta.

Hactenus de Argumentis ortis realibus; Sequuntur nominalia, quæ thema per nomen notificant, ſeu vi nominis arguunt.

NOmen eſt vox à natura intelligente ad rem aliquam ſignificandam electa. Generaliſſimè enim ſumitur hîc nomen, itâ ut omnes voces tam inflexibiles quàm flexibilis ſub ſe comprehendat. ſic etiam verbum & præpoſitio eſt nomen, item phraſes, & loquendi formulæ.

Argumenta nominalia ſunt abſoluta vel comparata. Illa ſunt quæ nomen cum re ſignificatâ conferunt, Argumentum nominale abſo-

ſolutum eſt notatio, vel vocis ambiguæ diſtinctio.

Notatio eſt Logica nominis è ſuâ origine explicatio, ut homo dictus eſt ab humo. Adam dictus eſt ab אדמה Adamaſi quia ex rubrâ terra factus eſt, Itaque in notatione occurrit nomen, res notatione occurrit nomen, res notata ſeu ſignificata, & ipſa notatio, ſeu ratio ſignificationis, quæ ex omnibus argumentis huc uſque explicatis peti poteſt. Notatio eſt adæquata quæ notato æqualis, ut Meſſias dictus eſt Jeſus, quia ſalvat populum ſuum: Math. 1. v. 21. Vel inadæquata, eaque nominato latior vel anguſtior.

REGULÆ.

1. *Argumentorum nominalium ſummus in diſſerendo eſt uſus.*

Nomina ſiquidem ſunt notæ rerum; ſignum autem niſi caſu, vel ſtultè uſurpetur, ſemper eſt proportionale ſuo ſignato, niſi enim quædam inter ea ſit convenientia unum non poteſt repræſentare aiud,

Cùm autem nomina ſint res ſenſibilis eorum convenientia humanam mentem inſigniter juvabit: loquimur autem de nominibus à natura intelligente, putà Deo, Angelo vel homine ſapienter inventis & uſurpatis; Nam quæ caſu vel contra rectam rationem aut excogitata

gitata aut adhibita ſunt nominum præſertim ſcientificarum nomine indigna ſunt. Unde plerarumque linguarum imperfectio, Hæbraicæ verò ſumma perfectio facilè colligitur.

Cùm enim ſapientiſſimus Adam vel omnia vocabula rebus, ſumma cum ratione impoſuerit, vel forſan prima & generaliora à Deo acceperit, dubium non eſt, quin admirabilis ſit inter res nominatas & nomina in Linguâ Hebraicâ, quam nobiliores æmulantur harmonia, quæ non tantum in vocibus derivatis & compſitis, ſed maximè in primitivis ac ſimplicibus locum invenit. Itaque Logicè non tantum integræ voces, ſed etiam earum ſyllabæ, literæ, illarum combinationes, ac integrarum vocum flexiones eſſent perpendendæ, quod nobiliſſimum ac veteribus commendatiſſimum artificium fuit, quamvis hodie fermè ignoretur, tamen ad fœlicem ſcientiarum inſtaurationem omnino requiritur, quæ omnia maſculæ Philoſophiæ ſummam utilitatem ac neceſſitatem firmiſſimè comprobant. Hæc ſi perpendamus cum quibuſdam notationem tantum ex uno argumento peti, ſed cogitabimus quod tres vocum Hæbraicarum literæ tres quoque conceptus ſignificent. Quæ cauſa fuit quod argumenta nominalia realibus poſtpoſuerimus, quamvis in praxi ab his initium fieri ſoleat ac debeat.

Itaque

Itaque quo major eſt inter nomen & rem nominatam harmonia, nomen eſſ præſtantius & ad res arguendas efficacius.

2. *Notatio in vocibus ſapienter inventis vel uſurpatis magnam habet vim: In inventis. autem & caſu uſurpatis exiguam vel nullam.*

Prioris generis ſunt nomina à Deo, Angelis & ſapientibus hominibus profecta, ut pleraque nomina propria in ſacrâ ſcripturâ occurentia: item multa nomina mathematica præſertim Geometrica & Aſtronomica: nec non artificialia imprimis Mechanica, Medica, Botanica. In pleriſque etiam Orientalium ac Antiquiſſimorum Germanorum nominibus propriis hiſtoriæ quædam patent. Nomina quoque apud magni nominis poetas, ut Orpheum, Homerum, Virgilium, ſimilesque occurrentia, plena ſunt eruditionis vel hiſtoricæ, vel ſymbioticæ, vel phyſicæ.

In his itaque Canones demonſtrativi utiliter adhibentur, nimirum cui convenit vel non convenit notatio, ei etiam convenit vel non convenit nomen, & contra. Item quale & quantum nomen aut qualis, & quanta notatio tale & tantum nominatum ſeu notatum, & viciſſim; ut Chriſtus vocatur Emmanuel, ergo eſt Deus & homo, itemque mediator Dei & homi-

minum. Filius Eſaiæ dictus eſt Sear Jaſeut, ergo certo convertetur reſiduum populi Judaici. Euphraſia herba dicta ab antiquis medicis, Germanicis augentroſt i. e. ſolatium oculorum, ergo medetur oculis.

At in nominibus ſine ratione inventis vel uſurpatis uſus rationis vel nullum vel exiguum locum inveniet. Eò autem notatio eſt præſtantior quò nominis ac rei nominatæ convenientior eſt, quæ ex argumentis interioribus, magiſque propriis ſumitur.

Nominis naturæ convenientior eſt quæ ejus proſodiam, orthographiam aliaque Etymolohica accidentia accuratiùs obſervat: Nec vocis literas aut ſyllabas nimis audacter auget, minuit vel mutat. Itaque notatio Logica, grammaticam notationem non evertit, ſed explicat & probat.

3. *Fallacia notationis eſt triplex.*

1. Cùm non notatio habetur pro notatione, ut cùm Imperator dicitur Auguſtus, quia auget Imperium.

2. Cùm notationum modi confunduntur, ut ſi notatio vocis Germanicæ cum alia notatione alius linguæ confundatur.

3. Cùm notationum gradus confunduntur, ut eſt Judæus, ergò divinæ laudis confeſſor.

CAP.

CAPUT XXVIII.
De Diſtinctione vocis ambiguæ.

PRÆCEPTA:

Vocis ambiguæ diſtinctio eſt variarum ejus ſignificationum enumeratio.

VAriæ ſignificationes hic ſunt quæ in re ſaliquâ à voce ambiguâ expreſſâ non conveniunt. Quæ itaquæ voces plura inter ſe, tamen remotè vel propinquè, univocè vel Analogicè in communi ſignificatu convenientiam ſignificant, ambiguæ non ſunt.

Res univocè conveniunt quibus idem vocis ſignificatus æqualiter competit, ut homo & brutum univocè conveniunt in ſignificatu animalis.

Res conveniunt analogicè, cùm vocis ſignificatus uni magis alii minus competit: Eſt autem analogia vel attributionis, cùm vocis ſignificatus ubique intrinſecè convenit, ſic analogica vox eſt ens ratione ſubſtantiæ & accidentis: vel proportionis cùm uni intrinſecè, alii propter habitudinem ad illum convenit, imprimis ſimilitudinem, ſic radix attribuitur plantæ & motui.

REGULÆ.

1. *Vox illa ambigua eſt quæ res diverſarum diſciplinarum, vel ejuſdem quidem diſciplinæ, diverſorum tamen titulorum ſignificat.* **Item quæ res** diverſorum prædicamentorum, vel ejuſdem prædicamenti, ſed diverſorum graduum ſignificat. Nimirum ſi illæ res in communiſignificatu non conveniant. Sic ſpiritus eſt vox ambigua quia aliter ſumitur à Theologis, aliter à Medicis, aliter à Phyſicis. Item in Theologiâ eſt ambigua quia aliter ſumiter in loco de Deo, aliter in loco de ſcriptura, aliter in loco de regeneratione, aliter denique in aliis locis. Denique in loco de Deo ambigua eſt, quia jam communiter de Deo, ſpecialiter de ſpiritu ſancto uſurpatur: Similiter pertinet ad varia prædicamenta, vel ejuſdem prædicamenti varios gradus: huc pertinet quoque ille Canon: Cujus vocis oppoſita & conjugata ſunt ambigua, ipſa quoque ambigua eſt. Item vox quæ aliquando propriè, aliquando impropriè, item quæ nunc latè nunc ſtrictè ſumitur, ambigua eſt.

2. *Diſtinctio vocis ambiguæ eſt clavis omnis tractationis.*

Sine

Sine hac enim nihil eſt aliud diſſertatio quàm pugna Andabatarum : atque ejus neglectu fermè potiſſima diſputationum difficultas & infœlicitas oritur.

3. *Fallacia diſtinctionis vocis eſt triplex.*

1. Cùm vox non ambigua habetur pro ambiguâ . ut cùm quidam fingunt vocem Jehovah, aliquando ſignificare Deum , aliquando Angelum creatum.

2. Cùm diſtributionis verbalis vel ambiguitatis modi confunduntur , ut cùm vox quæ eſt ambigua ratione certi modi ſignificandi habetur pro ambiguâ ratione principalis ipſius modi ſignificandi.

3. Cùm diſtributionis gradus confunduntur,ut cum diſtributio inadæquata habetur pro adæquatâ , ut ſi quis putet ſe liberaſſe vocem, *caro*,ab omni ambiguitate , ſi dicat, caro ſignificat vel partem animalium ſanguine præditorum , vel infirmitates humanas.

CVPUT XXIX.

De Synonymis & conjugatis.

PRÆCEPTA.

Argumenta Nominalia comparata ſunt quæ nomen cum nomine conferendo thema notificant.

Suntque Synomyma vel conjugata.

Synonyma ſunt nomina ejuſdem ſignificationis. Synonyma ſunt vocis aliâ idem clarius ſignificante explicatio. Petitur autem vel ex eadem linguâ, ut Meſſias eſt Emanuel, Marcus Tullius eſt Cicero: aliquem in nomen alicujus baptizare eſt aliquem alicujus primario juſſu juxta ipſius præſcriptum in religioſi cultùs ac obſervantiæ ſignum aquâ mergere: vel ex diversâ ut Emmanuel eſt θεάνθρωπος.

Conjugata ſunt nomina ejuſdem ſignificationis vel cognatæ, ut ſapientia, ſapiens, ſapienter,

Conjugata ſunt abſtracta vel concreta.

Abſtracta ſunt quæ habent modum ſignificandi ſimplicem adeoque ſunt priora, talia ſunt quæ ſignificant potentiam, formam, adjunctum, ipſumque actum,

Concreta ſunt quæ habent modum ſignificandi

candi compoſitum, adeoque ſunt poſteriora: talia ſunt quæ ſignificant rem cui convenit potentia, forma, adjunctum, actus, itemque præcedentium modum exprimunt.

Deinde Conjugata ſunt primaria vel ſecundaria: Illa ſunt quæ ratione vocis & ſignificatûs conveniunt, morbus, morbidus, morboſus: hæc quæ ratione ſignificationis conveniunt, ſed non vocis, ut morbus, æger, ægrè: quæ vero ratione vocis tantum & non ſenſûs conveniunt, ſunt ſolùm conjugata Grammatica, nec à Logico curantur, ut officium & officere: vinum & vinoſus.

REGULÆ.

1. *Synonyma ſunt perfectiora vel imperfectiora.*

Mutua vocum habitudo ac harmonia nititur harmoniâ rerum: nam ſignatum eſt menſura ſigni. Itaque ut in rebus permutatio ac neceſſitudo locum habent, ità & in vocibus. Vocum autem æqua permutatio eſt ſynonymia. Synonyma verò non ſunt ejuſdem gradûs; alia enim eandem rem eodem modo ſignificant, qualia vix in nominibus ſimplicibus in eadem linguâ ſapienter inventâ reperiuntur, fruſtrà enim fieret pluribus, quod æquè commodè poſſet obtineri paucioribus. In phraſibus tamen quin locum habere poſſit ni-

nihil videtur obſtare. In diverſis quoque linguis, hæc perfecta ſynonymia eſt rarior: hinc quò lingua res ex nobilioribus argumentis explicat, eò eſt nobilior. Alia verò ſynonyma eandem rem ſignificant, ſed non planè eodem modo: hæc ſunt frequentiſſima, tam in eadem, quàm in diverſis linguis. Sic nomina divina eandem quidem rem exprimunt in linguâ Hebraicâ, ſed ſingulis ineſt peculiare quoddam argumentum ac Emphaſis.

Maximus autem eſt ſynonymiæ uſus, nam quod menti variis modis objicitur, perfectiùs cognoſcitur quam quod uno: ſic variarum tranſlationum collatio, fermè eſt loci ejuſdem biblici interpretatio. Innuit aliquid lingua Hebræa quod non aſſequitur Chaldæa, & oſtendit aliquid Chaldæa quod non animadvertimus in Hebræa, ſic deinceps: unde doni linguarum excellentia elucet. Huc quoque pertinet artificium copiæ verborum, magni in ſtudio eloquentiæ uſus,

2. *Cuilibet voci ſequens tabella conjugatorum utiliſſimè applicatur.*

Quam antequam tradamus, obnixè rogamus æquum lectorem, ne nobis vitio vertat, quòd potiorem rerum ac ſubtilis perſpicuitatis, quam verborum ac obſcuræ puritatis, rationem habeamns.

Dici non poteſt quantum hæc tabella ad prom.

promptam actutùm cogitationum inventionem faciat, quod vel ſolus Scholaſticorum uſus abundè docebit. Eam itaque ingenioſe lector candido animo oblatam candidè accipe.

Omnis vox variatur per

- Ivitas, *vis activa ſeù communicativa.*
- Ivum, *res quæ habet vim activam.*
- Ivè, *modus quoquid ſe habet ad modum* Ivi.
- Ilitas, *vis paſſiva ſeu receptiva.*
- Ile, *res quæ habet vim paſſivam.*
- Iliter, *modus quo quid ſe habet ad modū* Ilis.
- Abſtractum *primarium, ut unitas, bonitas.*
- *Item concreta ſubſtantialia, ut homo.*
- Itio, *actus ſeu ipſa actio aut paſſio.*
- ns, *actu agens.*
- Ter, *modus quo quid ſe habet ad* ns.
- Tum, *actu factum.*
- Tè, *modus quo quid ſe habet, ad* tum.
- Adjectiva *habitum ſeu vim permanentem & additam ſignificantia,*
- *Et* Adverbia *quævis.*

Oritur hæc tabella ſi eadem vox deducatur per Etymologiam, ut, unitas, unitivum, unitivè, unibilitas, unibile, unibiliter, unitas, unio, unitio, uniens, unienter, unitum, unitè, unum, unè. Generativitas, generativum, generativè, generabilitas, generabile, generabiliter, genus, generatio, generans, generanter, generatum, generatè.

Bar-

Barbariſſima inquis hæc ſunt vocabula? fateor, etiam prædixeram, ſed heus, duo velim perpendas: primò quod hæ voces quæ in linguâ latinâ ſunt barbaræ, in hebræâ, græcâ aliiſque ſæpius ſunt puriſſimæ, ut hebræum lexicon te hoc docuerit, cùm varias conjugationes exprimere ſatagit: Imò in multis vocabulis quoque Latinis, hæ flexiones ſunt puræ: deinde ſuppeditamus hos terminos, ut iis utaris tanquam modulis, formulis ac muſtricolis quibus cogitationes effingas ac refingas, non autem ea unà cum opere vendas, ut iis ſenſa animi præſertim in populari ſermone exprimas ac promas. Itaque ut ille qui hæc repudiaverit in res iniquus, ita qui hæc in dicendo uſurpaverit in verba injurius ac ſtolidus fuerit.

Atque ut horum terminorum uſum magis agnoſcas, nota quòd ſinguli per ſua contraria ac per omnes præpoſitiones utiliter varientur, ut, non-unitivum, ad-unitivum, extra-unitivum, re-unitivum & ſic deinceps.

3. *Maxima eſt inter conjugata proportio, adeoque ſummus eſt illorum in diſſerendo uſus.*

Hinc ab Ariſtotele vocantur συστοίχεια. Topic. Cap. 4. Ac verò in alio inventionis loco tantam habent vim demonſtrativi Canones quantam habent in hoc, ſi ſequentia obſerventur.

1. Ita

1. Ita eſt arguenda conjugatorum convenientia, ne tollatur eorum differentia: non ſunt confundenda ſed diſtinguenda, ut concretum proprium attribuendum abſtracto.

2. Negatâ potentiâ, negatur neceſſariò actus, & pòſitâ potentiâ, contingenter ponitur actus, ſi non fuit unitivum, non fuit unitio.

3. Poſito actu neceſſariò ponitur potentia: at negato actu non protinus negatur potentia, ut ſi eſt unio neceſſariò fuit unitivum: contingenter, non eſt unio, ergo eſt unitivum.

4. Poſito vel negato relato, neceſſario ponitur vel negatur correlatum: correlata autem ſunt activa vel paſſiva; abſtracta vel concreta: ut ſi eſt unitivum neceſſariò quoque eſt aliquid unibile: & contra: ſi eſt uniens eſt quoque unitum: & contrà: ſi eſt unitas eſt quoque unum, & contrà.

5. Poſito modo ſeu adverbio certo, ponitur habitus, ſed poſito actu uno, non protinus ponitur habitus: ut agit prudenter: Ergo prudens eſt, ſed non eſt firmum, aliquem actum prudentiæ exercuit, ergo prudens eſt, ſcilicet ſi intelligas de habitu ſeu potentia permanente ac perfecta, unde potentiâ imperfectâ vel tranſeunte firmiter concluditur juxta regulam 3.

6. Attributio conjugatorum non fit per accidens, ſed per ſe: per accidens eſt cùm duo concreta accidentaliter unita de ſe invicem prædicantur. Sic non valet, coloratum eſt

ſapi-

ſapidum, ergo color eſt ſapor: & valet coloratum eſt viſibile: ergo color eſt viſibilis.

His obſervatis certiſſimus eſt Canon, à poſitione vel negatione, modo & gradu unius conjugati, rectè concluditur ad poſitionem vel negationem, modum & gradum alterius.

Hujus Canonis beneficio poſſumus ex quolibet termino plura quàm ducenta certiſſima axiomata facillimè deducere: Ut ſi eſt unitivitas, eſt unitivum; unibile, unibilitas, & ſic deinceps. Item qualis & quanta eſt unitivitas, tale & tantum eſt unitivum, & ſic deinceps. Cujus artificii ineffabilis eſt utilitas, ſi perpendamus quod omnes termini poſitivi, ratione termini entis ſunt conjugati, nam ut hominum, ità & terminorum, una eſt genealogia qua alii ſunt parentes & liberi, alii conſanguinei, alii affines.

4. *Conjugatorum fallacia eſt triplex.*

1. Cùm non conjugata Logica habentur pro conjugatis, eſt Dominus, ergo dominabitur univerſæ Europæ.

2. Cùm Conjugatorum modi confunduntur. Ut Deus poteſt producere alium mundum, ergo producet. Hic mundus erat creabilis ante viginti annorum millia, ergo antea eſt creatus.

3. Cùm conjugatorum gradus confunduntur, ut cùm naturalis potentia confunditur

cum habitu, ut inſigni præditus eſt ingenio: Ergo eſt inſignis Logicus.

Caput XXX.

De Teſtimonio.

Præcepta.

HUc uſque de argumento artificiali, reſtat inartificiale quod aſſumpta artificialis alicujus argumenti vi, thema notificat, & dicitur Teſtimonium, thema verò res teſtata.

Teſtimonium eſt ſententia ſeu ſignificatio teſtis, ut, ſcriptura docet hunc mundum eſſe tranſiturum, ejus vis omnis pendet ab authoritate teſtantis. Authoritas teſtantis eſt vis ſeu conditio quâ aſſenſum ſeu fidem meretur: hæc ſumi ſolet ab omnibus locis artificialibus, effectis præſertim & adjunctis, quæ omnia commodiſſimè ad hæc tria capita revocantur, nimirum ad facultatem cognoſcendi; voluntatem, ac dexteritatem cognita proferendi ſeu ſignificandi. Hinc oritur quoque teſtimoniorum comparatio: In quo enim teſte hæc tria ſunt illuſtriora, is cæteris eſt præferendus: ſic

ſic Teſtimonium prudentis & probi, & clari viri teſtimonium, pueri teſtimonio improbi, & obſcuri eſt anteponendum.

Significat autem teſtis ſententiam ſuam dicto vel ſcripto, vel facto, vel denique re aliquâ, qua ratione confeſſiones, inſtrumenta literaria, miracula, arrhæ ſimiliàque, quæ vim indicandi habent ad teſtimonium referuntur.

Teſtimonium eſt infallibile vel fallibile.

Teſtimonium infallibile eſt quod falſum eſſe nequit. Teſtis autem infallibilis eſt cujus ſcientia falli, voluntas ſeu inclinatio corrumpi, & ſignificatio impediri non poteſt. Talis eſt ſolus Deus. Itaque ſolum divinum teſtimonium ſimpliciter eſt infallibile.

Teſtimonium Divinum eſt ſupernaturale vel naturale. Illud poteſt vocari extraordinarium; hoc ordinarium.

Teſtimonium ſupernaturale eſt cùm Deus, modo naturæ vires ſuperante aliquid notificat ſeu patefacit

Eſtque immediatum vel mediatum.

Immediatum eſt cùm ſine intelligentis Creaturæ miniſterio veritatem aliquam patefacit, ſive id dicto, ſive ſcripto, ſive facto, ſive denique re aliqua faciat: exempla in ſcritura occurrunt varia, illuſtriſſimum eſt internum Spiritûs Sancti teſtimonium, ſeu interna ac ſpecialis fidelium experientia qua vident & guſtant quàm bonus ſit Dominus.

bus. Varias hac vice humani teſtimonii diviſiones ac comparationes relinquimus ſymbioticæ.

Diabolicum eſt quod Diabolus poſt ſuum lapſum profert; hoc non ſolùm fallibile ſed fallax eſt ſemper, ſi ejus origo, modus, ſcopus perpendatur: Idem ſtatuendum eſt de teſtimoniis Magorum, ſimiliumque Diaboli mancipiorum.

Reſteſtata eſt res quæ teſtimonio ſignificatur, ejus reciproca argutio eſt obſcurior vel clarior.

REGULÆ.

1. Poſitâ vel negatâ teſtantis authoritate, ponitur vel negatur modo graduque proportionali authoritas teſtimonii.

Cum autem authoritas teſtantis facultate cognoſcendi, voluntate ac felicitate exprimendi nitatur, hæcque non ſemper in teſte ſint æqualia: Solent Juriſconſulti hæc tria inter ſe prudenter conferre, ac ſingulorum vim accuratè ponderare. Sic Teſtimonium publicum privato, univerſale particulari, proprium alieno, liberum coacto, repetitum ſimplici, juramento confirmatum non confirmato, favorabile odioſo, cæteriſque paribus præfertur.

 2. Ar-

2. *Argumentatio à teſtimonio infallibili, affirmativa eſt irrefutabilis: Negativa tum demum ſi res teſtata ad ejus perfectionem & juriſdictionem pertineat.* Nam certiſſimum eſt axioma, quidquid ſenſus recta ratio aut ſacra ſcriptura teſtatur eſt veriſſimum. Hujus axiomatis veritas ex ſingulorum definitione facilè demonſtratur: At non ſequitur, hoc non teſtatur ſenſus, vel ratio, vel hoc non teſtatur Sacra Scriptura, ergo non eſt verum, niſi ad ſingulorum officium pertineat de eo teſtari. Si enim pertineat, firma eſt argumentatio.

Ut poſitis omnibus ad ſentiendum requiſitis, nullum tamen ſenſibile percipio, ergo nullum adeſt.

Item recta ratio nihil de hac figura ſyllogiſtica teſtatur, ergo eam fingis. Denique rectiſſimè, S. Scriptura nihil docet de re quam dicis ad ſalutem neceſſariam: Ergo non eſt neceſſaria, quia ſcripturæ officium eſt reddere hominem Dei perfectum, 2 Tim. 3. v. 17.

In cæteris verò diligenter eſt diſtinguendum inter tacere & negare rem aliquam, ſic non ſequitur, ſenſus tacent de ſpiritibus, ergo eos negant: Recta ratio tacet de Myſteriis fidei, ergo ea negat: Sacra Scriptura tacet de multis naturæ ac artium myſteriis, ergo ea negat.

Fallacia Teſtimonii eſt triplex.

1. Cùm

1. Cum non teſtimonium habetur pro teſtimonio, ut cùm citatur donatio Conſtantini M. quæ nullibi exſtat, niſi conficta.

2. Cùm Teſtimoniorum modi confunduntur. ut cùm Teſtimonia Conciliorum & Patrum habentur pro Divinis.

3. Cùm Teſtimoniorum gradus confunduntur, ut cùm ſtulti ac improbi Nobilis teſtimonium præfertur teſtimonio prudentis ac probi Ruſtici.

Finis Libri primi.

LOGICÆ

LIBER SECUNDUS

De Inſtrumentis diſpoſitionis.

CAPUT PRIMUM.

De diſpoſitione in genere.

PRÆCEPTA.

INſtrumenta Inventionis hucuſque expoſita fuerunt: ſequuntur inſtrumenta diſpoſitionis quæ humanum Judicium res inventas diſponendo perficiunt; unde & Critica dicitur.

Diſpoſitio eſt Logica diſtinctorum argumentorum conjunctio.

Judicium eſt mentis humanæ actio quâ ſe conjunctis rerum notionibus ſeu imaginibus unit. Hinc diſpoſitionis certæ regula unumquodque judicatur.

Diſ-

Diſpoſitio eſt Analoga vel Anomala, Illa quæ manifeſtè, hæc quæ occultè rerum connexioni reſpondet, dicitur Cryptica.

Diſpoſitio Anomala eſt Pleonaſmus, Ellipſis, vel Metatheſis Critica, quorum modorum varia eſt Combinatio.

REGULÆ.

1. *Diſpoſitio pendet ab inventione.*

Diſpoſitio eſt quædam ſyntaxis. Inventio quædam quaſi Etymologia. At ſimplicia ſunt ſemina ac normæ compoſitorum: Itaque & inſtrumenta inventionis erunt radices ac normæ inſtrumentorum diſpoſitionis. Sic diſpoſitio connectit cauſam cum effecto, ſubjectum cum adjuncto, par unum cum altero, & ſic deinceps. Is igitur qui ſimplicium terminorum definitiones exactè cognoverit, facile eas congruè inter ſe componet, qui verò illas ignoraverit non perité conjunget, ſed imperitè confundet.

2. *Diſpoſitio requirit argumentorum ſeu terminorum diſtinctionem, hæc autem diſtinctio, vel eſt realis, ut homo eſt riſibilis. vel ſaltem rationis, ut homo eſt animal rationale.*

Nam ſi planè idem ſibi ipſi reddas, inutilis

eſt additio & nugatoria. Sic ſtulta eſt diſpoſitio, homo eſt homo, quia eſt homo. Aſt ſi ratio quædam diſtinguat, etſi reipsâ unum ſint, utilis tamen eſt eorum diſpoſitio. Nam ſicut ratio ea diſtinguit, ſic etiam componit, qui mentis proceſſus in ſimpliciſſimis ac generaliſſimis rebus eſt frequentiſſimus & neceſſarius; ſic rectè dicitur, Deus eſt bonus, ens eſt unum: ſi Deus eſt bonus, eſt benignus; At eſt bonus, Ergo. Si omne ens eſt unum eſt quoque ordinatum: At verum prius, ergo: Denique Deus eſt, Deus eſt bonus: Ens eſt, ens eſt unum: Et ſi Dei exiſtentia, bonitas planè unum & idem ſint in re: etſi entis exiſtentia, unitas & ordo inter ſe non differant, noſtra tamen mens unum tanquam altero notius apprehendit.

3. *Diſpoſitio Logica eſt quæ res notificat.*

Oratio eſt ſimplicium verborum complicatio, ea non eſt propria Logicæ, ſed ad varias artes pertinet: Eſt enim Oratio Grammatica, Rhetorica, Poëtica, imò & Lexica: omnibus enim artibus commune eſt habere inſtrumenta ſimplicia vel compoſita ſeu combinata: Hinc primò orationum ſeu combinationum fundamenta & modos debent explicare Metaphyſici. Quamvis autem inſignis ſit orationum harmonia, tamen variæ ſunt artes, ità quoque

varii

varii ſunt orationum fines, Grammatica puritatem, Rhetorica ornatum, & Logica notitiam reſpicit. Hoc enim unicè agit Logica, ut varia ſimplicium connexione res notificet, unde non tam verba quàm ſenſum curat. Illæ itaque terminorum conjunctiones quæ res non illuſtrant ſed obſcurant, quæ nullum in vitâ humanâ uſum habent, non tanquam Logica opera ſunt ſuſcipienda, ſed tanquam ἄλογα & inſana deſpicienda, quales ſunt monſtroſæ plerarumque tam propoſitionum quàm ſyllogiſmorum modalium confirmationes ab otioſis quibuſdam fucis confictæ.

4. ***Diſpoſitio anomala accuratè eſt diſcernenda (& ad bonum reducenda) ab Analogâ.***

Diſpoſitio analoga eſt regulis accomoda.

Irregularis non quod artis regulis repugnet, ſed quòd ingenioſe eas occultet, cumque iis non immediatè ac directè, ſed mediatè ac obliquè conſentiat. Eſt autem in uſu longè frequentior quam analoga, ut ſacræ ſcripturæ, codicis Juſtinianæi, Platonis ac Ariſtotelis, omniumque oratorum ac Poëtarum Analyſis clariſſimè oſtendit; ſolæ diſplinarum methodi diſpoſitionis rigorem laudabiliter obſervant. Is itaque qui Anomalas diſpoſitiones judicare non noverit, ne unoculus quidem erit Logicus.

Univerſa autem diſpoſitionis Crypſis conſiſtit, vel in quorundam omiſſione, vel in additione, vel inverſione, aut permutatione; quam analogam vocabimus.

Additur vel themati, quò pertinet ejus repetitio & inculcatio: vel argumentis; ſæpius quoque ex unâ parte fit additio, ex alterâ ſubductio, & ex utraque inverſio, quæ in ſpecialibus erunt clariora. Hic diligentiſſimè notetur quòd Logica non metiatur rerum & verborum multitudinem, ſed principalium & totalium notionum multitudinem.

Sunt enim quidam conceptus minus principales & quaſi partiales, qui ad aliorum ſtructuram pertinent: hinc ſubjectum propoſitionis non rarò duobus, tribus terminis, imò duabus, tribus minus priucipalibus propoſitionibus exprimitur. Sic una propoſitio eſt, hæc eſt vita illa æterna ut cognoſcant te illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum Joh. 17. v. 3.

5. *Fallacia diſpoſitionis in genere eſt triplex.*

1. Cùm non diſpoſitio Logica habetur pro diſpoſitione, ut ſi quis putet hanc vocum congeriem eſſe diſpoſitionem, albedo, dulcedo, rubedo: vel albedo eſt dulcedinis. Itaque voces, flexiones obſervandæ ſunt; & videndum quennam ſenſum exprimat.

2. Cùm diſpoſitionum modi confunduntur, ut ſi quamvis propoſitionem in Claſſicis authoribus habemus pro concluſione ſyllogiſmi, qui error multis Analyticis eſt familiaris.

3. Cùm diſpoſitionum gradus confunduntur, ut cùm anomala habetur pro analoga, hic fallaciæ modus poteſt revocari ad ſecundum

Cùm autem diſpoſitio ex partibus conſtet, ſinguli fallaciæ modi in ſingulis earum partibus utiliter obſervantur.

Caput II.

De partibus axiomaticis.

Præcepta.

DIſpoſitio eſt axioma vel dianoia. Unde & Judicium eſt Axiomaticum vel Dianoeticum.

Axioma eſt diſpoſitio thematis & argumenti, eorum habitudinem exprimens, ut Deus eſt, Deus eſt perfectiſſimus. Ab aliis dicitur enuntiatum, enuntiatio, pronuntiatum, pronuntiatio, effatum & exemplaris propoſitio.

Judicium axiomaticum eſt quo quid eſſe vel non eſſe, cognoſcitur: ſive cognoſcatur aliquid

quid ſimpliciter eſſe aut non eſſe, ſive certo modo, graduve aliquid eſſe aut non eſſe.

Axioma conſideratur in genere vel in ſpecie. In genere abſolutè vel comparatè.

Axiomatis conſideratio abſoluta eſt quâ unum axioma per ſe conſideratur, ea perpendit axiomatis partes & communes diviſiones.

Partes axiomatis ſunt principales vel minus principales. Utræque explicitæ, disertè poſitæ: vel implicitæ ſeu intellectæ. Pars axiomatis principalis eſt materialis vel formalis.

Partes materiales ſunt partes connectendæ, unde & termini ſeu extrema vocantur.

Pars materialis eſt antecedens vel conſequens: ſubjectum vel prædicatum.

Subjectum eſt pars axiomatis notificanda, ut homo. Prædicatum eſt pars notificans, ut rationalis: Itaque ſubjecto ſemper eſt notius.

Pars formalis, ſeu forma axiomatis eſt ipſa ſubjecti & prædicati connexio, ut homo eſt rationalis.

Partes axiomatis minus principales ſuns vel ſigna principalium, vel particulæ eas modificantes & determinantes, Copula, ſignum, partes formales vocantur vinculum. Vinculum eſt pars axiomatis reliquas connectens: ſeu eſt primariæ connexionis axiomaticæ nota: ſic in hac propoſitione, omne corpus eſt quantum, vocale *eſt*, eſt vinculum: In hâc vero, ſi eſt ali-

aliquid in rerum natura, etiam Deus eſt, vocula *ſi*, eſt vinculum.

REGULÆ.

1. *In quolibet axiomate ſaltem ſunt duo termini ſimplices ſeu duo argumenta.*

Unius enim rei, quâ unius, nulla eſt connexio, unde ſi terminus eodem modo ſe habens ſibi ipſi addatur, nugatio eſt, quæ vocatur propoſitio Identica, ut hic homo eſt homo, hic pavo eſt pavo. At ſi terminus aliter ſe habeat, vel ratione ſignificationis, vel intellectionis, utilem efficit propoſitionem, ut ſi præcedentium, hic fit ſenſus. hic homo eſt præclarus hic pavo eſt egregius: hinc ploce, figura Rhetorica orta, quâ eadem vox repetita, jam perſonam aut rem, jam ejus qualitatem aut modum ſignificat.

Hic obſerva in quolibet axiomate eſſe ſaltem duo argumenta ſenſu & re; licèt non ſemper tot ſint ſigna, nam in Ellipticis locutionibus, ſæpius uno verbo plurima indicantur, ut, pater tuus eſt ne domi? Eſt: in quâ voculâ tota hæc præpoſitio, pater meus eſt domi, latet.

2. *Signa axiomatis Logica reſpondent inſtrumentis Grammaticis.*

Inſtrumenta Grammatica ſunt Etymologica

ca vel ſyntactica. Etymologica ſunt principalia vel minus principalia.

Principalia ſunt nomen & verbum; nominiſque vicarium eſt pronomen, verbi participium: horum modificationes ſeu flexiones ſunt principales, ut nominis, caſus rectus; verbi modus indicativus & quidem tempus præſens, vel minus principales, ut nominis, caſus obliqui: verbi, reliqua tempora & modi.

Minus principalia inſtrumenta Etymologica ſunt Adverbium, Præpoſitio, Interjectio & Conjunctio.

Solet autem in judicio axiomatico in quo ſecundarii modi vocum occurrunt, reduci ad propoſitiones modis primariis expreſſas, quæ dicitur propoſitionum rectificatio, de quâ in Logica ſpeciali.

Hinc orta eſt diviſio vocum in categorematicas quæ rem certam, & ſyncategorematicas quæ modum rei ſignificant; verùm varia datur harum combinatio ac permutatio: ſic adverbium, interjectio poteſt eſſe principale ſubjectum & prædicatum. Ex his patet quod Grammatica præſertim omnibus linguis communis, ſit clavis analyſeos Logicæ, quamque ſingulæ linguæ peculiares conceptus exprimendi modos habeant, qui diligenter ſunt obſervandi.

3. *In judicio axiomatis accurata eſt habenda ratio vinculi.*

Quia

Quia eſt certiſſimus primariæ partis, ſcil: formæ character: Unde ab ipſo pendet axiomatis affirmatio & negatio, veritas & falſitas, aliæque affectiones. Eo autem major eſt adhibenda diligentia, quod non ſemper exprimatur, ſed ſæpiùs verbis includatur, vel cum iis permutetur. Sic in propoſitione Ens eſt, vinculum *eſt*, eſt prædicatum & vinculum. Sic vincula propoſitionum compoſitarum non rarò exprimuntur relativis.

4. *Fallacia axiomaticarum partium eſt triplex.*

1. Cùm pro parte axiomatis habetur ea quæ non eſt, ut cùm pars præcedentis periodi trahitur ad ſequentem: huc igitur pertinet confuſio punctorum, colorum, ſemicolorum, & commatum.

2. Cùm partium modi ſeu genera confunduntur, ut cùm ſubjectum habetur pro prædicato, ſic quis putet Joh. 1. v. 1. Deus eſſe ſubjectum.

3. Cùm partium gradus confunduntur, ut ſi pars minus principalis habetur pro principali.

CAP.

Caput III.

De Axiomate affirmato & negato.

SEquuntur communes axiomatis diviſiones quæ generales ejus affectiones ſimul indicant.

Axioma in genere eſt affirmatum vel negatum, verum vel falſum: Analogum vel Anomalum.

Axioma affirmatum eſt in quo prædicatum cum ſubjecto conjungitur, ſeu quod thematis & argumenti convenientiam exprimit, ut Deus eſt perfectiſſimus.

Axioma negatum eſt in quo prædicatum à ſubjecto disjungitur, ſeu quod thematis & argumenti diſconvenientiam exprimit, ut, Deus non eſt compoſitus.

Regulæ.

1. *Canones de axiomatis affirmatione & negatione ſunt hi.* 1. *Affirmatio & negatio axiomatis pendet à vinculo, eo enim affirmato affirmatur, negato negatur.*

Negatur autem vinculum ſi particula negativa illud attingat, quod fit ſi vel toti axiomati

vel

vel vinculo immediatè præponitur; ut non ſi homo moritur, anima perit; anima rationalis non perit. Si verò negatio pertineat ad amplificationem ſubjecti vel prædicati, non negatur vinculum: Sic affirmata ſunt hæc axiomata; Quod non eſt compoſitum eſt incorruptibile: qui non credit eſt reprobus; Adam potuit non mori. Deus potuit non creare mundum. Huc pertinet diviſio axiomatis in finitum, quod conſtat ex meris terminis finitis, ut homo eſt mortalis: & infinitum quod vel uno vel utroque termino infinito conſtat. Terminus infinitus eſt cui præponitur non, ut non homo, non mortalis factus eſt mortalis.

2. Fundamentum affirmationis eſt conſenſio: negationis diſſenſio. Omne quidem axioma eſt compoſitio, ſed aliquando compoſitio uniens ſeu conjungens: aliquando removens ſeu ſejungens, & vincula aliquando ſunt inſtar tranſgreſſorum jungentium duas trabes, aliquando inſtar disjungentium.

3. Affirmatio eſt prior & dignior negatione: ſi in genere loquamur: & negatio eſt clarior & facilior in ſublimioribus. Hinc Philoſophi primum principium evidentiæ cauſâ negativè aſſerunt: Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe: omnis tamen negatio fundatur in affirmatione, ſicut omnis multitudo in unitate.

2. *Fallacia axiomatis affirmati vel negati eſt triplex.* 1. Cùm

1. Cùm affirmatum habetur pro negato & viciſſim : ut ſi quis hanc propoſitionem , non populus Dei fiet populus Dei , habeat prò negata: vel hanc , ſi non eſt animal non eſt homo, pró negata.

2. Cùm affirmationum & negationum modi confunduntur , ut ſi affirmatio finita habeatur pro affirmatione infinitâ.

3. Si affirmationum & negationum gradus confunduntur , ut ſi negatiò ſpecialis , habeatur pro negatione univerſali , ut non omnis homo eſt prudens, pro, nullus eſt prudens.

Caput IV.

De axiomate vero & falſo.

Axioma verũ eſt quod pronuntiat ſicuti res eſt,falſum contra. Seu axioma verum quod cum rerum habitudine congruit. Ut Deus omnia futura ab æterno præſcivit , eſt verum: Deus non præſcivit omnia ab æterno,eſt falſum.

Utrumque eſt neceſſarium vel contingens.

Axioma neceſſarium eſt cujus habitudo eſt immutabilis,ſeu quod ità eſt verum, ut non poſſit eſſe falſum , aut ita eſt falſum. ut non poſſit eſſe verum, ut homo eſt ſubſtantia , homo non eſt ſubſtantia.

Axio-

Axioma contingens eſt cujus habitudo eſt mutabilis. Seu quod ita eſt verum ut poſſit eſſe falſum, ut Socrates eſt doctus. Vel ita falſum ut poſſit eſſe verum, ut Socrates non eſt doctus.

Eſt autem neceſſitas & contingentia vel abſoluta & ſimpliciter talis, vel hypothetica & ſecundum quid talis.

Abſoluta neceſſitas eſt quæ pendet ab immutabili terminorum habitudine, ut, Sol eſt ſtella.

Neceſſitas hypothetica eſt quæ pendet à certa rerum ordinatione & ſtatu, ut, Sol mutabitur.

Regulæ.

1. *Axioma verum eſt quod conſentanea diſponit affirmando, & diſſentanea negando, ſcilicet modo graduque congruo.*

1. Itaque requiritur conſentaneorum affirmatio, ut Deus creavit mundum; vel diſſentaneorum negatio, ut Deus non eſt mundus. Deinde requiritur debitus affirmationis & negationis modus & gradus, ſecus etiam conſentanea affirmata conſtituunt propoſitionem falſam, ut Deus eſt mundus. Itemque diſſentanea negata, ut Deus non eſt in mundo. Modus autem & gradus congruus cognoſcitur ex argumentorum definitionibus: nam modus prædicandi ſequitur modum eſſendi.

2. Axioma falſum eſt quod conſentanea enun-

enuntiat negando, & diſſentanea affirmando, vel quod conſentanea affirmat & diſſentanea negat, ſed modo graduque incongruo: homo non eſt animal: homo eſt lapis, ſolus homo eſt animal. Aliquis tamen homo non eſt lapis.

2. *Canones de neceſſitate & contingentia axiomatis ſunt hi.*

1. Neceſſitas axiomatis pendet ab immutabili rerum habitudine adeoque perpetuâ earum conſenſione vel diſſenſione: Ut Deus eſt ſimpliciſſimus: Eſt axioma neceſſariò verum, quia ſimplicitas perpetuò conſentit cum divina perfectione: At Deus quædam neſcit, eſt axioma neceſſario falſum, quia ignorantia perpetuò diſſentit à perfectione divina.

2. Contingentia axiomatis pendet à conſenſione & diſſonſione ſeu habitudine rerum mutabili. Sic axioma verum contingens eſt quod verum quidem eſt, potuit tamen eſſe falſum, ut Ariſtoteles eſt Philoſophus.

Habitudo rerum eſt intrinſeca quæ ipſis reſpectu certi ordinis ac ſtatûs convenit. Unde neceſſitas quoque & contingentia eſt duplex, abſoluta vel reſpectiva, unde una eadem propoſitio pro diverſo reſpectu poteſt eſſe neceſſaria & contingens. Prout autem variatur ſtatus, ſic quoque neceſſitas & contingentia. Sic Sol movetur, homo ſanus ac diu vivens nutritur, ſunt propoſitiones phyſicè neceſſariæ, ſed non metaphyſicè.

3, Axio-

3. Axioma neceſſarium parit ſcientiam vel fidem infallibilem: Abſoluta axiomatis neceſſitas pendet ab immutabili ſubjecti & prædicati connexione vel disjunctione, ut homo eſt rationalis, homo non eſt brutum.

4. Axiomatis neceſſario veri & affirmati tres ſunt gradus: Nimirum κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ, & καθόλου πρῶτον. Tam negatum quàm affirmatum axioma eſt neceſſarium; ſed in affirmato neceſſitas ad docendum eſt efficacior Intelligantur autem hi gradus vel ſpecialius, quatenus tum propoſitionibus univerſalibus ac ſimplicibus applicantur: quomodo plerique peripatetici accipiunt, dum omnia ad demonſtrationem referunt: Vel generalius: cùm etiam axiomatibus ſingularibus ac compoſitis accommodantur quam nos hic ſequimur.

5. Axioma κατὰ παντὸς de omni, eſt axioma affirmatum neceſſarium: ſeu cujus prædicatum neceſſariò convenit omni ſubjecto, diciturque univerſale. Eſt autem univerſalitas ſubjecti, vel poſitiva quando prædicatum convenit ſubjecto & omnibus ſub eo contentis, ut homo eſt animal: vel negativa cùm nihil poteſt ſumi ſub ſubjecto, cui non conveniat prædicatum, etſi ſubjectum nulla ſub ſe habeat, vel habere poſſit, ut Deus eſt æternus: quia κατὰ παντὸς quod vocatur prioriſticum ſeu Catholicum primum, ut homo ridet, flet, accuratè loquendo non eſt κατὰ παντὸς.

Axio-

Axiomati huic opponitur κ῀ μηδενὸς, de nullo, quod de nullo verum eſt, ut, homo eſt lapis, itemque quod de paucis verum eſt, ut homo eſt doctus: vel de multis ſed non omnibus, ut homo eſt ſanus.

6. Anomalia ſeu exceptio addita analogiæ ſeu regulæ facit axioma κατὰ παντὸς, cavendum tamen eſt ne univerſalia præcepta rubriſcis frequentibus exceptionibus enervemus: in rebus neceſſariis accuratâ inductione exceptiones facilè vitari, in liberis autem præſertim in linguis vix omitti poſſunt.

7. Axioma καθ' αὑτὸ, per ſe, eſt cujus partes ſunt eſſentiales inter ſe, ſive prædicatum ſit eſſentiale ſubjecto, vocaturque primi modi, ut homo eſt animal: ſive ſubjectum ſit eſſentiale prædicato, diciturque ſecundi modi, ut homo eſt riſibilis. Eſt autem præpoſitio per ſe, ſive eſſentialis terminorum habitudo, ſive ſit immediata, quod eſt in proximis, ſive mediata in remotis, illorumque combinationibus. Per ſe itaque prædicatur genus proximum & remotum de ſpecie, homo eſt animal: ſpecies proxima vel remota de Individuo, ut Paulus eſt animal.

8. *Forma ſpecifica vel generica de formato per ſe prædicantur*, ut homo habet animam ſentientem, homo habet animam rationalem: & proprium genericum,

&

ſpecificum de ſubjecto, ut homo eſt riſibilis, homo eſt quantus. Combinatio horum varia eſt, ut, homo ſentit, rationale ſentit: rationale eſt riſibile: riſibile eſt quantum. Huic axiomati opponitur τὸ κατὰ συμβεβηκὸς, per accidens, ut homo eſt dives.

9. *Axioma καθόλου πρῶτον, eſt cujus partes ſunt reciprocæ inter ſe.*

Hic forma proxima (inter ſe) de formato, proprium de ſubjecto, diſtributio perfecta de diſtributo, & definitio perfecta de definito prædicatur, ut homo eſt rationalis, homo eſt riſibilis, docibilis. Animal eſt homo vel beſtia. Beſtia eſt animal irrationale.

Hi tres gradus ità ſe habent ut poſterior ſemper contineat priorem, ſic reciprocum continet per ſe: per ſe continet de omni; ſicut pentagonum continet tetragonum, & hoc trigonum.

1. Axioma falſum eſt poſſibile vel impoſſibile.

Illud eſt quod ea ſejuncta conjungit, quæ conjungi poterant. Ut, Socrates non eſt doctus: hoc eſt quod neceſſariò connexa ſejungit, ut Deus non eſt omniſcius: vel neceſſariò disjuncta conjungit, ut Deus eſt mutabilis.

3. *Præcepta diſciplinarum conſtituantur ac examinentur ad tres has le-*

ges quarum prima dicitur veritatis, ſecunda juſtitiæ, tertia ſapientiæ. In definitionibus ac diſtributionibus rigidè ſunt obſervandæ: In regulis eſt aliquid condonandum, præſertim ſi agant de rebus generaliſſimis, Divinis, privativis & negativis, in his enim non eſt ſpectanda forma ἀκριβείας, ſed ſpectanda ἐπιεικεία: quò autem diſciplinarum præcepta exactiùs cum his legibus conveniunt eò ſunt accuratiora.

4. *Axiomatis veri & falſi fallacia eſt triplex.*

1. Cùm verum habetur pro falſo vel contra, ut hæreſis quæ negat vera & affirmat falſa.

2. Cùm verorum & falſorum axiomatum modi confunduntur, ut ſi contingens habeatur pro neceſſario, vel contra.

3. Cùm eorum gradus confunduntur, ut cùm homo eſt intelligens, habetur pro reciproco.

Caput V.

De axiomate Analogo vel Anomalo.

Axioma Analogum eſt quod directè ac nudè Thematis & argumenti habitudinem exprimit, ut homo eſt animal.

Axioma

Axioma Anomalum quod indirectè ac obliquè. Debet autem reduci Anomalum ad Analogum: & Anomalia ad Analogiam.

Anomalia Axiomatis eſt generalior vel ſpecialior.

Generalior eſt axiomatis exceſſus, defectus, vel inverſio, horum combinatio eſt exceſſus, ut cùm aliquid non neceſſariò, vel ſubjecto vel prædicato, vel vinculo additur, ut Deus qui creavit cœlum & terram eſt invocandus, Deus eſt ſummè perfectus: Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Huc pertinent amplificationes partium axiomatis, quibus uni parti additur vel terminus vel integra propoſitio, eaque vel ejuſdem vel diverſi generis.

Axiomatis defectus ſeu Ellipſis eſt cum aliquid omittitur, Rex venit ne? venit. Hic excellit incluſio vinculi in prædicato, ut, hoc ſapit, id eſt, eſt ſapiens.

Inverſio axiomatica eſt partium axiomatis tranſpoſitio, ut nobilitas ſola eſt atque unica virtus. Nulla fides pietaſque viris qui caſtra ſequuntur. Huc pertinet propoſitio quæ dicitur non naturalis, cùm nimirum prædicatum in axiomate affirmato eſt anguſtius ſubjecto, ut animal eſt homo. Vivum corpus eſt planta.

Anomalia axiomatica ſpecialior eſt diſpoſitionis permutatio vel combinatio.

Permutatio diſpoſitionis eſt Pathetica vel

 Tropica.

Tropica Pathetica eſt quâ axioma modo quodam obſcurius quidem attamen vehementiùs enuntiante afficitur, talia ſunt axiomata Interrogativa, Imperativa & Optativa, quæ per voces, volo, debeo, ac poſſum, reducuntur, ut quid enim niſi rota ſuperſum, ô mihi præteritos Jupiter ſi referat annos!

Permutatio tropica eſt quâ argumentorum ſymbola artificiòſè permutantur, ut cauſa cum effecto, vel contra. Subjectum cum adjuncto, Ut Ira eſt fervor ſanguinis. Mors eſt pallida.

Ad axioma tropicum pertinent etiam Typici ſacramentales, ac quidam loquendi modi qui communicatio Idiomatum dicuntur.

Specialis diſpoſitionis combinatio eſt limitans & removens, utraque eſt explicita, vel implicita. Illa cùm combinatio certis ſignis exprimitur: hæc cum rerum diſpoſitarum natura vel ex contextu exprimitur.

Axioma limitans eſt quod exprimit quod, & quomodo prædicatum conveniat ſubjecto vel non conveniat: ejus notæ ſunt voculæ, quâ, quatenus, ſecundùm, per ſe, reſpectivè, ſimiliaque adverbia, ut homo quâ ens eſt bonum, homo ſecundùm animam eſt immortalis. Chriſtus ignorat diem Judicii, ſubintellige quâ homo. Homo eſt mortalis, ſubintellige ſecundùm corpus.

Axioma removens eſt quod attribuendo uno modo, negat alio. Itaque eſt ſemper combinatum

natum ex heterogeneis, affirmato ſcilicet, & negato, vel contra.

Removere hic ſumitur pro aliter ponere ſive id fiat affirmando vel negando, ut & tribuere pro conjungere vel disjungere.

Axioma removens eſt Excluſivum vel Exceptivum.

Excluſivum axioma eſt quod generaliter aliquid removet, ejus notæ ſunt, ſolus, ſolùm, duntaxat, unus, unicè.

Eſtque excluſivum ſubjecti vel prædicati.

Excluſivum ſubjecti eſt quod certo ſubjecto prædicatum tribuit, reliquis generaliter remotis, ut ſolus Dèus eſt infinitus. Solus Deus eſt Iſraëlis verus Deus. Non ſolus pater eſt Deus. Tale ſemper eſt axioma ſi particula excluſiva præponatur ſubjecto.

Excluſivum prædicati eſt quod uno prædicato attributo alia removet, ut, ſacramenta N. T. ſunt tantùm duo. Carthuſiani tantùm Piſces comedunt. Tale ſemper eſt axioma ſi particula excluſiva poſtponatur copulæ, ſi verò ponatur genere poſito inter ſubjectum & prædicatum, eſt ambiguum.

Axioma Exceptivum eſt quod diſtinctè ſpeciem vel individuum removet: ejus notæ ſunt, præter, præterquam, nemo niſi, & ſimiles, ut omnia animalia præter hominem ſunt irrationalia: nemo niſi pater novit horam Judicii, Marc. 13. v. 32.

REGULÆ.

1. *Diſtinctio inter axioma Analogum & Anomalum eſt baſis Iudicii Logici.*

Nam qui Anomalum confundit cum Analogo omnia perturbat. Qui verò Anomalorum doctrinam contemnit, clavem claſſicos authores, qui iis frequentiſſimè utuntur, intelligendi ſibi ipſi arripit. Intellige Anomaliam Artificioſam, non artis expertem: abſurdos enim axiomatum exceſſus, defectus, inverſiones vel permutationes Logica non probat, ſed improbat.

2. *Canones de limitatione ſunt hi.*

1. Limitatio diſtinguat non evertat argumenta limitanda. Nam ſi non diſtinguat eſt nugax: ſi verò ſubjecto vel prædicato repugnet eſt abſurda. Tales limitationes ſunt. Chriſti corpus ſecundùm ubiquitatem eſt ubique. Secundùm quantitatem eſt in certo loco. Corpus Chriſti quà illocale eſt ubique.

2. Limitatio eſt uniformis ſeu ſimplex: vel biformis ſeu compoſita.

Uniformis eſt quæ rem limitat per ſeipſam: eſtque reduplicativa vel ſpecificativa. Illa exprimit non ſolùm quodnam ſed etiam quare conveniat prædicatum ſubjecto, ut ens quà ens eſt bonum, corpus quà corpus eſt quantum, homo quatenus homo eſt rationalis.

Specificativa tantùm exprimit cui ſubjecto conve-

conveniat prædicatum, non quare. Ut homo quà homo eſt doctus.

3. Limitatio biformis eſt quæ rem limitat per aliquod ipſi competens.

Eſtque generalis vel ſpecialis.

Generalis fit terminis communibus imprimis metaphyſicis ac Logicis, ut corpus movetur per ſe, vel per accidens: motu ſimplici vel compoſito.

4. Limitatio ſpecialis eſt eſſentialis vel accidentalis: Eſſentialis fit per terminum eſſentialem.

Eſtque generica quæ fit per genus, remotum vel propinquum, ut homo quà corpus eſt quantum quid; quà animal ſentit.

Vel partialis quæ fit per partem, eamque vel eſſentialem, ut, homo ſecundùm animam eſt incorruptibilis, vel integralem, ut Æthiops habet albos dentes.

Accidentalis eſt interna, cùm res abſolutè ſpectata per accidens aliquod limitatur, ut, homo quà peccator punitur. Vel externa cùm res alia collata per accidens aliquod limitatur. Ut Abraham eſt filius collatus cum Tharan: Eſt pater, collatus cum Iſaaco.

3. *Excluſiva non excludit incluſa.*

Per incluſa intellige neceſſariò antecedentia, connexa vel conſequentia; ſic cùm dico, ſolus homo intelligit, non excludo animam. Solus Niſus occidit Rutulos, non excludo

arma. Solus Henricus Quartus eſt Heros Galliæ, non excludo Ludovicum filium. Diligentiſſimè hic notandnm quod ſpecialis alicujus prædicati attributio non ſit excluſio.

Fallacia Analogi vel Anomali eſt triplex.

1. Cùm Analogum habetur pro Anomalo, vel contra; ut ſi hæc propoſitio, panis eſt Corpus Chriſti, habeatur pro propria.

2. Cùm illorum modi confunduntur, ut ſi excluſiva ſubjecti, habeatur pro excluſiva prædicati: ut, Deus tantùm eſt immortalis, ſi ità explicetur, nullum eſt aliud Dei attributum quàm immortalitas.

3. Si gradus illorum confunduntur, ut cùm modus Imperativus, per *debet* explicandus, explicatur per *poteſt*. Ut præſta legem, id eſt potes præſtare legem. Accuratè itaque ſunt diſtinguendi modi docendi quos vocant.

Caput VI.

De axiomatum collatione in genere.

Præcepta.

Comparata axiomatum conſideratio eſt duorum pluriumve inter ſe collatio. Eſtque conſentanea vel diſſentanea.

Con-

Conſentanea axiomatum comparatio eſt æquipollentia vel conſecutio axiomatica.

Æquipollentia eſt Axiomatum verbis diſcrepantium in ſenſu convenientia: ſeu quâ axiomata redeunt in eundem ſenſum, ut circoncifio eſt fœdus: Circoncifio eſt ſacramentum fœderis.

Conſecutio axiomatica eſt qua axiomata habent ſenſum cognatum, ità ut unum ex alio ſequatur. Huc pertinet ſubordinatio & coordinatio axiomatica: ut omnis homo eſt animal, ergo quidam homo eſt animal: Socrates eſt animal: Omnis homo eſt animal: quoddam animal eſt homo. Huc pertinet axiomatum ſubordinatio.

Diſſenſio axiomatica eſt illorum inter ſe diſcrepantia. Eſtque diverſitas vel oppoſitio.

Diverſitas eſt diſſentio ſine pugna, ut, Deus eſt, homo eſt.

Oppoſitio eſt axiomatum pugna, quâ unum idemq; axioma affirmatur vel negatur. Ramæis dicitur contradictio: ut omnis ſubſtantia per ſe ſubſiſtit: quædam ſubſtantia non per ſe ſubſiſtit. Si Cometæ ſunt novæ ſtellæ corrumpitur Cœlum, non ſi cometæ ſunt novæ ſtellæ corrumpitur Cælum.

REGULÆ.

1. *Axiomata æquipollentia ſunt in*

quibus eadem argumenta, eodem modo diſponuntur.

Ad æquipollentiam igitur requiritur,

1. Ut idem ſubjectum & prædicatum exprimatur.

2. Ut eadem illorum habitudo enuntietur, ſecus enim non ſunt æquipollentia axiomata, ut Alexander Macedo vicit Perſas, non ſunt æquipollentia.

3. In eodem ſigna adhibeantur. Ex æquipollentia axiomatum oritur copia verborum, nobiliſſimum artificium, indicatur autem regulis Lexicis, Rhetoricis & Logicis.

2. *Conſecutio axiomatica eſt fundamentum artificii ſyllogiſtici*, hinc autem à præſtantiſſimis quibusdam logicis, ad doctrinam ſyllogiſticam refertur.

Nos plerorumque conſuetudine aliquid addimus, atque ſpecialiter eam explicabimus.

3. *Collationis axiomaticæ præſtantiſſimus, oppoſitionis uſus eſt permagus:*

Vera autem & genuina oppoſitio demum eſt illa quæ quatuor topicæ oppoſitionis leges obſervat, nimirum idem ſubjectum, eandem partem, eundem reſpectum ſeu modum, ac eaſdem circonſtantias.

4. *Fallacia Collationis axiomaticæ eſt triplex.*

1. Cùm

1. Cùm axioma quod non eſt tale, habetur pro tali, ut cum oppoſita habentur pro æquipollentibus: ſic propoſitio, hoc eſt corpus meum explicatur, panis tranſmutatus in corpus Chriſti.

2. Cùm collationis modi confunduntur. Ut 1. ſi axioma æquipollens tantum ratione ſubſtantiæ, habeatur etiam pro æquipollente ratione modi: 2. ſi axioma ſubordinans, habeatur pro ſubordinato.

3. Cùm Collationis gradus confunduntur.

CAPUT VII.

De axiomate ſimplici.

PRÆCEPTA.

IN ſpecie axioma conſideratur abſolutè vel comparatè.

Abſolutè eſt ſimplex vel compoſitum.

Axioma ſimplex eſt quod verbi vinculo continetur, ut, Deus eſt; Deus eſt bonus. Dicitur propoſitio categorica. In eoque affirmato vel negato verbo, affirmatur vel negatur axioma.

Axioma ſimplex conſideratur abſolutè, quo ad diviſiones, & comparatè.

Axioma ſimplex abſolutè conſideràtum eſt generale vel ſpeciale; & ſingulare: Deinde purum vel modale.

Axioma generale eſt in quo conſequens tribuitur omni antecedenti, ut, omnis homo eſt animal; Nullus homo eſt brutum: dicitur univerſale κατ' ἐξοχήν Ejus notæ ſunt, omnis, nullus, nullus non, nemo, univerſi, cuncti, quilibet, quotquot, unuſquiſque, quodque, ſemper, ubique, uterque non &c.

Axioma ſpeciale eſt in quo conſequens tribuitur cuidam antecedenti, ut quidam homo eſt doctus, quidam homo non eſt doctus: dicitur quoque particulare.

Ejus notæ ſunt quidam, aliquis, multi, plerique, plerunque, reliqui, pauci, non omnis, non nullus, pars, maximam partem, partim, aliquando, alicubi, alteruter.

Axioma ſingulare eſt in quo conſequens tribuitur uni tantùm antecedenti, ſeu cujus antecedens eſt ſingulare: Ut Jeſus eſt verus Meſſias.

Axioma ſimplex abſolutè conſideratum ſecundò eſt purum vel modale. Hæc quoque diviſio poteſt eſſe generalis, ſed excellit in axiomate ſimplici.

Axioma purum eſt quod ſimpliciter argumenta enuntiat, ut, Deus eſt perfectus.

Axioma modale eſt quod argumenta & eorum habitudinis gradum exprimit. Itaq; nihil eſt aliud quàm axioma combinatum quod neceſ-

ceſſitatis vel contingentiæ gradum ſimul enuntiat. Ejusmodi ſunt quatuor, Neceſſe, contingens, poſſibile, impoſſibile. Ut, Deus pater neceſſariò generat filium: Contingens eſt quod Deus creet mundum. Impoſſibile eſt quod pater non generet filium, Poſſibile eſt ut cras pluat.

Axiomatis ſimplicis collatio eſt conſentanea, converſio: vel diſſentanea, oppoſitio.

REGULÆ.

1. *Canones de axiomate ſimplici ſunt,*

1. In axiomate ſimplici unicum thema unico argumento, adeoque una ſententia continetur; licèt ſæpiſſimè ſubjectum vel prædicatum vel copula pluribus vocibus exprimatur ac amplificetur, ut, didiciſſe fideliter artes, emollit mores, ſimplex eſt. Hæc eſt vita illa æterna ut cognoſcant te ſolum illum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, Joh. 17. 3. eſt axioma ſimplex.

2. In axiomate ſimplici vinculum verbi ponitur explicitè, ut, homo eſt rationalis; vel implicitè, ut, homo moritur.

3. Axioma ſimplex eſt binarium quod ſimpliciter enuntiat rem eſſe, ut, Angelus eſt: vel ternarium quod enuntiat qualis aut quanta res, ſeu quomodo ſit: ut Angelus eſt ſpiritus: Angelus eſt incorruptibilis. In illo ponitur *eſt* ſecundi adjecti,

adjecti, quod exprimit exiſtentiam rerum. In hoc *eſt* tertii adjecti quod exprimit terminorum habitudinem.

4. In axiomate ſimplici omnia argumenta diſponi poſſunt ſed non quovis modo. Sunt enim quidam enuntiandi modi qui compoſitionem includunt, ut ſunt plenæ comparationes, partitiones integri in diverſa membra, ac diviſiones generis in ſpecies, & ſpecierum in individua, ſi totis partibus; generibus, ſpeciebus individua applicentur. At integrum cum una parte conſtituit ſimplex, ut homo conſtat corpore. Item diviſio generis in ſpecies, ſi cum genere conferatur, ut, omne animal eſt homo vel brutum. Nam nulla pars conſequens repugnat antecedenti, ſed convenit, & quatenus ingreditur ſyllogiſmum ſimplicem, vel cuique ſingulares partes veræ ſunt, quæ omnia repugnant axiomati disjuncto, clarum eſt quod verbi vinculo continetur.

2. *Canones de axiomate, generali, ſpeciali, ſingulari ſunt,*

1. Quantitas axiomatis indicatur explicitè, cùm ejus ſigna adduntur, ut, omnis homo eſt animal: hinc axioma univerſale, generale ſcilicet & ſpeciale eſt definitum quod habet ſigna, vel indefinitum quod iis caret.

2. Generalitas axiomatis eſt abſoluta vel comparata, à limitatione certitudinis, ſunt enim

enim certi generalium gradus Hinc particula *omnis* diſtributivè ſumpta, diſtribuitur vel in ſingula generum, in individua omnia, tumque axioma eſt abſolutè univerſale, ut omnis homo eſt animal: omne animal vivit: vel in genera ſingulorum, in certos individuorum ordines, ut, omne animal ingrediebatur arcam Noè Omnem morbum curavit Chiſtus. Hæc autem axiomatis reſtrictio plerunque ex textu eſt colligenda, raro enim disertè exprimitur.

Cæterum cùm particula *omnis* videatur ſumi collectivè, videtur pertinere ad axioma ſimplex, ſignificat enim ſingulare quod dicitur ens collectivum, ut, omnes Apoſtoli ſunt duodecim: omnia ſacramenta Novi Teſt. ſunt duo.

3. Axioma indefinitum in materia neceſſaria æquipollet univerſali: homo eſt animal: homo non eſt brutum: In contingenti ſpeciali, ut homo eſt doctus æquipollet huic, quidam homo eſt doctus. Eſt autem hæc particularis aliquando generalior, ut, matres amant liberos: aliquando ſpecialior, ut, homo eſt probus, id eſt pleræque matres amant liberos, pauci homines ſunt probi.

4. Individuum ſeu ſingulare exprimitur voce ſimplici vel conjunctâ. Vox ſimplex vel eſt nomen proprium, ut, Chriſtus, Paulus: vel appellativum κατ' ἐξοχὴν ſeu per ſynecdocher

chen pro proprio poſitum, ut, Philoſophus pro Ariſtotele.

Voces conjunctivæ ſunt vel demonſtrativæ, ut, pronomina demonſtrativa, hic, iſte, dicuntur individua ſignata: vel deſcriptiva, quæ dicuntur vaga. Deſcriptiva vel ſumitur ab argumentis communibus, ut, quidam homo, ſolentque à contextu reſtringi: vel ab argumentis individuo propriis, ut, ſervator mundi; filius virginis, Apoſtolus gentium.

3. *Canones de converſione axiomatum ſimplicium ſunt hi.*

1. Converſio axiomatica eſt unius axiomatis ex altero per congruentium partium mutationem, conſecutio. Itaque ex unius veritate vel falſitate, alterius veritas vel falſitas colligitur. Prima dicitur convertenda: ſecunda convertens. Mutatio illa eſt vel partium inverſio, vel earundem diverſa affirmatio aut negatio; vel denique univerſalis in particularem converſio: mutatio ſecunda dicitur qualitas, tertia quantitas.

2. Ad ejus intelligentiam faciunt hi duo verſus.

Aſſerit *a*, negat *e*, verum generaliter ambæ.
Aſſerit *i*, negat *o*, ſed particulariter ambo.

3. Converſio eſt ſimplex, per accidens & per contrapoſitionem.

Converſio ſimplex eſt ſubjecti vel prædicati per-

permutatio, manente eadem quantitate & qualitate. Sic convertitur, Nullus homo eſt brutum, ergo Nullum brutum eſt homo.

Converſio per accidens eſt permutatio ſubjecti & prædicati manente qualitate ſed non quantitate. Sic convertitur univerſalis affirmans, & negans, ut omnis homo eſt animal: Ergo quoddam animal eſt homo. Nullus homo eſt brutum, ergo quoddam brutum non eſt homo.

Converſio per contrapoſitionem eſt ſubjecti vel prædicati permutatio, quâ ſervatâ quantitate, negationum additione fiunt extrema infinita. Sic convertitur univerſalis affirmata, & particularis negata. Ut omnis homo eſt animal: Ergo quod non eſt animal non eſt homo.

Tradunt hic hos verſus memoriales.

Feci ſimpliciter, convertitur Eva per Acci.
Aſt *o* per contra, ſic fit converſio tota.

4. *Canones de ſimplicium axiomatum oppoſitione ſunt hi.*

1. Axiomatum ſimplicium oppoſitio eſt contradictio vel contrarietas. Contradictio hic ſumitur per excellentiam, ſecus contrarietas quoque eſt contradictio.

2. Contradictio eſt ejuſdem axiomatis affirmatio & negatio verum à falſo dividens. Sic axioma generale affirmatum opponitur particulari

culari negato. Ut omnis homo eſt animal, quidam homo non eſt animal. Vel generale negatum particulari affirmato ut, nullus homo eſt brutum, quidam homo eſt brutum. Vel ſingulare affirmatum ſingulari negato. Ut Meſſias venit: Meſſias non venit. Vel denique generale affirmatum reciprocum, generali negato, ut omnis homo eſt riſibilis, nullus homo eſt riſibilis.

3. Contrarietas eſt oppoſitio duarum generalium non reciprocarum. Hæc non dividit verum à falſo, utraque enim poteſt eſſe falſa, ut omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus, ſed non vera.

4. Duorum particularium axiomatum collatio non eſt oppoſitio, ſed nuda diverſitas, agunt enim de diverſis ſubjectis.

5. *Fallacia circa quantitatem axiomatum eſt triplex.*

1. Cùm non tale ponitur pro tali, ut cùm generale habetur pro ſpeciali, vel contra. Sic ſi quis putet omnia in A deſinentia in lingua latina eſſe generis fœminini.

2. Cùm modi confunduntur, ut cùm principium generale in phyſica habetur pro principio Metaphyſico, ſic quidem pro generali principio obtrudunt, omne genitum eſt corruptibile.

abſo-

3. Cùm gradus confunduntur, ut cùm Rom. 11. 32, ut omnium miſereretur, habetur pro abſolutè generali propoſitione: cùm tamen manifeſtè reſtringitur per τοὺς illorum.

CAPUT VIII.

De axiomate Compoſito.

PRÆCEPTA.

Axioma compoſitum eſt quod continetur vinculo conjunctionis axiomaticæ, ſeu in quo plures ſententiæ connectuntur, dicitur vulgo propoſitio hypothetica: idque conjunctione affirmatâ vel negatâ, affirmatur vel negatur.

Axioma compoſitum eſt congregativum vel ſegregativum.

Congregativum eſt quod partes ſuas tanquam ſimul veras congregat ſeu conjungit.

Eſtque Copulatum vel Connexum.

Copulatum eſt cujus Conjunctio eſt copulativa.

Conjunctio copulativa eſt quæ partes axiomatis ſimpliciter conjungit, ut Chriſtus eſt Deus & homo. Nam & infinitum quid & finitum eſt Chriſtus.

Connexum eſt cujus Conjunctio eſt Connexiva.

Con-

Conjunctio connexiva eſt quæ partes axiomatis vi conſecutionis connectit. Si Deus eſt, providentia eſt. Vulgò dicitur propoſitio conditionalis.

Axioma ſegregativum eſt quod partes ſuas tanquam non ſimul veras disjungit. Eſtque disjunctum vel diſcretum.

Disjunctum eſt axioma ſegregativum cujus conjunctio eſt disjunctiva. Conjunctio disjunctiva eſt quæ partes ſimpliciter disjungit, ut, aut fide juſtificamur, aut operibus.

Diſcretum eſt axioma ſegregativum cujus conjunctio & diſcretiva quæ conſecutionem negando partes axiomatis ſejungit, ut, etſi Deus quoſdam reprobet, tamen non eſt injuſtus.

I. *Canones de axiomate compoſito ſunt,*

1. Axioma compoſitum conſtat ex pluribus ſimplicibns vinculo conjunctionis axiomaticæ connexis. Ponuntur autem illa ſimplicia vel expreſſiùs, ut, ſi Deus eſt omnipotens, eſt quoque omniſcius. Vel occultiùs.

2. Conjunctio axiomatica eſt quod plura axiomata ita conjungit ut unum fiant: Et aliquando exprimitur conjunctionibus grammaticis, aliquando particulis relativis.

3. Ad axioma compoſitum reducenda ſunt axiomata relativa qualitatis, loci, temporis, ſed ad varia, prout vel ad explicandum vel ad probandum uſurpantur.

Rela-

Relativa autem eſſentiæ, quæ vocant, ſunt ſimplicia, ut, qui creavit cœlum eſt Deus.

2. *Canones de axiomate congregativo ſunt,*

1. Congregativum enuntiat omnia conſentanea affirmando, omnia etiam diſſentanea negando. Sed hæc affirmatio & negatio non eſt ipſius veritatis, ſed partium compoſiti. Nam quia partes tanquam ſimul veras congregat, ſi negat unum conſentaneorũ, negat & alterum, ut ſi non eſt homo, non eſt animal: hoc axioma eſt affirmatum etſi affirmet conſentaneum negando diſſentaneum, ut, ſi Johannes eſt homo, non eſt aquila.

2. Ad axioma copulatum pertinet axioma diſtributivum, quo ſcilicet integrum diſtribuitur in ſua membra, ut homo conſtat corpore & anima.

3. Prolepticum ſeu converſum, ut, etſi Deus eſt miſericors, tamen eſt juſtus. Et relativa quâ terminus ad explicationem adhibetur, ut, tale tuum carmen nobis divine poëta, quale ſopor feſſis in gramine. Tantus eſt filius quantus eſt pater. Ubi eſt cadaver illuc congregabuntur Aquilæ, Luc. 17. v. 37. Cùm Alexander regnavit in Macedonia, tum Darius regnavit in Perſiâ.

4. Axioma copulatum verum eſt ſi omnes partes veræ ſint, & ſi connotat tempus ſunt ſimul

ſimul veræ: falſæ ſi vel una pars ſit falſa, vel ſi connotat tempus pars una non ſimul vera erit quamvis ſeorſim ſit vera. Sic falſum eſt axioma. Deus eſt perfectiſſimus & mutabilis. Socrates ſedet & non ſedet. Fui Pariſiis & Lugduni, ſi idem tempus ſcilicet obſervetur ſeu ſignificetur.

5. Axiomate connexo poſſunt enuntiari omnia argumenta exceptis ſolis diverſis concretè & attributivè ſumptis, ſi enim ſimpliciter diſtinguantur, rectè connexo enuntiantur, ut, ſi hæc virtus eſt iuſtitia non erit temperantia.

6. Ad axioma Connexum pertinent illa axiomata quæ conſequentiæ illationem exprimunt, ut, ſi Tullius ſit Orator, eſt etiam peritus bene dicendi. Oriente Sole diſceſſit. Item rationalia & cauſalia quamvis hæc ſint Enthymemata, ut, ſol ortus eſt: Ergo dies eſt. Quia comediſti de fructu arboris ſcientiæ, morieris.

7. Veritas axiomatis connexi non pendet à ſingularum partium veritate, ſic enim in neceſſario poſſunt eſt impoſſibiles, ſed à conſequente connexione. Eſt autem connexio illa immediata quæ eſt fundata in ipſa terminorum habitudine, ut, ſi eſt homo, eſt animal. Si Aſinus volat, habet alas. Vel mediata quæ eſt fundata in ordinantis ſeu connectentis arbitrio & facultate, ut 2. Reg. 13. verſ. 19. ſi percuſſiſſes quinquies aut ſexies, percuſſiſſes Syros uſque ad conſumptionem. Si heri ad me veniſſes, mecum cœnaſſes.

8. Connexum prius aut eſt neceſſarium, ſi termini immutabiliter inter ſe cohæreant: aut poſſibile ſi non cohærent immutabiliter.

Connexum verò poſterius eſt neceſſarium ſi ordinantis voluntas ſit immutabilis, ejuſque inſuperabilis potentia At ſi ordinantis voluntas vel mutari, vel polluta impediri queat, eſt tantùm contingens, ut, Pamphile ſi id facias, hodie poſtremum me vides.

9. Connexi contradictio non conſiſtit in partium, ſed vinculi & conſequentiæ negatione. Negatur autem conſequentia vel apertiùs, ut, *non ſequitur*: vel obſcuriùs præponendo particulam negantem.

3. *Canones de axiomate ſegregativo ſunt,*

1. Axioma ſegregativum tantùm diſſentanea enuntiat. Itaque prolepticum quod conſentanea exprimit, ſeu affirmatum eſt, diſcretum non eſt, niſi cum quibuſdam authoribus ſtatuas ineſſe negationem quandam implicitam, ſcilicet ratione contextûs.

2. Axioma disjunctum tantùm enuntiat oppoſita.

3. Ad axioma disjunctum pertinet axioma adverſativum, ut, non fide juſtificamur ſed operibus.

4. Disjuncti neceſſitas pendet à neceſſaria partium oppoſitione & disjunctione, non ex earum

earum neceſſariâ veritate, ut, cras aut pluet aut non, eſt axioma neceſſarium, ubi ſingulæ partes ſunt contingentes.

5. Disjunctio abſolutè non eſt etiam neceſſaria niſi partes ſint disjunctæ ſine ullo medio. Neceſſaria diſpoſitio oritur ex partium cum re de qua dicuntur conſenſione, earumque inter ſe neceſſariâ, ſeu ſine ullo medio oppoſitione, ut hoc animal aut eſt homo, aut eſt brutum. Itaque ſi disjunctio eſt contingens non eſt abſolutè vera, quæ plerumque eſt ex conditione ſeu pacto.

6. Axioma disjunctum verum eſt cujus una pars vera, reliquæ falſæ. Falſum cujus nulla pars vera eſt aut nulla falſa. Prius accidit ſi partium oppoſitio non ſit immediata, ut, aut Leo eſt aut Aſinus: Poſterius ſi partes non ſint oppoſitæ, ut Deus aut miſericors aut juſtus.

7. Affirmato uno disjuncto ſignificatur, unicum tantùm verum eſſe: uno enim oppoſitorum affirmato, reliqua omnia negantur, ut aut dies fuit, aut non. Ex negatione verò & contradictione ſignificatur non neceſſariò unam partem è disjunctis veram eſſe: non aut dies fuit, aut non fuit.

8. Axioma diſcretum tantùm enuntiat diverſa, nam ea diſponit quæ disjuncta quidem ſunt per naturam, tamen conjungi poterant, at oppoſita conjungi nequeunt. Hoc ineptum eſt axioma. Et ſi ſit calidus tamen non eſt frigidus.

gidus. De horum enim diſtinctione ac disjunctione, nemo dubitat. Verus autem uſus diſcreti eſt, ut ea ſejungat, quæ probabiliter conjungi poterant.

9. Axioma diſcretum eſt verum & legitimum, ſi partes non ſolum veræ, ſed etiam diſcretæ ſint, falſum vel ridiculum contra. Et ridiculum eſt quod neceſſario conſentanea enuntiat, ut, etſi ſit homo tamen non eſt animal: vel oppoſita, etſi ſit brutum, tamen non eſt homo. Sicut copulativo & connexivo contradicit diſcretum: ſic viciſſim diſcretivo contradicit copulatum & connexivum, ut; quamvis Chriſtus fuerit punitus non tamen fuit peccator: contradicit copulatum: Chriſtus fuit punitus & fuit peccator. Connexivum, Si Chriſtus fuit punitus fuit peccator.

4. *Fallacia axiomatis compoſiti eſt generalis vel ſpecialis.* Utraque eſt varia ſed facile revocatur ad tria capita toties à nobis inculcata. Ut, ſi non compoſitum habeatur pro compoſito, ut, ſi quis dicat hoc axioma eſſe compoſitum: Jeſus Chriſtus natus eſt ex Maria Virgine, &, paſſus in cruce, eſt ſalvator.

Si compoſitorum modi & gradus confunduntur.

CAPUT IX.

De axiomatum collatione in ſpecie.

AXiomatum comparatio ſpecialis eſt quâ ſingula axiomata, inter ſe conferuntur, ut, univerſale cum ſingulari, copulatum cum connexo.

Comparatio hæc vel eſt ſimplicium inter ſe: vel compoſitorum inter ſe: vel denique ſimplicium & compoſitorum quæ eſt inſignis.

REGULÆ.

1. *Comparatio axiomatum ſpecialis ſingularem habet uſum tam in conſtituendis quam in judicandis axiomatibus:* tanta autem eſt ejus ubertas, ut in compendio tradi vix poſſit, ſed praxi obſervanda ſit. Cavenda tamen illa collatio quæ aliquam ſubtilitatis ſpeciem, ſed ne unicam quidem utilitatis habet, ut eſt nimia axiomatum modalium vel conditionalium collatio.

2. *Doctrina axiomatica ſpecialiſſima eſt, quæ tradit argumenta ſingula, quomodo ſint enuncianda, & quomodo diſpo-*

ponenda: Cauſa cum effecto, materia cum materiato: quam utiliſſimam doctrinam in Logica ſpeciali attingemus.

Nobiliſſima autem axiomatum collatio eſt, ſi perpendamus quomodo eadem argumenta nunc ſimplici, nunc compoſito, nunc copulato, nunc connexo axiomate claſſici authores enumerare ſoleant; vel etiam res utiliter efferre queamus.

CAPUT X.

De partibus Syllogiſmi.

HActenus de judicio axiomatico axiomatis per ſe manifeſti: Sequitur Dianoeticum. Dianoia ſeu diſcurſus eſt diſpoſitio axiomatum, quâ unum aliud notificat, ſeu quâ ignotum ex noto cognoſcitur.

Eſtque Syllogiſmus vel Methodus: Ille dicitur diſcurſus inferens; hæc ordinans.

Judicium Syllogiſticum eſt quo aliud ex alio ſequi vel non ſequi, aliud propter aliud eſſe, vel non eſſe cognoſcitur, ſive aliquid cognoſcitur ſimpliciter eſſe vel non eſſe, ſive cogoſcitur tale & tantum eſſe vel non eſſe.

Syllogiſmus conſideratur in genere vel in ſpecie.

In genere videnda eſt ejus conſtitutio & communes diviſiones.

Conſtitutio Syllogiſmi cognoſcitur ex ejus partibus & communibus affectionibus.

Partes Syllogiſmi ſũt materiales vel formales.

Materiales ſunt minores ſeu remotiores: vel majores ſeu propinquiores.

Partes Syllogiſmi minores ex quibus Syllogiſmus remotè conſtat dicuntur termini; ſuntque extremi vel medius.

Termini in Syllogiſmo extremi ſunt ex quibus conſtat quæſtio.

Quæſtio eſt axioma dubium, ſeu probandum, ut, an Chriſtus ſit Deus?

Terminus extremus vel eſt pars antecedens quæſtionis vel conſequens.

Terminus antecedens eſt terminus ex quo aliquid probatur, ut, Chriſtus, dicitur vulgò terminus minor ſeu ſubjectum quæſtionis.

Pars conſequens eſt terminus qui ex aliquo probatur, ut, Deus, dicitur vulgò terminus major ſeu prædicatum quæſtionis.

Terminus medius eſt qui extremos connectit, ut, Deus eſt invocandus, dicitur etiam argumentum tertium quia probat.

Partes Syllogiſmi majores ſunt Antecedens & Conſequens.

Partes Syllogiſmi majores ſunt ex quibus Syllogiſmus proximè conficitur & conſtat, ſuntque axiomata.

Pars Syllogiſmi major antecedens eſt prima

pars Syllogiſmi, in qua quæſtio cum argumento tertio diſponitur, ſeu eſt pars probans adeoque extrema cum medio diſponit: hinc dicitur præmiſſa.

Pars Syllogiſmi antecedens duas habet partes, propoſitionem & aſſumptionem.

Propoſitio eſt prima præmiſſa ſeu pars antecedentis quâ quæſtionis ſaltem conſequens cum argumento tertio ſeu medio termino diſponitur. Seu eſt propoſitio ex qua alia probatur, ut, Quicunque eſt invocandus eſt Deus, limitatè dicitur propoſitio, major uſitatè.

Aſſumptio eſt ſecunda præmiſſa ſeu pars antecedentis, quæ ex propoſitione aſſumitur, ut, At Chriſtus eſt invocandus. Uſitatè dicitur propoſitio minor.

Pars Syllogiſmi conſequens eſt quæ ex antecedentis diſpoſitione deducitur: ſeu eſt axioma probatum, ut, Ergo Chriſtus eſt Deus. Dicitur concluſio, item complexio, quia partes quæſtionis complectitur.

Pars Syllogiſmi formalis eſt congrua partium diſpoſitio ſeu connexio. Ut, quicunque eſt invocandus, eſt Deus, at Chriſtus eſt invocandus: Ergo eſt Deus.

REGULÆ.

1. *Canones de Syllogiſmi materia ſunt,*

1. In omni diſcurſu neceſſariò ſaltem duo ſunt axiomata, unum notum ſeu notificans, alterum ignotum ſeu notificandum. Nam ſi hæc ha-

habitudo ipſis non competat non eſt dianoia, ſed nuda diſpoſitio, ut, ſi hæc duo axiomata ponantur. Nullus homo eſt brutum; Nullus adamas eſt lapis.

Perinde autem eſt ſive illa duo argumenta re differant, ut, omne animal ſentit, homo eſt Animal, Ergo: ſive tantùm ratione, ut, omne ens perfectum, omne verum eſt ens. Deus eſt perfectiſſimus, &c.

2. Si in quolibet diſcurſu eſt axioma notum, ſequitur quod detur ſaltem aliquod axioma per ſe notum, ſecus daretur proceſſus in infinitum. Eſt autem axioma notum vel in ſe, vel reſpectu differentis.

3. Axioma ignotum eſt tale vel quia non poteſt judicari axiomaticè, vel quia non poteſt apprehendi propriâ vi. Illud notificatur Syllogiſmo, hoc methodo.

4. In Syllogiſmo ſint tres tantùm termini. Nam Syllogiſmus nihil eſt aliud quàm duorum terminorum conjunctio vel disjunctio mediante tertio.

Eſt enim Syllogiſmus cujus filo ſeu perpendiculo cognoſcimus quomodo ſe res habeant inter ſe.

Eſt menſuratio quædam qua res inter ſe disjunctas mediante menſurâ metimur. Nam quando dico, termini inter ſe tam longè diſtant,

ſtant, ut eorum habitudo immediatè cognoſci nequeat, opus eſt quodam intermedio quaſi ſpeculo in quo utriuſque ſpecies concurrunt. Itaque uno vel duobus terminis Syllogiſmus confici nequit. Scitè itaque medius terminus vocatur argumentum tertium.

5. In Syllogiſmo tres ſunt duntaxat termini, ſi enim ſint plures jam nulla eſt extremorum connexio. Cùm autem in Syllogiſmis combinatis plures termini occurrunt, plures Syllogiſmi conficiuntur, qui tamen omnes in communi aliquo tertio conveniunt.

6. Terminorum ternarius non eſt Grammaticè, ſed Logicè æſtimandus, id. non eſt verbis, ſed ex ſenſu. Poteſt enim vel ex integra propoſitione vel pluribus terminis unum conſtare. Ut ſicut ſe habent 2. ad 4. ità 3. ad *6.* at 2. ſunt duplo 4: Ergo 3. ſunt duplo *6.*

Itaque ſi terminus aliquis ſit ambiguus, aut terminorum habitudo ſeu genus prædicationis mutetur, Syllogiſmus eſt vitioſus. Hinc caſuum, numerorum, modorum, temporum, ſimiliumque affectionum accurata eſt habenda ratio: ne modos enuntiandi diverſos pro iiſdem vel æquipollentibus; vel æquipollentes pro diverſis habeamus, nam ut terminorum multitudo eſt implicita vel explicita: ſic quoque eorum unitas, quod in Analyſi obſervandum eſt.

7 Termini extremi dantur in quæſtione duo, medius eſt inveniendus, hinc dicitur ſyllogiſmus ſeu numeratio quæ ex duobus numerorum terminis oblatis tertium invenit. Invenitur autem medius ſi ſinguli extremorum per locos inventionis deducantur ac inter ſe conferantur: hæc enim deductio facit ut extrema ac diſtantia ſe quaſi magis magiſque extendant ac efficaciores radios ſpargant, quò eorum habitudo eluceſcat.

8. Quæſtio & concluſio ratione tantùm differunt, nimirum ut axioma probandum & probatum: quare à ſe invicem diſcrepare non debent, nec una alterâ eſſe major, minor vel aliter ſe habere.

9. Medius terminus non ingreditur concluſionem, nihil enim probat ſeipſum, nihilque ſeipſo eſt notius & ignotius, nec vinculum poteſt eſſe res connexa, connectenda & connectens.

10. Ambæ præmiſſæ non ſint particulares vel negatæ: In his enim nulla datur connexio, ſeu reſpectu alicujus tertii collatio: non è puris particularibus quia non connectunt medium cum extremis, non ex meris negatis, quoniam extrema divellunt & à ſe invicem faceſcere jubent.

11. Concluſio ſit adæquata præmiſſis, id, nec plus nec minus contineat, eſt enim proximus adæquatus antecedentis partis effectus.

12. Con-

12. Concluſio imitetur partem debiliorem antecedentis, hoc eſt, ſi una præmiſſarum ſit particularis vel negata, ipſa quoque ſit particularis vel negata, ſecus nulla eſt proportio, & major eſſet vis in proportione illatâ, quàm in inferente.

13. Aſſumptio aſſumatur ex propoſitione. In propoſitione confertur unum extremorum cum medio, neceſſe eſt igitur ut in aſſumptione idem medium conferatur cum altero extremo, eique accommodetur: ſecus non eſſet connexio ſyllogiſtica: Itaque nec addat aliquid extremo, nec demat, nec in eo immutet.

2. *Canones de Syllogiſmi forma ſunt,*

1. Omnis ſyllogiſmus eſt neceſſarius ratione formæ: niſi enim eam vim habeat diſpoſitio, ut poſito ſeu conceſſo antecedente, non poſſit negari ab homine ſanæ mentis concluſio, non eſt ſyllogiſmus. Atque hæc neceſſitas habet locum tam in materia contingenti imò etiam impoſſibili, quàm in neceſſariâ.

2. Oportet ut medius terminus ſaltem cum alterutro quæſtionis termino conſentiat: ſi conſentit cum utroque, convenient inter ſe extrema, concluſio affirmabitur. Si verò diſſentiat ab utroque, nihil concludit. Nam non eſt neceſſe ea quæ reſpectu unius tertii inter ſe non conveniunt, plures non convenire inter ſe.

3. *Fallacia circa partes Syllogiſmi eſt triplex.*

Cùm nimirum habetur pro ſyllogiſmo, quod ſyllogiſmus non eſt: vel pro parte quæ non eſt pars: vel ſyllogiſmorum aut partium modi confunduntur, quæ ſingula fallaciarum genera in ſingulis ſyllogiſmi partibus, obſervare operæ pretium eſt. Nos quaſdam inſigniores denotabimus.

1. Eſt cùm Idem per idem probatur: Seu cùm in ſyllogiſmo unus vel duo tantùm occurrunt termini, ut ex pane fit Corpus Chriſti, quia tranſmutatur. Hæc tamen fallacia non committitur cùm argumentum petitur ab æquipollentibus, quorum unum eſt notius, alterum ignotius.

Cùm plures quàm tres termini adhibentur, ſive id fiat explicitè vel implicitè. Explicitè ut, divina Chriſti natura eſt ubique: humana Chriſti natura eſt unita cum divinâ: Ergo humana Chriſti natura eſt ubique. Haud ſecus aliquis argumentetur, anima rationalis eſt in toto corpore: cerebrum hominis eſt unitum animæ rationali: Ergo cerebrum eſt in toto corpore.

Implicitè cùm genus prædicationis mutatur, proprium in improprium, realis in notionalem, ſic male. Corpus Chriſti traditum eſt

pro

pro fidelibus: Panis eſt corpus Chriſti: Ergo traditus eſt pro fidelibus.

3. Cùm non quæſtio ſed aliud aliquid concluditur, cùm Pontificiis probandum incumbit, Papam non poſſe errare, probant Eccleſiam non poſſe errare; quaſi verò Papa ſit Eccleſia? Cùm minus eſt in concluſione quàm in præmiſſis, ut, omnes fideles N. T. crediderunt in Meſſiam exhibitum: Patres V. T. non crediderunt in Meſſiam exhibitum: Ergo Patres V. T. non fuerunt fideles.

4. Cùm plus eſt in concluſione quàm in præmiſſis, ut Idololatra peccat: Salomo fuit Idololatra: Ergo peccavit finaliter. Hæc & ſimilia ſi notentur acuunt judicium ſyllogiſticum, ſed prius præcepta, ac ut ita dicam, idea quædam ſyllogiſtica menti firmiter imprimatur ad quam poſtea omnia ſophiſmata occurrentia examinentur, ne confuſâ exemplorum farragine mens perturbetur ac obtundatur.

CAPUT XI.

De communibus Syllogiſmi affectionibus.

Affectio ſyllogiſmi eſt abſoluta vel relata.

Abſoluta eſt quæ cuilibet ſyllogiſmo per ſe ſpectato competit. Eſtque conſequens ſyllogiſticum.

Conſequens ſyllogiſticum eſt vis ex antecedente neceſſariò concludendi conſequens. Ejus videndum fundamentum & modus.

Affectio ſyllogiſmi relata eſt quæ ſyllogiſmo cum altero collato competit: Eſtque conſentanea quâ unus ſyllogiſmus cum altero conſentit: vel diſſentanea quâ diſſentit.

Regulæ.

1. *Conſequentiæ Syllogiſticæ fundamenta ſunt duo:*

Prima principia ſeu axiomata lumine naturæ clariſſima. Conſequentia alia eſt materialis quæ axiomati per ſe ſpectato competit, adeoque eſt neceſſaria vel contingens: vel formalis quæ convenit axiomati ex aliis deducto: hæc quia à legitima axiomatis connexione adæquatè pendet ſemper eſt neceſſaria: materialis ab habitudine connectendorum.

Formalis eſt modus connexionis, de quâ nobis hic agendum eſt, diligenter autem inquirendum eſt, unde oritur hæc collectionis neceſſitas. Nam ſi fontes hujus neceſſitatis cognoſcamus, non ſolùm accuratiùs de ſyllogiſmis confectis, ſed etiam de ipſorum natura ac veri-

veritate judicare poterimus, ſicque à multis intricatis ac variis ſpeculationibus liberabimur.

Fundamenta autem omnium ſyllogiſmorum duo ſunt, quæ tam clara ſunt ut non niſi ab inſano in dubium vocari queant.

Primum eſt: Impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe, impoſſibile eſt idem eſſe tale, & non eſſe tale, impoſſibile eſt idem eſſe tantum & non eſſe tantum.

Thema aut eſt, aut non eſt: ſi eſt, falſum eſt quod non ſit: ſi non eſt, falſum eſt quod ſit.

Thema aut eſt tale aut non eſt tale: ſi eſt tale, falſum eſt quod non ſit tale; ſi non eſt tale, falſum eſt quod ſit tale.

Thema aut eſt tantum, aut non eſt tantum: ſi eſt tantum, falſum eſt quod non ſit tantum; ſi non eſt tantum, falſum eſt quod ſit tantum.

Ex primi variatione neceſſariò reſultat ſecundum principium, nimirum ſicut ſunt duo ad tres, ita ſunt ad ſe invicem. Nam ad tertium eſſe eſt tale & tantum eſſe: & quia pleriq; ſyllogiſmi ſunt rerum comparationes, ac, ut ita dicam, commenſurationes; Comparativi hujus principii uſus eſt illuſtrior. Variatur autem affirmativè & negativè.

Affirmativè, quæ in uno tertio conveniunt, ea conveniunt inter ſe: quo modo aliqua in tertio conveniunt, ità conveniunt inter ſe: denique quo gradu aliqua in tertio conveniunt, eo

eo gradu quoque inter ſe conveniunt: Itaque quæ in uno tertio adæquatè & reciprocè ſeu omni modo & gradu conveniunt; ea quoque adæquatè & reciprocè inter ſe conveniunt. Et quæ in uno tettio inadæquatè conveniunt, ea quoque inter ſe inadæquatè conveniunt.

Inadæquatè hîc res convenire dicuntur, cùm vel extremum eſt majus vel minus (generaliſſimè loquendo) medio, vel medium eſt majus aut minus extremo, ſeu cùm unum continet aliquid, quod non continet aliud. Ex quibus clarum eſt quam vehementer errent illi, qui hoc principio abutentes, myſterium trinitatis, item rei infinitæ ac indiviſibilium communicabilitatem evertere conantur. Nam turpiter ex inadæquata convenientia, ad æquatam concludunt.

Negativè ſecundum principium ſic variatur, quæ in uno tertio non conveniunt, inter ſe quoque ſecundùm modum & gradum diſconveniunt. Itaque cavendum eſt ne ſtultum hoc principium admittamus, quæ in uno, id eſt certo tertio non conveniunt, ea inter ſe in alio quoque non conveniunt, ſeu quæ non conveniunt hoc modo vel gradu, ea non conveniunt alio modo & gradu. Quamvis veriſſimum ſit principium, quæ planè in nullo tertio conveniunt, ea planè non conveniunt inter ſe.

Atque hæc ſunt prima & generaliſſima omnis humanæ cogitationis principia, non verò tantùm

tùm ut à pleriſque creditum eſt, Mathematica, quamvis à Mathematicis diligentiùs obſervata ac uſurpata ſint.

Quemadmodum autem convenientia ſyllogiſmorum affirmantium, ità diſconvenientia negantium eſt baſis.

Vulgò dici ſolet dictum de omni & nullo eſſe principium omnium ſyllogiſmorum, quod quia verum non eſt, plurimas obſcuritates, imprimis ingratam reductionis doctrinam peperit: quamvis autem multorum ſyllogiſmorum ſit fons, tamen nec propriis, nec omnibus compoſitis, imò nec ſimplicibus applicari poteſt.

Nos itaque demus operam ut ſyllogiſmorum modi ſinguli in principium aliquod naturæ lumine notum reſolvantur, quod haud erit difficile ſi prædicatum quæſtionis pro primo, medium pro ſecundo, ſubjectum quæſtionis pro tertio termino habeamus, ut, Deus eſt invocandus, Chriſtus eſt invocandus, Chriſtus eſt Deus, ac terminos inter ſe ratione medii conferamus.

2. *De conſequentiæ vi & modo Canones ſunt,*

1. Ex vero non niſi verum, adeoque ex neceſſario neceſſarium ſequitur, nulla ſecus ſupereſſet certitudo.

2. Ex falſo, per ſe falſum: ratione autem oppo-

opponentis ſeu concedentis præmiſſas etiam falſas verum ſequitur. Utilis eſt hic Canon in refutatione quo aliquem ex principiis propriis convincimus.

Vis autem falſitatis in concludendo vero non ipſi ſed concedentis errori adſcribenda eſt, qui fingunt falſum eſſe verum: vel verum eo modo & gradu verum eſſe, quo non eſt.

3. Cùm ex vero falſum ſequi nequeat, ex neceſſario non ſequitur contingens, nec ex contingente impoſſibile.

4. Cùm ex falſo verum ſequi poſſit, ex contingente ſequitur & contingens & neceſſarium.

5. Cùm ex falſo verum ſequi poſſit, ſequitur ex impoſſibili & verum contingens & verum neceſſarium.

6. Ex impoſſibili non niſi impoſſibile per ſe ſequitur.

7. Dato uno falſo ſeu abſurdo, innumera, imò quævis falſa per ſe ſequuntur. Ratio eſt, quia quodvis falſum axioma, ſaltem repugnat primo principio, ergo ex eo bonâ conſequentiâ, poteſt deſtrui primum principium, at deſtructo primo principio, cætera omnia ruunt. Dico autem per ſe, nam ratione ponentis falſum, non item, nam ſi ille videret falſum ex ſuo axiomate ſequi, non aſſentiretur illi Quod imprimis illi abſurdiſſimi Theologi obſervare debebant, qui Corpus Chriſti ob quamvis diſſen-

ſenſionem crudeliſſimè lacerant, nec perpendunt quod qui aliquid falſi credit non protinus omnia inde ſequentia credat. Res exemplo fiat clarior, dicunt quod Orthodoxi credant Deum authorem eſſe peccati: hoc enim neceſſariò ſequitur ex ipſorum doctrina de prædeſtinatione. Ponamus ſequi, quamvis falſiſſimum ſit; At nos non videmus quod ſequitur, ſed bonâ conſcientiâ teſtamur quod re diligenter perpensâ, nullam videamus conſequentiam, quodque ab illo abſurdo, Deum eſſe authorem peccati ex animo abhorreamus. Itaque non ſolùm Chriſtiani ſed Logici hominis fuerit ut noſtram ſtupiditatem ſuâ humanitate ac ſubtilitate vincant.

Neque enim tam clara eſt horum axiomatum (Divina prædeſtinatio non pendet à prævíſis, Deus eſt author peccati) connexio, quin ab homine prius firmiſſimè credi, ac poſterius conſtantiſſimè negari queat: Exemplum non addimus, quia paſſim occurrunt. Eſt autem univerſa hæc doctrina utilis ad inquirendos ac dijudicandos errorum fontes.

3. *De Syllogiſmorum collatione Canones ſunt*,

1. Sobria axiomatum collatio habet uſum in praxi Logica. Sobriam collationem voco, quæ vim aliquid explicandi, evidentiùs probandi, vel fuſiùs amplificandi habet. At quæ-
res

res ſatis claras, tenebris quibuſdam otiosè excogitatis involvit, inepta eſt. Sic reductio quâ quidam ſyllogiſmi compoſiti ad ſimplicem revocantur non ſemper contemnenda: At illa reductio quæ ex pleniſſimis ſyllogiſmis per varias torſiones ſalebroſas efficit, illos homines decet qui à logica non mentis illuſtrationem ſed perturbationem exſpectant, Quod ſi quis putet à ſimilibus acui juventutis ingenium, ſuaderem ipſis ne ejus rigorem aranearum telis, ſed ſericis veſtibus, texendis impenderent, nempe Theologicis, Iuridicis, Medicis, Philoſophicis, imprimis Mechanicis, difficultates ſcrutarentur, quibus ſe & alios juvare poſſent.

2. Obſervatu dignum eſt quomodo diverſi Authores, vel idem Author in diverſis locis, eandem materiam diverſis modis diſponat.

CAPUT XII.

De communibus Syllogiſmi diviſionibus ratione materiæ.

PRÆCEPTA.

COmmunis ſyllogiſmi diviſio petitur vel ab ejus materia vel forma.

Ratione materiæ eſt triplex: 1. Affirmans vel

vel negans : 2. Generalis, particularis vel proprius : 3. Neceſſarius vel contingens.

Syllogiſmus affirmatus eſt cujus concluſio eſt affirmata ; Negatus cujus negata.

Syllogiſmus generalis eſt cujus concluſio eſt generalis : Particularis cujus particularis : Singularis ſeu proprius , cujus concluſio eſt propria vel ſingularis.

Syllogiſmus neceſſarius eſt qui conſtat ex axiomatibus neceſſariis. Eſtque Apodicticus vel Dicticus.

Syllogiſmus Apodicticus eſt ſyllogiſmus neceſſarius qui ex habitudine , quæ eſt inter cauſam externam & effectum , concludit , dicitur demonſtratio.

Demonſtratio eſt primaria vel ſecundaria.

Demonſtratio primaria eſt quæ ex adæquata cauſa externa effectum concludit, dicitur διότι , & affectionem, quæ eſt effectum, de ſubjecto per cauſam probat.

Demonſtratio primaria vel petitur à fine adæquato, vel ab adæquato efficiente.

A fine , ut quidquid ſe debet ob ſui conſervationem ſe movere loco, debet habere vim percipiendi congruum & incongruum, at animal debet ob ſui conſervationem ſe loco movere : Ergo animal debet habere vim percipiendi congruum & incongruum. Item luminare quod ſucceſſivè univerſi globi terreni quieſcentis illuminationi ſufficit, movetur circula-

culariter & reciprocè, Sol eſt luminare quod ſucceſſivè univerſi globi terreni quieſcentis illuminationi ſufficit: Ergo Sol movetur circulariter.

Ab efficiente, omne materiatum eſt quantum: corpus materiale eſt materiatum: Ergo. Item omne quantum eſt locale: Omne corpus eſt quantum: Ergo. Et omne formatum eſt activum, omne corpus naturale eſt formatum: Ergo. In his exemplis licèt materia & forma ſint cauſæ internæ corporis naturalis; ſunt tamen cauſæ externæ affectionum.

Demonſtratio ſecundaria eſt quæ ex adæquato effecto concludit cauſam externam adæquatam, ut, hoc corpus naturale habet figuram variam: Ergo etiam figurantia varia: hoc corpus vivit, Ergo habet animam: hic homo credit: Ergo in eo habitat Spiritus Sanctus.

Syllogiſmus Dicticus eſt ſyllogiſmus neceſſarius qui ex aliis adæquatis argumentis concludit quàm ex cauſa externa & effecto. Hic itaque peti poteſt ex reliquâ universâ topicâ, juxta Canones demonſtrativos in ea indicatos.

Syllogiſmus contingens eſt qui conſtat ex axiomatibus cóntingentibus, ejus quoque materia ſpargitur per univerſam topicam, oriturque ex non neceſſariò conjunctis vel disjunctis.

RE-

REGULÆ.

I. *Canones de Syllogiſmo affirmato & negato.*

1. Syllogiſmi affirmatio & negatio eſt judicanda ex concluſione.

2. In Syllogiſmo affirmato omnia axiomata ſunt affirmata. Nam ſyllogiſmus affirmatus oritur ex terminis affirmatis, ſi medius cum utroque extremo conveniat, exibit ſyllogiſmus affirmatus.

3. In ſyllogiſmo negato alterutra tantùm præmiſſarum ſit negans, nam ex puris negativis nihil colligitur, oportet itaque ut medius ſaltem cum alterutro termino conſentiat.

II. *Canones de quantitate Syllogiſmi ſunt hi*;

1. Quantitas ſyllogiſmi æſtimatur ex concluſione. Ramus tamen & alii graves Authores eam æſtimant ex præmiſſis, vocantque eum generalem qui conſtat ex propoſitione & aſſumptione generali. Specialem qui ex alterutrâ tantùm generali: proprium qui ex utráque propria, quæ quidem ſententia tam uſitatis figurarum modis non magis conſentit, ex noſtra enim ſequitur quoſdam eſſe ſyllogiſmos tertiæ figuræ, qui ad nullum modum revocari queant. Ut Anacharſis fuit Schyta: Anacharſis fuit nobi-

nobiliſſimus Philoſophus: Ergo quidam Schyta fuit nobiliſſimus Philoſophus. Sed generalior eſt doctrina ſi ſyllogiſmi quantitatem ex concluſione judicemus.

2. Syllogiſmi ſingulares ſummum habent in diſciplinis practicis uſum, nec minor eſt eorum certitudo univerſalium, imò tanta eſt eorum evidentia, ut vocentur expoſitorii; clariſſimè enim congruunt cum principiis ſupra poſitis, eaque quaſi ſenſibiliter exprimunt occurrentia in omnibus ſyllogiſmorũ generibus.

3. *De Syllogiſmo neceſſario Canones.*

1. Syllogiſmus neceſſarius parit ſcientiam vel fidem infallibilem: Contingens parit opinionem vel fidem fallibilem.

2. Syllogiſmus Apodicticus parit ſcientiam κατ' ἐξοχὴν ſic dictam: verùm cauſæ adæquatæ inventio eſt admodum difficilis, præſertim in rebus obſcurioribus & dubiis.

3. Syllogiſmus verò Dicticus parit plerumque ſcientiam, ſed non tam perfectam: ut autem neceſſitatis, ſic quoque contingentiæ varii ſunt gradus.

4. *Fallacia harum diviſionum eſt triplex.*

1. Cùm Syllogiſmus non talis habetur pro tali, ut ſi hic ſyllogiſmus habeatur pro Apodictico, terra eſt oppoſita Soli & Lunæ: Ergo, hoc menſe erit Eclipſis, requiritur enim oppoſitio diametralis.

2. Cùm

2. Cum diviſionum harum modi confunduntur, ut cùm Dicticus habetur pro Apodictico, quæ fallacia multis demonſtrationibus eſt familiaris.

3. Cùm earum gradus confunduntur, ut ſi quis neceſſitatem ſecundi gradus habeat pro neceſſitate primi.

Caput XIII.

De Syllogiſmo Anomalo.

Præcepta.

Ratione formæ ſyllogiſmus eſt Analogus vel Anomalus.

Syllogiſmus Analogus eſt cujus diſpoſitio eſt manifeſtior, ut, animal perfectiſſimum habet figuram perfectiſſimam: homo eſt animal perfectiſſimum. Ergo.

Syllogiſmus Anomalus eſt cujus diſpoſitio eſt obſcurior.

Eſtque deficiens, redundans, vel inverſus.

Syllogiſmus deficiens eſt in quo deeſt aliqua propoſitio, ut, homo eſt perfectiſſimum animal: Ergo habet perfectiſſimam formam ſeu figuram.

Eſtque Enthymema ſtrictè dictum, Inductio & Exemplum.

En-

Enthymema ſtrictè dictum eſt in quo præmiſſarum univerſalium aliqua deeſt, ut, cœlum eſt corpus naturale: Ergo certum habet partium ſpatium.

Inductio eſt Enthymema cujus aſſumptio eſt ſpecierum vel ſingularium enumeratio, ut, tres anguli trianguli, rectanguli, obtuſanguli, & acutanguli, æquantur duobus rectis. Ergo cujuſlibet trianguli rectanguli, tres anguli æquantur duobus rectis.

Exemplum eſt Enthymema quo ſingularium factum probatur per aliud ſimile verè conſentaneum, ut, Paulus factus eſt omnia omnibus. Ergo & nos debemus fieri omnia omnibus.

Syllogiſmus redundans eſt qui conſtat pluribus quam tribus propoſitionibus. Propoſitio autem addita vel probat aliquam principalem propoſitionem, diciturque proſyllogiſmus: vel tantùm explicat vel amplificat.

Prioris generis eſt, omne corpus naturale habet uſum, ſecus aliquid eſſet fruſtra. At quævis herbula eſt corpus naturale: Ergo quævis herba habet uſum.

Poſterioris generis ſunt, Omne corpus naturale habet uſum, quemadmodum in bene ordinato exercitu milites ſinguli aliquo officio funguntur. At minima particula herbæ eſt corpus naturale: Ergo minima herbulæ particula habet uſum.

Inter

Inter ſyllogiſmos redundantes excellit Sorites, qui eſt continua propoſitionum ita connexarum & per ſe ſubordinatarum coacervatio, ut prædicatum prioris fiat ſubjectum poſterioris, donec prædicatum ultimæ connectatur cum ſubjecto primæ, ut, Rom. 8. verſ. 29. quos præſcivit, eos etiam prædeſtinavit, quos prædeſtinavit eos etiam vocavit, & quos vocavit eos etiam juſtificavit, quos autem juſtificavit eos etiam glorificavit: Ergo quos præſcivit eos etiam glorificavit.

Syllogiſmus Inverſus eſt qui ordinem propoſitionum mutat, ut, primum Chaos fuit ens: Ergo fuit ordinatum, omne enim ens eſt ordinatum.

Datur autem varia anomaliarum combinatio: ut, Chriſti corpus eſt verum corpus humanum: Ergo habet partem extra partem: omne enim corpus humanum, imò omne quantum habet partem extra partem: Ergo non habet caput, ubi habet pedem: Ergo non eſt illocale, nec ubique.

REGULÆ.

1. *Canones de Anomaliâ ſeu Crypſi ſyllogiſtica ſunt hi.*

1. Syllogiſmo Cryptico utuntur diſputatores brevitatis, Oratores ſanitatis ſtudio.

2. Ex Concluſione Enthymematis poteſt deprehendi pars omiſſa: nonnunquam etiam concluſio omittitur, quæ tamen ex contextu facile colligitur.

3. Soritis principium eſt, quæ in continuatis tertiis conveniunt, ea conveniunt inter ſe. Si 1. convenit 2: 2. 3: 3. 4: 4. 5, etiam primum convenit quinto.

Is autem Sorites bonus eſt qui analogorum principiis non repugnat, quique ad eorum formas reduci poteſt. Itaque ex puris negatis, vel particularibus, vel confuſa negatarum aut particularium cum generalibus propoſitionibus conjunctione, nihil concluditur. Fit autem æque ex propriis & ex generalibus, ut Tharan fuit pater Abrahæ, Abraham Iſaaci: Iſaac Jacobi: Jacob Judæ: Ergo Tharan fuit pater Judæ.

4. In Sorite partes ſunt per ſe ſubordinatæ, magnus ejus uſus eſt in cauſis, effectis, ſubjectis, adjunctis, aliiſque argumentis per ſe ſubordinatis, ſeu incluſis; in primis in generibus & ſpeciebus, habetque locum in Antecedentibus & Conſequentibus: Item in minoribus & majoribus. Ut, Alexander in tempore Socratis nondum fuit puer: Ergo nec Adoleſcens: Ergo nec juvenis: Ergo nec Senex. Ex majoribus, hic Mercator habet centum florenos, 1, & 5, & 10; Ergo & unum, & reciprocè negativè.

5. Ali-

5. Aliquando Sorites bonus eſt, & ſi partes ſuâ naturâ non cohæreant per ſe, ſed alicujus ordinantis infallibili diſpoſitione, ut Rom. 5, verſ. 3. 4. 5. Afflictio parit patientiam, patientia experientiam, experientia ſpem, ſpes non confundit: Ergo afflictio non confundit. Hìc prima propoſitio vi terminorum non eſt per ſe, ſed vi divini conſilii & divini ſpiritûs eſt per ſe.

2. *Fallacia Anomalorum ſyllogiſmorum eſt triplex.*

Eſt autem fallacia vel generalis, cùm in communia ſyllogiſmi præcepta inpingitur: Vel ſpecialis cùm in ſpecialia.

Speciales autem fallaciæ ex ſingulorum definitione ducuntur.

Caput XIV.

De Figuris.

Præcepta.

In ſpecie ſyllogiſmus eſt ſimplex vel compoſitus.

Syllogiſmus ſimplex eſt quo pars conſequens quæſtionis eſt in propoſitione, pars antecedens in aſſumptione. Uſitatè dicitur Categoricus, ac tres ejus ſpecies vocantur figuræ.

Syllogiſmus ſimplex eſt explicatus vel contractus, ſeu figura generalior vel ſpecialior.

Explicatus eſt cujus propoſitio eſt generalis aut propria, & concluſio ſimilis antecedenti & parti debiliori.

Syllogiſmus explicatus ſeu figura generalior eſt prima vel ſecunda.

Figura prima eſt in quo argumentum univerſale antecedit in propoſitione, & ſequitur affirmatum in aſſumptione. Ramo dicitur Explicatus ſecundus.

Ejus principium eſt. Si ſecundo convenit vel non convenit primum, & tertio convenit ſecundum, etiam tertio convenit vel non convenit primum.

Hoc Principium exprimit dictum de omni & nullo.

Dictum de Omni eſt quidquid convenit generi, convenit etiam ſpeciei.

Dictum de nullo, eſt quidquid negatur de genere, negatur etiam de ſpecie.

Modi ejus ſunt octo, duo generales, duo particulares, quatuor proprii, juxta definitionem ſyllogiſmi primò ſuprà traditam.

1. Generalis affirmativa.	*Bar*	Omnis creatura ſuam perfectionem habet à Deo.
	Ba	Omnis Homo eſt creatura.
	Ra.	Ergo omnis homo ſuam perfectionem habet à Deo.

Ejus

Ejus Principium eſt, ſi omni ſecundo convenit primum, & omni tertio cenvenit ſecundum: Etiam omni tertio convenit primum. Sic hoc modo enuntientur ut Pr ncipia plana reſpondeant proceſſui ſyllogiſtico. Alias etiam ſic poſſunt commodè efferri. Si primum convenit omni ſecundo, & ſecundum convenit omni tertio, etiam primum convenit omni tertio.

2. Generalis negativa.	*Ce*	Nullũ bonum eſt fruſtra.
	La	Omne ens eſt bonum.
	Rent.	Ergo nullũ ens eſt fruſtra.

Ejus Principium eſt, ſi nulli ſecundo convenit primum, & omni tertio convenit ſecundum, etiam nulli tertio convenit primum.

3. Particularis affirmans	*Da*	Quidquid habet intellectum habet voluntatem.
	Ri	Quædam creatura habet intellectum.
	I.	Ergo quædam creatura habet voluntatem.

Ejus principium eſt, ſi omni ſecundo convenit primum, & cuidam tertio convenit ſecundum, etiam cuidam tertio convenit primum.

4.Particularis negans
- *Fe* Nullus infidelis ſalvatur.
- *Ri* Aliquis homo eſt infidelis.
- O. Ergo aliquis homo non ſalvatur.

Ejus principium eſt, ſi nulli ſecundò convenit primum, & cuidam tertio convenit ſecundum: Etiam cuidam tertio non conveniet primum.

5.Proprius affirmans.1.
- *Bar* Omnis qui ſalvatur credit Chriſtum.
- *Bu* Moſes ſalvatur.
- *Ru.* Ergo Moſes credit Chriſtum.

Ejus principium eſt ſi omni ſecundo convenit primum,& huic tertio convenit ſecundum: etiam huic tertio convenit primum.

6.Proprius affirmans.2.
- *Bur* Filius Virginis eſt verus Meſſias.
- *Bu* Jeſus Nazarenus eſt filius Virginis,
- *Ru.* Ergo Jeſus Nazarenus eſt verus Meſſias.

Ejus principium eſt ſi huic ſecundo convenit primum, & huic tertio convenit hoc ſecundum, etiam huic tertio convenit primum.

Nul-

7. Proprius negans. 1.	*Ce*	Nullus verus Propheta contradicit Moſi.
	Lu	Chriſtus eſt verus Propheta.
	Rynt.	Ergo Chriſtus non contradicit Moſi.

Ejus principium eſt, ſi nulli ſecundo convenit primum, & huic tertio convenit ſecundum, etiam huic tertio conveniet primum.

8. Proprius negans. 2.	*Cy*	Vox clamantis in deſerto non eſt Meſſias.
	Lu	Johannes eſt vox clamantis in deſerto.
	Rynt.	Ergo Johannes non eſt Meſſias.

Ejus principium eſt, ſi nulli ſecundo convenit primum, & huic tertio convenit ſecundum, etiam huic tertio non conveniet primum.

REGULÆ.

1. *Canones de ſyllogiſmo ſimplici ſunt hi.*

1. Syllogiſmus ſimplex diſtrahit partes quæſtionis, id eſt, in alia propoſitione collocat prædicatum in alia ſubjectum quæſtionis. Ubi

igitur hæc partium diſtractio eſt, ibi eſt ſyllogiſmus ſimplex, ſive propoſitiones ſint ſimplices ſive compoſitæ. Ut ſi Deus diſcit, Deus non eſt Deus: At ſi Deus ignorat futura contingentia, diſcit: Ergo. Item, corpus animatum aut eſt planta aut animal. Metallum nec planta eſt nec animal: Ergo metallum non eſt corpus animatum: Hujuſmodi ſyllogiſmi frequentes ſunt in Matheſi.

2. Syllogiſmi ſimplices dicuntur figuræ. Figura eſt apta diſpoſitio medii cum extremis.

Modus eſt legitima propoſitionum ſecundum quantitatem & qualitatem conſtitutio.

3. Modi Legitimi exprimuntur certis vocabulis mnemonicis, ad quorum intelligentiam faciunt hi verſus.

Aſſerit A, negat E, verum generaliter ambæ.
Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambo.
Aſſerit V, negat Y, ſed ſingulariter ambo.

2. *Canones primæ figuræ ſunt hi.*

1. Dichotomia ſyllogiſmi ſimplicis eſt præferenda Trichotomiæ, ſecus manifeſtè peccatur in methodum, & in duabus primis figuris communia traduntur ſpecialiter.

Vocamus autem explicatum figuram communiorem, (quæ vox *explicatus* Peripateticis eſt obſcurior, nec per ſe adeò uſitata) quia tam generales quàm particulares concluſiones infert. Contractus non niſi particulares.

2. Figura

2. Figura prima eſt generaliſſima & perfectiſſima, hoc clarè patet ex principiis.

3. Aſſumptio in prima figura ſemper ſit affirmata, ſecus nulla eſſet connexio. Ut, omnis homo eſt animal: nullus equus eſt homo: Ergo, nullus equus eſt animal.

Hic ſyllogiſmus nititur hoc ſtulto principio: Si primum conveniat cum ſecundo, & ſecundum convenit nulli tertio, etiam primum convenit nulli tertio: quaſi verò unum non poſſit convenire diverſis.

Si verò aſſumptio aſſumat ſubjectum propoſitionis prout in eâ poſitum fuerit, aſſumptio æquipollet affirmato, adeoque ſyllogiſmus eſt bonus: Etſi enim aſſumptio & per ſe & abſolutè ſpectata ſit negata, tamen cum propoſitione collata affirmat, quia duæ negantes poſſunt conſentire: ut, qui non audiunt Chriſtum damnantur; Iudæi non audiunt, &c. in hoc ſyllogiſmo manet illæſum primum principium.

4. Prima figura eſt maxime κατασκευαστική ad confirmationem aptiſſima.

5. Primæ figuræ vocabula mnemonica ſolent eſſe hæc.

Barbara, Celarent, primæ Darii Ferioque.

Quibus adduntur

Barbaru, Celarint, cum Burburu tumque Cilurynt.

3. *Fallacia primæ figuræ eſt triplex.*

Non ſolùm in hoc ſed in omnibus ſyllogiſmi generibus obſervandum eſt quod poſſit competere fallacia generalis & ſpecialis. Sic ſyllogiſmo primæ figuræ poteſt convenire fallacia quatenus ſyllogiſmus ſimplex, quatenus explicatus eſt, quatenus ſyllogiſmus primæ figuræ, denique quatenus eſt talis modi. Poteſt autem quælibet fallacia tribus modis variari, ut toties videmus, quæ generalia ſingulariter dicantur, facilis erit fallaciarum ſolutio, quas ſpecialiter recenſere non eſt compendii. Mirabilem hanc varietatem diligens praxis proſequatur. Sic explicati fallacia eſt cùm propoſitio major eſt particularis, quia nulla eſt connexio: ut, quoddam Animal eſt Lupus; Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo eſt lupus. Hic ſyllogiſmus nititur hoc ſtulto principio, ſi cuidam ſecundo convenit primum, & quoddam ſecundum convenit omni tertio, etiam omni tertio convenit primum, cum enim quoddam ſecundum poſſet eſſe diverſum ab alio quodam ſecundo nulla erit connexio.

Figuræ primæ ſpecialis fallacia eſt, cùm aſſumptio negat ſubjectum propoſitionis, quemadmodum autem ſyllogiſmi clariſſimè cognoſcuntur ſi reſolvantur in principia vera, ſic quoque fallaciæ ſi reducantur ad ſua principia falſa.

CAPUT

CAPUT XV.

De Figura ſecunda.

FIgura ſecunda eſt ſyllogiſmus explicatus in quo argumentum ſemper ſequitur, negatum in altera parte,

Ramo dicitur explicatus ſecundus.

Modi ejus ſunt octo, duo generales, duo particulares, & quatuor proprii.

Ejus principium clariùs exponitur duobus axiomatibus, ſi primo non convenit ſecundum, & tertio convenit ſecundum, etiam tertio non convenit primum. Si primo convenit ſecundum, & tertio non convenit ſecundum, etiam tertio non convenit primum.

Generalis, 1. { *Ce* Nulla ſubſtantia eſt mala,
Sa Omne peccatum eſt malum,
Re. Ergo nullum peccatum eſt ſubſtantia.

Ejus principium eſt, ſi nulli primo convenit ſecundum, & omni tertio convenit ſecundum, nulli etiam tertio conveniet primum. Aliter ſic poteſt efferri. Si nulli primo convenit ſecundum, & ſecundum convenit omni tertio, etiam primum nulli tertio conveniet.

Gene-ralis, 2.
- *Ca* Omne animal ſentit.
- *Me* Nulla ſtella ſentit.
- *Stres.* Ergo nulla ſtella eſt animal.

Ejus principium, ſi omni primo convenit ſecundum, & nulli tertio convenit ſecundum, etiam nulli tertio convenit primum.

Particu-laris, 1.
- *Fe* Nullum corpus quod habet locum ambientem eſt maximū.
- *Ri* Aliquod corpus in natura eſt maximum.
- *O,* Ergo aliquod corpus in natura non habet locum ambientem.

Ejus principium eſt, ſi nulli primo convenit ſecundum, & alicui tertio convenit ſecundum, etiam alicui tertio non convenit primum.

Particu-laris, 2.
- *Ba* Omnia Meteora manent ſub Luna.
- *Ro* Quædam nova corpora in ſublimi non manent ſub Luna.
- *Co.* Ergo quædam nova corpora in ſublimi non ſunt meteora.

Ejus principium eſt, ſi omni primo convenit

nit ſecundum, & cuidam tertio non convenit ſecundum, etiam cuidam tertio non conveniet primum.

Proprius, 1,
- *Ce* Nullus verè fidelis prodit Chriſtum.
- *Su* Judas Iſcariotes prodidit Chriſtum.
- *Ry.* Ergo Judas Iſcariotes non eſt verè fidelis.

Ejus principium eſt, ſi nulli primo convenit ſecundum, & huic tertio convenit ſecundum, etiam huic tertio non conveniet primum.

Proprius, 2,
- *Cy* Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle.
- *Su* Alexander eſt pictus ab Apelle.
- *Ry.* Ergo Alèxander non eſt Ageſilaus.

Ejus principium eſt, ſi huic primo non convenit ſecundum, & huic tertio convenit ſecundum, etiam huic tertio non conveniet primum.

Proprius, 3,
- *Ca* Omnis dives eſt contentus ſua ſorte,
- *My* Euclio non eſt contentus ſua ſorte,
- *Strys.* Ergo Euclio nō eſt dives.

Ejus

Ejus principium eſt, ſi omni primo convenit ſecundum & huic tertio non convenit ſecundum, etiam huic tertio non conveniet primum.

Proprius.4.	*Cu*	Cyrus Magnus fuit pater Cambyſis.
	My	Cyrus Junior non fuit pater Cambyſis.
	Strys.	Ergo Cyrus Junior non fuit Cyrus Magnus.

Ejus principium eſt, ſi huic primo convenit ſecundum, & huic tertio non convenit ſecundum, etiam huic tertio non conveniet primum.

REGULÆ.

1. *Canones de ſecunda figura ſunt hi.*

1. In ſecunda figura concluduntur tantùm quæſtiones negantes, ideoque eſt maximè apta ad refutandum.

2. Quia eſt explicatus ſemper propoſitio debet eſſe univerſalis vel propria.

3. Figuræ ſecundæ vocabula mnemonica ſunt.

Caſare, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Baroco*, ſecundæ, quibus adduntur.

Ceſury, *Cyſury*, *Camyſtrys*, tumque *Cumyſtrys*.

2. *Fallacia ſecundæ figuræ eſt triplex.* Eſtque generalis vel ſpecialis: Excellit illa cum merè eſt affirmans, ut, omnis Judæus eſt homo: omnis Græcus eſt homo: Ergo omnis Græcus eſt Judæus.

Ejus falſum principium eſt, ſi omni primo convenit ſecundum, & omni tertio convenit ſecundum, etiam omni tertio conveniet primum. Poteſt enim una eademque res competere diverſiſſimis.

Caput XVI.

De Tertia Figura.

Figura tertia eſt in qua argumentum in utrâque præmiſſa antecedit, & in aſſumptione affirmatur, ut exiſtat concluſio particularis; Ramo dicitur contractus. Ejuſmodi ſunt octo, ſex particulares & duo proprii.

Particularis, 1,
- *Da,* Omnis ſocietas conſervatur concordiâ.
- *Ra,* Omnis ſocietas conſtat ex variis membris.
- *Pti,* Ergo aliquod quod conſtat ex variis membris conſervatur concordiâ.

Ejus

Ejus principium eſt , ſi omni ſecundo convenit primum , & omni ſecundo convenit tertium , etiam cuidam tertio conveniet primum.

Particularis, 2,
- *Fe*, Nulli hæretici ſunt verè fideles
- *La*, Omnes hæretici ſe jactant vera membra Eccleſiæ.
- *Pton*, Ergo quidam qui jactant ſe vera membra Eccleſiæ non ſunt verè fideles.

Ejus principium eſt ſi nulli ſecundo convenit primum,& omni ſecundo convenit tertium, etiam cuidam tertio uon conveniet primum.

Particularis, 3.
- *Di*, Quædam mineralia ſunt incorruptibilia,
- *Sa*, Omnia mineralia generantur ex terra.
- *Mis*. Ergo quædam quę generantur ex terra ſunt incorruptibilia.

Ejus principium eſt, ſi cuidam ſecundo convenit primum , & omni ſecundo convenit tertium ,etiam cuidam tertio conveniet primum.

Particularis, 4,
- *Da*, Omnia inferiora recipiunt vim cœleſtium,
- *Ti*, Quædam inferiora ſunt in medio terræ abſcondita.
- *Si*. Ergo quædam in medio terrę abſcondita recipiunt vim cœleſtium,

Ejus

Ejus principium eſt, ſi omni ſecundo convenit primum, & cuidam ſecundo convenit tertium, etiã cuidam tertio conveniet primum.

Particularis, 5,
- *Bo* Aliqua vindicta non eſt vitioſa.
- *Car* Omnis vindicta malè afficit honorem.
- *Do.* Ergo aliquid quod male afficit honorem non eſt vitioſum.

Ejus principium eſt, ſi cuidam ſecundo non convenit primum, & omni ſecundo convenit tertium, etiam cuidam tertio non convenit primum.

Particularis, 6,
- *Fe* Nulla ſapientia eſt vituperanda.
- *Ri* Quædam ſapientia videtur mundo ſtultitia.
- *Son.* Ergo aliquod quod mundo videtur ſtultitia non eſt vituperandum.

Ejus principium, ſi nulli ſecundo convenit primum, & cuidam ſecundo convenit tertium, etiam cuidam tertio non conveniet primum.

Proprius, 1,
- *Da* Qui eſt ex Virgine natus eſt Immanuel,
- *Ra* Qui eſt ex Virgine natus eſt Jeſus.
- *Tyn.* Ergo Jeſus eſt Immanuel.

Ejus

Ejus principium eſt, ſi omni ſecundo convenit hoc primum, & omni ſecundo competit hoc tertium, etiam huic tertio competit hoc primum.

Proprius, 2,	*Fe*	Qui redemit Iſraelem non fuit Zerobabel.
	La	Qui redemit Iſraelem fuit verus Meſſias.
	Ptyn.	Ergo verus Meſſias non fuit Zerobabel.

Ejus principium eſt, ſi nulli ſecundo conveniit hoc primum, & omni ſecundo convenit hoc tertium, etiam huic tertio non conveniet hoc primum.

REGULÆ.

1. *Canones de tertia figura ſunt hi.*

1. Tertiæ figuræ vocabula mnemonica ſic traduntur,

Tertia grande ſonans tibi dat Darapti, Felapton,
Adjungas Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.

2. Excellunt in hac figura modi, cùm argumento proprio concluditur particularis, qui ob evidentiam dicuntur Syllogiſmi expoſitorii, ut, David fuit ſanctus; David graviſſimè peccavit: Ergo quidam vir ſanctus graviſſimè peccavit. Hic, ut & ſequens, Ramo dicitur proprius: idque non malè, ſecus modi eſſent fingendi particulares:

Ejus

Ejus principium, ſi huic ſecundo convenit primum, etiam cuidam tertio conveniet ſecundum; ut, Petrus non fuit cœlebs: Petrus fuit Apoſtolus: Ergo quidam Apoſtolus non fuit cœlebs.

Cujus principium, ſi huic ſecundo convenit tertium, etiam cuidam tertio non conveniet primum. Tertius autem ſingularis, hic non eſt idem quod res unica numero, ſed eſt res pluribus communicabilis: Itaque ſi vel ſingulariſſima pluribus communis, non poteſt facere Syllogiſmum expoſitorium.

Quales ſequentes & ſimiles in Logica Syllogiſmi peccant, ut, eſſentia Divina eſt Pater: eſſentia divina eſt filius: Ergo pater eſt filius. Quia eſſentia divina ob infinitam ſummamque ſimplicitatem eſt communicabilis pluribus. Similis ex parte paralogiſmus eſt. Centrum A eſt in diametro B: centrum A eſt in Diametro C. Ergo diameter C, eſt diameter B; malè ſed rectè, Ergo aliquid quod eſt in diametro C, eſt etiam in diametro B, ſic igitur in priori Syllogiſmo erat inferendum: Ergo aliquid quod eſt pater, eſt filius, quæ concluſio veriſſima eſt.

2. *Secunda figura & tertia poteſt reduci ad primam.*

3. *Fallacia tertiæ figuræ eſt triplex.*

1. Frequentior eſt cùm minor eſt negata: ut, omnis

omnis homo eſt animal, nullus homo eſt leo: Ergo, nullus leo eſt animal.

2. Cùm concluſio eſt generalis. Ut omnis fortitudo eſt laudanda, omnis fortitudo eſt confidentia. Ergo omnis confidentia eſt laudanda. Falſum enim eſt ſi omni ſecundo convenit primum, & omni ſecundo convenit tertium, etiam omni tertio conveniat ſecundum.

CAPUT XVII.

De Syllogiſmo Connexo.

PRÆCEPTA.

Sequitur ſyllogiſmus compoſitus in quo tota quæſtio eſt pars altera propoſitionis affirmatę & compoſitæ, argumentum eſt pars reliqua.

Aſſumere in ſyllogiſmo compoſito eſt partem propoſitionis ità repetere ut fuit propoſita, affirmata affirmatè, negata negatè.

Tollere eſt affirmatam negare, & negatam affirmare.

Syllogiſmus compoſitus eſt connexus vel diſtinctus.

Syllogiſmus Connexus eſt ſyllogiſmus compoſitus cujus propoſitio eſt connexa, dicitur etiam conditionalis.

Syllogiſmus connexus eſt conſtructivus vel diſtructivus.

Syl-

Syllogiſmus connexus conſtructivus eſt qui aſſumit antecedens & concludit conſequens, ut ſi Deus eſt perfectiſſimus, nihil perfectionis ei in tempore accidit, Ramo dicitur connexus primi modi.

Syllogiſmus Connexus diſtructivus eſt qui tollit conſequens ut tollat antecedens, ut, ſi nos non reſurgemus, neque Chriſtus reſurrexit, at Chriſtus reſurrexit: Ergo: Ramo dicitur connexus ſecundi modi.

REGULÆ.

1. *Canones de ſyllogiſmo connexo ſunt hi.*

1. Syllogiſmi compoſiti ſunt clariſſimi, acutiſimi. Itaque qui eos contemnunt rectæ rationi manifeſtè repugnant.

Inſtituatur Analyſis ſacræ ſcripturæ, codicis Juſtinianæi, Hypocratis, Galeni, Platonis, Ariſtotelis aliorumque ſummorum authorum, & ipſamet experientia docebit: quod longiſſimè frequentius ſyllogiſmis compoſitis quàm ſimplicibus utantur: neque hoc mirum eſt quia ipſorum principia ſunt evidentiſſima. Etſi igitur utile ſit aliquando aliquos ad ſimplices reducere, tamen id ſemper in omnibus tentare ineptum eſt.

2. Legitima ſyllogiſmi connexi propoſitio eſt quæ connectitur ex neceſſariò conſentaneis, vel neceſſariò oppoſitis. Oppoſitis, inquam,

ſi ſingulos terminos perpendas; conſentaneis, ſi ipſorum enuntiationum, ut, ſi homo eſt, non eſt Leo: hic Leo eſt homo ſunt oppoſita: ſed hominem eſſe, & non eſſe leonem ſunt arctiſſimè conſentanea. Vera igitur oppoſitio connexa eſt cujus partes tã arctè inter ſe ſunt connexæ, ut neceſſè ſit eas ſimul ut veras affirmare, vel ut falſas rejicere, ità ut ſi unum aſſumas reliqua ſint concludenda, ſi unum tollas, & reliqua ſint tollenda.

Nam connexorum ſyllogiſmorum principium eſt; ſi duo ſunt neceſſariò ſimul ſeu connexa, ſi eſt unum erit & alterum; & ſi non eſt unum, neque alterum erit.

Hic per ſimul eſſe intellige tam neceſſariam ſubordinationem quàm coordinationem.

3. In negatione ſyllogiſmi connexi attendendum eſt ad connexæ propoſitionis vinculũ; ſi non ad ſingulas partes, nam ex his omnibus negatis ſæpius conſtant connexa affirmata, ut, ſi non eſt providentia Dei ordinatiſſima; neque Deus. Hæc propoſitio eſt affirmata: ejus negatio eſt, non ſi non eſt providentia Dei ordinatiſſima, Deus non eſt.

4. In ſyllogiſmo connexo frequens eſt λογο-τίμος id; compendioſa aſſumptionis vel ſublationis expreſſio, cujus formulæ ſunt, At, verum eſt prius: ergo & poſterius: ſed illud, eſt & hoc. Atqui verum eſt antecedens, ergo eſt conſequens: ſed falſum hoc, ergo eſt illud.

5. Syl-

5. Syllogiſmi connexi primi fundamentum duobus his axiomatibus indicatur clariùs.

1. Si illud eſt quod ſine altero eſſe non poteſt, etiam hoc alterum eſt, ſeu poſito connexorum uno ponitur alterum, & negato connexorum uno negatur & alterum.

2. Si illud eſt cum quo alterum eſſe non poteſt, hoc alterum non eſt.

6. In ſyllogiſmo connexo primo ſæpius non aſſumitur idem ſed impar, ſcilicet majus in affirmatione, minus in negatione: hæc eſt implicita & ingenioſa aſſumptio: ut ſi 10 florenos habes, ſufficiunt, at habes 100, Ergo multò magis ſufficiunt: minus, ut, ſi 100 florenos haberes, huic itineri non ſufficerent, at ne decem quidem habes, Ergo multò minùs ſufficerent.

7. Syllogiſmi connexi idem concludendi modus eſt, ſi relativæ propoſitiones, quæ connexis æquipollent adhibeantur, ut, cùm arbores florent, ver eſt.

8. Syllogiſmi connexi ſecundi principia ſunt.

1. Si illud non eſt, ſine quo alterum eſſe non poteſt, neque alterum eſt.

2. Si illud eſt, quod cum altero eſſe non poteſt, illud alterum non eſt, ſeu poſito oppoſitorum uno, alterum negabitur.

2. *Fallacia Syllogiſmi connexi eſt generalis vel ſpecialis.* Generalis cùm non eſt

eſt firma connexio in propoſitione, vulgo dicitur, nullam eſſe conſequentiam. Si propoſitio connexa non æquipollet alicui ſimplici univerſali, ſed addendum eſt, vel propriæ, ut ſi Iſaac eſt filius Abrahæ, crudum enim eſt dicere omnis Iſaac eſt filius Abrahæ.

Specialis fallacia primi, ſi tollat antecedens ut tollat conſequens, ut, ſi homo eſt planta, tunc vivit, at non eſt planta. Ergo falſum principium eſt: ſi illud non eſt quod ſine altero eſſe non poteſt, etiam hoc alterum non eſt, poteſt enim hoc alterum eſſe ſine illo, etiamſi illud non poſſit eſſe ſine hoc.

Specialis fallacia ſecundi eſt ſi aſſumat ſeu ponat, conſequens, ut concludat ſeu pōnat antecedens: ut, ſi leo homo eſt, animal eſt: atqui eſt animal: Ergo homo: Ejus falſum principium eſt, ſi illud eſt ſine quo alterum eſſe non poteſt, etiam alterum.

Caput XVIII.
De ſyllogiſmo disjuncto.

Syllogiſmus disjunctus eſt ſyllogiſmus compoſitus propoſitionis disjunctæ.

Syllogiſmus disjunctus eſt primi vel ſecundi modi, ille affirmatus, hic negatus dicitur.

Disjunctus primi modi eſt qui tollit unum & reli-

reliquum concludit, ut, aut fide juſtificamur aut operibus, at non operibus, ergo fide.

Disjunctus ſecundi modi eſt qui propoſitione partibus omnibus affirmatâ conſtans, aſſumit unum & reliquum tollit. ut, aut dies eſt, aut nox eſt: At dies eſt: Ergo non nox eſt.

Ex connexi & disjuncti combinatione oritur dilemma, quod eſt ſyllogiſmus ἐνθυμηματικὸς connexus, cujus propoſitionis conſequens conſtat contrariis immediatis: Quo totum tollitur in aſſumptione, ut tollatur antecedens in concluſione, ut, ſi nulla concedenda eſt Metaphyſica, aut Logica terminos generaliſſimos difinit, aut alia diſciplina: Non Logica, quia de rebus ſeu de notionibus primis non agit: Non alia diſciplina, quia ut ſpecialis eſt, ita in ſpecialia tantùm de verbis agit.

Regulæ.

1. *Canones de ſyllogiſmo disjuncto hi ſunt.*

1. Syllogiſmi disjuncti magna eſt evidentia, uſuſque præſertim in refutando inſignis.

2. Propoſitio disjuncta eſt cujus partes ita inter ſe diſconveniunt ut conjungi aut ſimul eſſe nequeant: & ſi unum aſſumatur, alterum tollatur, & viciſſim, ſi una retineatur, altera rejiciatur & contra. Itaque conſtat ex immediate oppoſitis.

3. Principium disjuncti eſt, impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe: Seu impoſſibile eſt ea ſimul eſſe, quæ ſe mutuò deſtruunt. Quæ ſpecialibus ſic accommodantur, 1. omne thema aut eſt aut non eſt. 2. Quod eſt, non poteſt eſſe cum ſibi repugnante, ſeu ſe deſtruente.

4. Disjuncti primi principium, eſt ſi res eſt, aut hoc eſt, aut illud, ſi non eſt hoc, erit illud, vel ſi non eſt illud, erit hoc. Itaque procedit à ſufficient negatione unius oppoſiti ad affirmationem alterius.

5. In disjuncto primo ſi partes disjunctæ propoſitionis ſint duabus plures, judicandi aut concludendi ars erit eadem. Nam tam diu eſt recipiendus ſyllogiſmus disjunctus donec unicum tantùm concludatur: Etiam in disjuncto plus uno verum eſſe nequit. Itaque vel reliquæ omnes ſunt tollendæ ut una concludatur, vel una tollenda ut reliquæ concludantur. Atque hic disjunctorum obſervatione diſciplinæ juxta Platonem inveniri queunt.

6. Disjuncti ſecundi principium eſt, ſi res eſt, aut eſt hoc, aut illud: ſi eſt hoc, non eſt illud, ſi eſt illud, non eſt hoc.

Disjunctus ſecundus etiam conſtat ex propoſitione copulata negata, quæ negata copulati dupliciter effici poteſt, quia affirmatæ propoſitionis disjunctæ vim obtinet, ut, non & Deo ſervire poſſumus & Mammonæ: At ſerviendum Deo, non igitur Mammonæ.

2. *Cano-*

2 *Canones de dilemmate ſunt hi.*

1. Dilemma eſt efficaciſſimum ad conſtringendum Adverſarium, cùm enim conſtet ex oppoſitis immediatis alterutrum oportet ut concedatur ab Adverſario.

2. Dilemmatis modi duo ſunt, 1. Eſt cùm totum conſequens tollitur, ut tollatur antecedens, ut, in exemplo in præceptis dato. 2. Eſt cùm alterum tantùm argumentum adverſario contrarium concluditur, reliqui Syllogiſmi ſunt ejus proſyllogiſmi. In hoc, principalis Syllogiſmus eſt connexus primus, proſyllogiſmus eſt disjunctus: Secundus eſt connexus ſecundi modi, ut, ſi malè locutus ſum, cur non probas? Si bene, cur me accuſas? Hic principalis ſyllogiſmus eſt, ſi bene ſum locutus, non debes me accuſare, at verum prius: Ergo, Aſſumptio probatur. Aut bene aut malè ſum locutus, non malè, ergo bene. Hujus aſſumptio probatur epilogiſmo, ſi malè locutus eſſem, poſſes probare, at non potes: Ergo non malè ſum locutus.

3. Cùm Dilemma conſtat ex connexis & disjunctis, eorum judicium adhibendum erit.

3. *Fallacia disjuncti eſt duplex.*

Generalis vel ſpecialis: Generalis cum partes propoſitionis, 1. non ſunt oppoſitæ, ut, aut eſt homo, aut ſubſtantia, 2. Non ſunt immediatè oppoſitæ, adeoque datur tertium & quartum; aut eſt Rex aut Epiſcopus, poteſt eſſe Ruſticus.

Specialis cum in medio aſſumitur unum & reliquum concluditur, ut, aut homo eſt, aut brutum, atqui eſt brutum: Ergo eſt homo.

Specialis fallacia in ſecundo eſt cùm tollit unum, etiam reliquum, ut, aut dies eſt aut nox: non eſt nox: Ergo dies non eſt.

Caput XIX.

De Methodo.

Præcepta.

HUc uſque de Syllogiſmo, ſequitur Methodus.

Methodus eſt dianoia, quâ varia axiomata homogenea pro naturæ claritate ad faciliorem intelligentiam ac firmiorem memoriam diſponuntur.

Judicium Methodicum eſt quo aliud ex alio intelligitur, adeoque ordo & confuſio cognoſcitur: hoc totum conſiſtit in collatione.

Methodus conſideratur generaliter vel ſpecialiter.

Communis Methodi conſideratio perpendit res diſponendas, & diſpoſitionis leges ſeu modos.

Res diſponendæ ſunt varia axiomata jam inventa,

venta, ſive illa inventio ſyllogiſtica, ſive axiomatica, ſive topica ſit.

Leges Methodicæ ſunt duæ, lex homogeniæ, & generalitatis.

Lex homogeniæ eſt quâ omnia axiomata ad thematis notificationem faciunt, ſeu quá omnia themati congruunt: ex hac oritur lex connexionis.

Lex connexionis eſt qua omnia axiomata inter ſe congruunt ac cohærent, quæ cohærentia tranſitionibus exprimitur.

Lex generalitatis eſt quâ notiora ignotioribus proponuntur.

Notiora ſunt quæ ſine aliis intelligi poſſunt, aliaque notificant. Ignotiora ſunt quæ ſine aliis intelligi nequeunt.

Diviſiones Methodi tres ſunt. 1. eſt Analoga vel Ænomola: 2. Univerſalis vel Particularis: 3. Synthetica vel Analytica.

Methodus Analoga eſt quæ rerum diſponendarum naturæ ac perfectæ cognitioni exactè congruit, dicitur Methodus Acromatica & ſapientiæ.

Methodus anomala eſt quæ non tam rebus diſponendis, quàm differentium captui congruit.

Methodus univerſalis eſt integræ diſciplinæ; particularis, partis alicujus diſciplinæ ordinata diſpoſitio.

Methodus Synthetica eſt quæ thematis ſeu

ſubjecti affectiones per principia docet: idque vel in genere vel in ſpecie.

Methodus Analytica eſt quæ docet quomodo finis ab aliquo per media obtineri queat.

REGULÆ.

1. *De Methodo in genere ſunt hi Canones.*

1. Methodus inventionis accuratè diſtinguenda eſt à Methodo doctrinę ſeu tractationis. Nam harum confuſio maximas parit in diſciplinis obſcuritates & difficultates. Ordo inveniendi pertinet ad priora inſtrumenta Logicæ: Ordo autem docendi & diſcendi gubernatur à Methodo, & Methodus doctrinæ ordine retrogrado procedit.

Nam inventio progreditur à ſpecialiſſimis ad ſubalterna, à ſubalternis ad generaliſſima: & doctrina incipit à generaliſſimis, & per ſubalterna deſcendit ad ſpecialiſſima.

2. Methodus eſt magiſtra intelligentiæ, & panacea memoriæ; Eſt enim magneticus quidam contactus inter ordinem & mentem. Unde methodus eſt regia ad ſolidam eruditionem via. Confuſio verò eſt ſtudiorum peſtis: Nam cùm mens intelligit & recordatur figuræ alicujus, ſi methodicè intelligat, fiunt circuli concentrici, ita ut major ex minore mirabili quâdam mentis

mentis fœcunditate reſultet. Si verò confusè agat, oriuntur circuli quaſi excentrici qui ſe mutuò interſecant ac perturbant.

3. Judicium Methodicum confert prima cum ultimis, & utraque cum mediis. Nimirum thema eſt menſura cum quo omnia axiomata comparat, eaque pro ſuâ erga illud, & inter ſe habitudine diſponit, ut enim Syllogiſmus inter ſe confert ut unum ex alio colligat & concludat, ita hæc facit Methodus ut ex unius terminis, alterius terminos apprehendat.

4. Methodus diſponit axiomata varia, quæ quidem alium ſenſum exprimunt, inter ſe tamen conveniunt: ſeu quorum alia ſunt clara quæ lucem aliis impertiuntur; alia ſunt obſcura quæ lucem ab aliis accipiunt, nulla autem illorum omittit ut tractatio ſit manca. Atque hujus varietatis confuſionem tollit Methodus.

5. Homogenea axiomata ſunt quæ cum themate artificioſæ tractationis congruunt. Ex his fluit omnium panharmonia ac ſymmetria: Nam quæ in uno tertio conveniunt, ea conveniunt inter ſe. Homogenia itaque proſcribit primò omnem antilogiam, quâ partes ſibi contradicunt ac ſe mutuò tollunt.

Deinde heterogenia, quâ præcepta quaſi per futuram confunduntur: hic tamen notandum eſt, quòd una eademque res pro diverſo conſiderandi modo, ſæpius tractetur in diſciplinis diverſis: ſic de homine agunt ferè omnes diſciplinæ.

 6. Con-

6. Connexionis lex eſt quâ tradita repetuntur, & tradenda innuuntur, vocaturque perfecta: ſicut imperfecta, quâ tradenda tantùm indicantur, eſt tranſitio.

7. Lex generalitatis perpetuò eſt obſervanda: ſunt autem ſimpliciora notiora compoſitis; adeoque inartificialibus artificilia, ortis prima, & comparatis abſoluta. Hæc autem lex eſt certiſſima claritatis, facilitatis ac nervoſæ brevitatis mater.

2. *De Methodo in ſpecie ſunt hi Canones.*

1. Methodus Analoga ſeu perfecta rigidè obſervat legem generalitatis, ita quicumque conſilio in eam peccaverit, non eſt excuſandus.

2. Methodus Analoga tradit rerum definitiones, diſtributiones, earumque conſectaria, quæ in diſciplinis theoreticis vocantur Theoremata, in energeticis Canones ſeu Regulæ.

His addit commentarios explicationis, probationis vel amplificationis cauſâ: In quibus tanta Methodi ſeveritas non requiritur: tam diu autem hunc modum repetit, uſque thematis, ſi habeat, ſpecies abſolverit.

3. Hunc modum & cognitionem perfectam ſpectemus, naturâ enim ſunt notiſſima, etiam cognitu facillima, ut ſi de confuſâ ac imperfectâ loquamur, poſſunt quædam alicui notiora eſſe quæ ſuâ natura ſunt obſcuriora.

4 Omnium

4. Omnium diſciplinarum ſyſtemata debent tradi methodo accuratâ, ideoque in iis nihil debet deeſſe, redundare vel inverti.

5. Lex generalitatis amovet omnem tantologiam, quâ idem ſæpius inculcatur, ſed generalia generaliter, & ſpcialia ſpecialiter tradit.

6. Methodus univerſalis dicitur talis vel ratione unius diſciplinæ; ut, Methodus phyſicæ: vel ratione omnium, ut Methodus Encyclopædiæ Catholicæ. At ut illa à notiſſimis in Phyſicæ: ſic hæc à ſimpliciter notiſſimis debet facere initium. Itaque Encyclopædia debet omniũ primò tradere Metaphyſicam, hæc enim agit de naturâ notiſſimis ac facillimis, ſine quibus ne minima quidem ſpecialis diſciplinæ pars perfectè intelligi poteſt: Quod autem Metaphyſica hodie audiat obſcura, difficilis ac inutilis, tam docentium quam diſcentium confuſioni eſt adſcribendum.

7. Methodus unica eſt ſi ad aureas homogeniæ generalitatis partes attendamus: ſed eſt varia ſi modus applicandi ſpectetur.

8. Methodus ſynthetica habet locum in diſciplinis Theoreticis: hæ enim contemplantur ſubjectum & ejus attributa ex principiis, itaq; in Methodo ſyntheticâ ea ſunt homogenea quæ pertinent ad idem ſubjectum contemplandum.

9. Methodo Analyticâ diſponendæ ſunt diſciplinæ Energeticæ, id eſt practicæ & Poëticæ: harum enim ſcopus eſt bonum aliquod perſonæ vel cœtui alicui certis mediis acquirere: in

hâc igitur Methodo ea ſunt homogenea quæ habent eundem finem.

10. Methodus Anomala non omnem ordinem negligit: Sed quædam homogenea prudenter omittit, vel heterogenea ſuaviter admiſcet: Vel denique ordinem ingenioſè mutat.

Hæc habet locum in oratorio diſſerendi genere, quod non nudàm notitiam, ſed affectum quoque reſpicit.

Ea autem eſt Anomalæ Methodi infinita combinatio.

3. *Fallacia Methodi eſt triplex.*

1. Cùm non Methodus habetur pro Methodo, ut cum illi libri pro Methodicis accipiuntur qui tantum qualicunque connexione res proponunt, licèt priora poſterioribus poſtponant, aliena inferant, ac quædam otioſè ſubinde repetant.

2. Cùm Methodorum modi confunduntur, ut cùm Methodus ſynthetica adhibetur ubi erat adhibenda Analytica, & viciſſim.

3. Cùm Methodorum gradus confunduntur, ut ſi quis affingat Virgilio Methodum perfectam, omnimodè eamque ex Æneide vellet extorquere.

Finis Libri ſecundi.

LO-

LOGICÆ

Liber Tertius.

De praxi Logica.

Caput Primum.

De primo praxeos Logices fundamento.

HActenus fuit Logica generalis, ſequitur ſpecialis.

Logica ſpecialis eſt ſecunda pars Logicæ quæ inſtrumentorum Logicorum uſum ſpecialius explicat.

Uſus ſeu praxis Logica eſt artificioſa inſtrumentorum Logicorum, & terminorum Encyclopædiæ conjunctio.

Praxis Logica conſideratur generaliùs vel ſpecialiùs.

In genere videnda ſunt ejus fundamenta & communes affectiones.

Fun-

Fundamentum praxeos Logicæ primum eſt omnium diſplinarum harmonia, ex quo oriuntur inſtrumentorum Lugicorum notæ, quarum videnda eſt diviſio & collatio.

REGULÆ.

1. *Praxis Logica eſt anima ſtudii Logici.* Cùm Logica ſit ars, adeoque rationis inſtrumentum, facile colligitur quod tota ejus eſſentia conſiſtat in uſu; Uſus enim eſt inſtrumenti adæquatusfinis atque perfectio. Quare illi qui vel ſeipſos vel diſcipulos inſtrumentorum Logicorum ſpeculationi detinent, neque illorum praxin in cæteris diſciplinis oſtendunt, non Logici ſed Alogi ſunt. Qui error quò eſt penitioſior eò eſt frequentior. Sic videas multos qui Octennium Logicæ ſtudio impenderunt, ſeque mirificos Logicæ magiſtros jactant, quos tamen mireris adeò eſſe ignaros, ut nullius magis.

Nos contra firmiter ſtatuimus, eos demum eſſe Logicos, qui facilè ac peritè de rebus diſſerere poſſunt: eos verò ne tyronum quidem Logicorum nomine dignos, qui nihil aliud quàm in infinitum de inſtrumentis Logicis altercari ac garrire didicerunt. Itaque inſtrumenta Logica omnibus noſtris cogitatis, dictis ac factis jugiter applicemus, nam ſtudium

dium Logicum ſine praxi eſt ſtultum, imò moroſum.

2. *Logica ſpecialis præſupponit Logicam generalem.*

Logicæ ſpecialis neceſſitas in primo libro fuit oſtenſa, nimirum quòd ſummum Logicæ miniſterium ſit ejus praxis, quæ cùm ſit difficilis, opus erit certis ac ex bene diſſerentium uſu hauſtis præceptis Hæc à fine Logicæ generali ne intelligi quidem poſſent, nam praxis præſupponit theoriam, nec eo inſtrumento quo caremus uti poſſumus, quare juventus inſtrumentorum Logicorum ideam, id eſt definitiones, diſtributiones & Canones ſibi firmiſſimè imprimat, eaque toto vitæ curſu ad praxin repetat, augeat, ac ſi neceſſe eſt corrigat: quemadmodum in Logica generali generalitatis, ſic in ſpeciali ſpecialitatis dantur gradus.

3. *Harmonia diſciplinarum eſt baſis & clavis praxeos Logicæ.*

Harmonia diſciplinarũ eſt ſuaviſſima illa convenientia, quâ non ſolùm totæ diſciplinæ cum totis, ſed etiam partes cum partibus concordant, quæ quidem tanta eſt ut viri quidam præſtantiſſimi exiſtiment non eſſe diſciplinas plures, ſed unam eſſe diſciplinam, vel potiùs unum eſſe omnium diſciplinarum corpus & ſyſtema

ſyſtema, in variis enim uſus loquitur, quòd hæc ſententia non ſolùm veriſſima, ſed etiam utiliſſima eſt, fieri enim non poteſt ut quis in una ſit ſolidus (ut loquuntur) qui facultates reliquas planè negligat. Sic illi qui Theologiæ dant operam, Juriſprudentiam, Medicinam, & Philoſophiam vel nihil vel parùm ad ſe pertinere putant. Cùm tamen ne ſacra ſcriptura quidem ſine illis rectè intelligi, multò minus rectè applicari queat.

Hinc fit quod plerique pleraque à commentariis turpiter emendicare cogantur, verùm illi qui diſciplinarum immeationem, quam Claſſicorum Authorum analyſis clariſſimè demonſtrat, intelligunt, bene norunt quod nihil vel in mechanicis diſciplinis diſcant quin eo vel in explicatione vel in probatione, vel denique in amplificatione uti queant. Etſi enim omnes diſciplinæ inter ſe conveniant, apertior tamen & illuſtrior eſt harmonia, putà Metaphyſicæ, Grammaticæ, Logicæ, Rhetoricæ ac Symbioticæ, quæ eſt prudentia de ſocietate in genere. Nam Metaphyſica eſt omnium diſciplinarum radix, Gaammatica clavis, Logica judex, & Rhetorica ornatrix.

Primaria igitur praxeos Logicæ regula hæc ſit,

In praxi Logica ſingulos terminos Logicos, cum ſingulis ſingularum diſciplinarum terminis conferri debere.

4. *Nota*

4. *Notæ inſtrumentorum* Logicorum *ſunt explicitæ vel implicitæ.* Notæ inſtrumentorum Logicorum ſunt ſigna eorum affectionem exprimentia: hæc petuntur ab omnibus diſciplinis, ideoque ſunt generalia vel ſpecialia. In generalibus excellunt notæ Grammaticæ, ut, præpoſitiones, conjunctiones, adverbia, & reliquæ partes orationis, inter quas & inſtrumenta Logica ſingularis quidam eſt reſponſus, nam verba ſunt ſigna conceptuum, conceptus autem rerum. Intelliguntur autem non ſolùm ſimplicia vocabula, ſed etiam phraſes & loquendi formulæ quæ in diverſis linguis non rarò variant. Sic aliam vim habet præpoſitio, *ex*, in lingua Græca, aliam in lingua Latina, quæ diverſitas à Logico practico diligentiſſimè eſt obſervanda. Omnia autem hæc ſigna vel ſunt explicita ſeu clariora: vel implicita ſeu obſcuriora.

Explicita ſunt termini qui ſimul ſunt notiones primæ & ſecundæ, ſeu termini Logici & aliarum diſciplinarum: ſic thema, cauſa, effectus, diverſa, adverſa, paria, imparia, propoſitio, diſcurſus, Methodus ſeu ordo, & ſimilia vocabula, tam res ipſas quam inſtrumenta Logica immediatè ſignificant. Ideoque iis occurrentibus praxis Logica eſt facilis.

Signa autem implicita ſunt termini qui tantùm ſunt notiones primæ, ut conſolatio, fons,

fons, fructus, res indiviſibiles, calor, & ſimiles.

Hæc ſi adhibeantur, praxis eſt ingeniſior, nam accuratè eſt attendendum, quænam notiones primæ thema, quæ cauſam, quæ ſyllogiſmum, aliaque inſtrumenta Logica exprimant? Quare altera Logicæ praxeos regula ſit, *Omnes omnium diſciplinarum terminos revoca ad Logicos*, hoc eſt perpende quinam termini, in Theologia, Juriſprudentia, Medicina, Philoſophia ac Mechanica, ſignificent cauſam, quinam effectionem, ſubjectionem, adjunctionem, & ſic deinceps. Hæc regula ſi quòtidie urgeatur, mirificè firmat Judicium Logicum.

5. *Notæ inſtrumentorum Logicorum ſunt Analogæ vol Anomalæ.* Notæ Analogæ ſunt quæ apertiùs Logicæ habitudinem exprimunt: Anomalæ quæ occultiùs: Hæc Anomalia vel eſt exceſſus cùm notæ plures accumulantur: vel defectus cum omittuntur, qui in profundioribus authoribus eſt frequentiſſimus: vel denique inverſio, ubi excellit notarum Enallage, quâ ſigna inter ſe permutantur: Sic prophetia non rarò effertur more hiſtoriæ, mandatum inſtar petitionis, propoſitio efficientis ponitur pro propoſitione materiæ, & viciſſim: hæc tamen Enallage apud ſapientes nunquam caret fundamento & Emphaſi,

phaſi: huc quoque pertinent tropi, & nobiliſſimus ille loquendi modus, quo una diſciplina, alterius diſciplinæ terminis ſe ipſam explicat, uti cùm Metaphyſicus principium expreſſurus, utitur his vocibus, fons, radix, ſemen &c.

6. *Collatio notarum eſt earum inter ſe comparatio.* Hæc comparatio eſt utiliſſima, imò neceſſaria, ejus enim beneficio notæ implicitæ ad explicitas, Anomalæ ad Analogas, facilè reducuntur: Eſt autem hæc collatio homogenea, cùm notæ ejuſdem generis inter ſe conferuntur: vel heterogenea cùm diverſi generis.

CAPUT II.

De tabula prædicamentali in genere.

PRÆCEPTA.

Tabula prædicamentalis eſt omnium terminorum per genera & ſpecies uſque ad individua ſubordinatio.

Tabula prædicamentalis conſideratur in genere vel in ſpecie.

In

In genere videnda eſt ejus fabrica & uſus.

Fabrica conſiſtit in continuata diviſionum generalium & ſpecialium combinatione.

Uſus eſt Analogus vel Anomalus. Ille locum habet in rebus quæ ab intellectu humano omnium perfectiſſimè intelligi poſſunt: hic eſt pleonaſmus rerum ſcilicet complexarum, vel Ellypſis rerum perfectiſſimarum, vel denique Analogicus rerum perfectiſſimarum, vel imperfectiſſimarum: uterque eſt ſimplex vel combinatus.

Regulæ.

1. *Tabulæ Catholicæ conſtituunt nobiliſſimum omnium diſciplinarum alphabetum.* Dicimus eas Catholicas, partim quòd omnibus Logicæ ſtudioſis ſint neceſſariæ. Omnia inquam debent continere, quia omnia illa de quibus mens humana differere poteſt, debent repræſentare. Etſi itaque laudanda ſit illorum diligentia qui eas inchoarunt, ac ſumma quædam capita conſignarunt, tamen hic minimè eſt ſubſiſtendum. Sed danda eſt opera ut omnium diſciplinarum terminos habeamus in promptu, quas tabulas in hoc compendio nec exhibemus nec promittimus, ſed eas docentium diligentiæ committimus. Nam quo quis pleniùs tabulas has poſſidet, eò ſolidiora habet eruditionis ſemina. Sunt enim omnium cogi-

cogitationum inſtructiſſimæ officinæ, cùm omnia de quibus & ex quibus eſt diſſerendum nobis ob oculos ponant. Hinc enim omnia themata, omnia argumenta, omnia axiomata, omnes Syllogiſmi, omnes denique Methodi facillimè inveniuntur. Imò tanta eſt harum tabularum utilitas, ut puer earum artificio cognito, prima diſciplinarum principia haud difficulter invenire queat. Itaque qui bene de ſuis diſcipulis mereri vult, det operam ut ſi non omnium, ſaltem generalium, earumque quas docet diſciplinarum, quàm accuratiſſimas tabulas communicet iis, qui exactam earum ideã ac hypotheſin omninò exprimere queant.

2. *Generalem tabularum fabricam & uſum, explicat Logica ſpecialis.*

Magna eſt inter Philoſophos de prædicamentorum ſede diſputatio, alii enim eam ad Metaphyſicam, alii ad Logicam, quidam ad omnes diſciplinas referunt, ſed non ſolum de prædicamentali, ſed etiam de tabula ſyſtematica eſt inquirendum: Illud conſtat apud acutiores, quod Logica res ipſas ſeu notiones primas nec definire, nec diſtribuere debeat: fieri enim non poteſt, ut hæ tabulæ à ſola Metaphyſicâ tradantur, cùm ad ſpecialiſſima deſcendere debeant. Quare nullum eſt dubium, quin ad omnes diſciplinas pertineant, ita quidem ut earum radices & truncum Metaphyſica, ramos & ſurculos reli-

quæ

quæ diſciplinæ excolant: Hinc tamen non ſequitur, quòd in Logica ſpeciali breviter explanari non debeāt: nemo enim negare poteſt, varia diſciplinarum exempla rectè in Logica afferri; & hæ tabulæ ſunt omnium exemplorum promptuarium: deinde quælibet ars debet ſuum objectum præcognoſcere ſi prudenter ac utiliter illi inſtrumenta applicari debeant: Ergo & Logica, illa ars artium, organum organorum, ſaltem aliquid delibat eorum, circa quæ Logicum ſtudium ad ipſa diſciplinarum ſyſtemata verſatur, ut inde tam argumenta quàm themata petat, nam ex illis quæro: Quomodo iſtæ diſciplinæ ſunt inventæ? Dicent ni fallor, Logicæ beneficio, ergo Logica nobiliſſimo ſuo actu eſt prima diſciplinarum aliarumque cogitationum inventio, minimè ipſas diſciplinas præſupponit. Inveniendum enim in ipſa inventione præſupponi nequit. Eadem eſt ratio ſi inventæ diſciplinæ augendæ & corrigendæ: Sed inquis, quis tabulas invenit? An non & Logica? huic difficultati ſufficit in ſequenti Canone.

3. *Fabrica tabularum vel deſcendit à generaliſſimis ad ſpecialiſſima, vel aſcendit à ſpecialiſſimis ad generaliſſima.*

Prima tabulæ ſtructura eſt: cum toties termini generaliſſimi combinantur, ut illinc oriantur ſpeciales, qui partim cum gradibus, partim cum ſeipſis conjuncti producunt ſpecia-

liſſimos. Hæc itaque eſt Catholica mentis geneſis.

Altera tabulæ ſtructura eſt, cùm termini ſpecialiſſimi ad ſpeciales, hi in generaliſſimos reſolvuntur: hæc eſt quaſi Catholica mentis Analyſis: Illa Platonicis magis arridet, hæc Peripateticis, eſtque certior quia eſt inductio omnium: Itaque tutiſſimum erit utramque conjungere ac generalium fœcunditate inductionis defectum compenſare, inductionis ſeveritate generalium luxuriam corrigere: ut autem harum tabularum origio clariùs cognoſcatur, diſtinguendum eſt inter earum fundamenta, ſeu rudimenta & complementa: itemque inter Logicam naturalem & artificialem.

Tabularum fundamenta ſunt notiones menti à natura inſitæ, juxta Platonicos.

Logica naturalis eſt vis à natura menti inſita.

Artificialis eſt, vis vel uno actu excellentiſſimo, vel plurimis repetitis, addita.

Tres itaque ſunt Logicorum practicorum gradus: primus eſt illorum qui nihil præter naturalia habent, nimirum qui & ipſas tabulas & ipſam artem Logicam invenire debent. Tales fuerunt primi artium inventores, qui ſingulari ingenio, maximas has difficultates ſuperarunt: ſecundus gradus eſt illorum qui artem Logicam acquiſiverunt, ſed tabulis deſtituuntur: hi Logicæ præcepta rerum univerſitati applicant, eaque in certas claſſes diſtribuunt. Ultimum gra-

gradum obtinuerunt illi quibus & tabulæ & inſtrumenta Logica ſuppeditantur. Et tales quidem debebant eſſe veri Logici, ut omnes tabulas accuratiſſimè ſuis diſcipulis proponerent; tum inſtrumenta Logicá ſyncere exhiberent, dextramque eorum ad tabulas applicatorum viam monſtrarent. Quod cùm ob diſciplinarum imperfectionem nondum fieri queat, ſæpius primi gradus difficultas ſubeunda eſt, adeo quæ tabulæ nondum vel planè vel plenè ſunt inventæ, vel ſaltem antè non cognitæ, oportet & ipſum mundum omnium tabularum exemplar, ut Archetypum inſpicias, indeque tabulas colligas, ac amplifices: Atque ex his difficultas ſuperiùs tacta ſolvitur; nimirum ad tabularum rudimenta conſtituenda ſufficere naturalem tabulam, ac in Logica praxi præſupponi non diſtinctam earum cognitionem, ſed ſufficere confuſam, ità enim cum ingenio humano eſt comparatum, ut ſe inſtar ſeminis explicet, ac quaſi multiplicet, ſemperque à cognitione involuta ſeu præcognitione procedat ad evolutam ſeu recognitionem.

Verum de his & ſimilibus Metaphyſica, & ars Catholica debet agere ſubtiliùs ac pleniùs.

4. *Tabularum fallacia eſt triplex.*

1. Eſt earum exceſſus cùm ponuntur ea quæ in rerum narura non occurrunt.

2. Eſt

2. Eſt earum defectus cùm omittuntur ea quæ in rerum natura reperiuntur.

3. Eſt earum confuſio quâ res in alienis locis & claſſibus collocantur: frequentiſſima eſt hic illa confuſio, quâ principia pluribus diſciplinis communia pro ſpecialibus habentur: ut cùm Juriſconſulti pro principiis habent juris, quæ ab ipsâ Metaphyſicâ, omnibuſque diſciplinis proſcribuntur.

5. *Structura tabulæ prædicamentalis nititur omnium terminorum collectione.*

Primò diligentiſſimè ſunt colligendi omnes termini univerſales. Univerſales inquam omnes nam ſi vel unicus terminus univerſalis negligatur, magnam ſpecialia jacturam patiuntur: quò quis terminus eſt univerſalior, eò jactura eſt gravior; ſingulares autem minimè (ſicut hactenus à quibuſdam eſt factum) ſunt contemnendi, ſunt enim ſuperiorum baſes, quare is perfectiores tabulas exhibuerit, qui notatu digniores ſubſtantias, quantitates,& ſic deinceps, ex hiſtoriis collegerit, eaſque ſingulis generibus ſubjecerit. Hoc præſtito de ordinato artificio eſt cogitandum, niſi enim terminorum maximus exercitus ad certa ſigna revocetur, vel nihil, vel parum ad mentis humanæ hoſtes damnatos faciet: Et plenior Calepinus, aliaque Lexica confuſam terminorum congeriem ferè ſuppeditant, eorum autem ordinem

&

& inſtructionem docet collatio, quâ ſingula cum ſingulis conferuntur. Quæ collatio eſt partim conſentanea, partim diſſentanea. Collatio conſentanea eſt quâ duo termini inter ſe tamdiu conferuntur uſquedum tertius, utrique tanquam genus conveniens, inveniatur. Collatio diſſentanea eſt quâ duo termini inter ſe comparantur, ut tertium quoddam dividant, utraque collatio debet ordiri à generaliſſimis.

Sic primus ac generaliſſimus terminus, ens, cum ſeipſo combinatus, ſeipſum reſtringit, modificat ac determinat, aliud tamen eſt ens, aliud eſt tale ens, quod eſt à nullo ente, & ens aliud eſt ſibi, pro ſe, & per ſe, aliud eſt ens, entis, entia. Si ita à primis & ſummis incipiamus, inventaſque diviſiones uſitatis verbis exprimamus, veram omnium terminorum, adeoque diſciplinarum genealogiam inveniemus, quæ certis conſanguinitatis gradibus diſtincta eſt, noſtræ mentis & rerum (ut ita dicam) chaos illuſtrat.

6. *Tabula prædicamentalis debet exhibere non ſolùm entia realia, quæ revera exiſtunt, poſita, ſimplicia, totalia: ſed etiam entia rationis, privativa, compoſita & partialia.* Hæc regula plurimis videtur paradoxa, verùm illis qui plurima de tabulis prædicamentalibus pollicentur, quorum centeſimam partem vix præſtant, apud omnes in con-
feſſo

feſſo eſt, quod prædicamenta debeant repræſentare illa omnia de quibus diſciplinæ agere poſſunt ac debent;& quis inquirat quod omnes artes & multæ prudentiæ circa entia rationis verſentur? Quem fugit omnes diſciplinas practicas eſſe mutilas, niſi privationes, rerumque incongruentias explicent? Quis ergo hoſpes in nobilioribus diſciplinis, quem lateat præcipua ejus objecta formis eſſe compoſitiſſima? Sic Phyſica de mundo, terra, cœlo, mari, montibus, &c. Arithmetica de numeris; Geometria de quantitatibus combinatiſſimis, &c. De partibus non eſt quod memorem egregia foret ſcilicet illa Phyſica quæ nullam mixtorum corporum Anatomiam inſtitueret! quæ omnia cum diſciplinis ſint definienda ac diſtribuenda, non obiter & confusè, ſed ſolidè & diſtinctè exhibendo. Imò & falſa ſeu ficta, futilia, non minus in talibus ſunt removenda, quàm ficta, utilia ſunt recenſenda. Sed inquis monſtra ſunt, hæc omnia parturiunt chaos! nequaquam ſi generales rerum diviſiones præmiſeris, tantum abeſt ut mutuò ſe obſcurent, ut potiùs ſe clariſſimè explicent, probent & amplificent.

7. Ut tabulæ prædicamentalis materia ſic & uſus ſit, univerſaliſſimus:

Non eſt exiſtimandum quòd tantùm ex ea diſputandum ſit, ſed firmiter eſt ſtatuendum

omnes etiam rationis, differendi modos, ut typicos, ænigmaticos, emblematicos, ſimileſque hinc petendos. Itaque rigor ille Logicus, quo ea pro generibus habentur, quæ differentiis ab ipſis realiter diſtinctis reſtringuntur, hic non eſt urgendus: ſed ea omnia pro generibus admittenda quæ convenientiam aliquam habent inter ſe, ſive illa ſit univoca, ſive analoga. Hæc ſive ſit interna, dicitur immediata ſeu attributionis: ſive externa, mediata ſeu proportionis: Ita enim rerum convenientia ac differentia prædicamentis eſt exprimenda, prout à mente noſtra cum fructu percipi ac tractari poteſt. Hinc Keckermanni de quintuplici prædicamentorum doctrina eſt utiliſſima, quam hic ad Methodum noſtram revocamus.

Uſus prædicamentorum Analogus ſeu directus eſt in entibus realibus, poſitivis, per ſe unis, univerſalibus ac completis, hæc enim maximè ſunt proportionalia intellectui noſtro.

Uſus pleonaſticus eſt in rebus compoſitis, nimirum in entibus concretis, collectivis, & propoſitionibus.

Ellipticus verò eſt in partibus, putà individuis, differentiis, ac partibus ſtrictè dictis: Quamvis enim ſingularia ſint completa, tamen quia ob eorum infinitatem non omnia, ob eorũ verò naturã ſpecialiſſimã individuales differentias cognoſcere non poſſumus, hos duos uſus ſolent appellare reductivum, collateralem.

Uſus

Uſus denique Analogicus adhibendus eſt, vel ob rerum perfectionem aut generalitatem, vel ob earundem imperfectionem: Prima cauſa habet locum in divinis & tranſcendatalibus, quæ niſi permittantur tabulæ prædicamentali, planè erit ἐκέφαλος: Secunda in entibus rationis, privationis, ac entibus falſis, quæ à quibuſdam habentur pro veris. Hic uſus dicitur ab aliis Analogicus & per accidens, atque hi ſunt uſus ſimplices, ſed varia eſt eorum combinatio. prout ſcilicet res ipſæ variis modis componuntur: ſic ſunt partes, privationes, entia rationis collectiva, partialia, ficta, & ſingularia, atque ſi tabula prædicamentalis ita conſtituatur ac uſurpetur, revera erit univerſi orbis artificiſſima pictura, naturæ judex certiſſimus, inexhauſtus omnis cogitationis theſaurus, omnis intelligentiæ magiſtra, præſentiſſima memoriæ panacea.

CAPUT III.

De prædicamento ſubſtantiæ.

PRÆCEPTA.

TAbula prædicamentalis eſt ſubſtantialis vel accidentalis.

Tabula ſubſtantialis, eſt omnium terminorum ſubſtantiarum per genera & ſpecies uſque ad individua ſubordinatio.

Subſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens.

Ea dividitur vel generaliter vel ſpecialiter.

Generaliter ſubſtantia eſt univerſalis vel ſingularis.

Subſtantia univerſalis eſt ſubſtantia multiplicabilis, dicitur etiam ſubſtantia ſecunda, ut homo, animal.

Subſtantia ſingularis eſt ſubſtantia non multiplicabilis, ſeu quæ multiplicari nequit, ut divina eſſentia, Abrahamus, anima Moſis dicitur etiam ſubſtantia prima.

Subſtantia ſingularis eſt ſuppoſitum, vel non ſuppoſitum.

Suppoſitum eſt ſubſtantia ſingularis, conſtitutivè incommunicabilis, ut Deus Pater, Moſes, Petrus, Bucephalus.

Eſtque ſuppoſitum ſtrictè dictum vel perſona.

Suppoſitum ſtrictè dictum eſt ſuppoſitum non intelligens, ut, cœlum, hic Leo.

Perſona eſt ſuppoſitum intelligens, ut Spiritus Sanctus Angelus, Gabriel. Subſtantia non ſuppoſitum eſt ſubſtantia ſingularis conſtitutivè communicabilis, ut divina eſſentia, humana Chriſti natura, manus Moſis, Anima Lazari.

In ſpecie ſubſtantia eſt finita vel infinita.

Sub-

Subſtantia infinita eſt Deus.

Subſtantia finita eſt ſpiritualis vel corporea.

Subſtantia ſpiritualis eſt Angelus vel anima rationalis à corpore ſeparata.

Angelus eſt bonus, ut Gabriel: malus ut Beelzebut.

Subſtantia corporea eſt ſubſtantia diviſibilis.

Eſtque incompleta, ut materia & forma: vel completa quæ dicitur corpus.

Corpus eſt ſimplex vel mixtum,

Simplex eſt alienum à mixtione, ſeu quod ex diverſis corporibus non conſtat.

Eſtque Æthereum, vel ordinatum ad mixtionem.

Illud corpus æthereum eſt diffuſum, ut orbis cœleſtis, vel conglobatum, ut ſtella: hoc ordinatum ad mixtionem, ut Elementum.

Stella eſt Analoga vel Anomala.

Analoga eſt fixa vel planeta: fixæ ſunt duodecim ſigna zodiaci juxta hos verſus.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.
Libraque Scorpius, arci tenens, Caper, Amphora, Piſces.

Planetæ verò ſeptem his uncialibus literis implexi.

Poſt S I N SVM ſequitur poſtera Luna *ſubeſt.*

Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.

Stella Anomala ſtrictè dicta vel Cometa.

Strictè dicta eſt fixa, ut ſtella nova, in vul-

ture vel Planeta, ut quatuor ſydera Zodiaca.

Elementum eſt leve vel grave.

Leve eſt ignis vel aër: grave aqua & terra.

Corpus mixtum eſt perfectè vel imperfectè mixtum.

Imperfectè mixtum eſt, imcompletum vel completum.

Incompletum eſt fumus & vapor. Completum dicitur meteorum.

Meteorum eſt reale vel apparens.

Meteorum reale eſt igneum, aëreum vel aqueum.

Igneum eſt infimæ, mediæ vel ſupremæ aëris regionis.

Meteorum igneum infimæ regionis eſt terreſtre, ut ignis fatuus; vel aqueum, ut Caſtor, Pollux. Helena.

Meteorum igneum mediæ regionis eſt diſſipatum, ut Draco volans: vel conglobatum ſeu incluſum, ut ſtella cadens, fulmen.

Meteora ignea ſupremæ regionis ſunt faces vel Cometæ Elementares.

Fax latè ſumpta eſt continua vel diſcreta.

Continua æquabiliter vel inæquabiliter mixta.

Æquabiliter mixta eſt tenuior, ſagitta volans; vel craſſior, æqua perpendicularis columna; vel obliqua, trabs.

Inæquabiliter mixta vel partibus ſuperioribus, latior fax ſtrictè dicta; vel inferioribus ut Pyramis.

Me

Meteorum aëreum, eſt Ventus vel terræmotus.

Ventus eſt procelloſus vel non procelloſus.

Ventus procelloſus eſt Anophias, Typhon & Preſter.

Non procelloſus eſt vagus vel ſtatus.

Terræ motus eſt pulſus, tremor, vel inclinatio.

Meteora aquea ſunt infimæ vel mediæ regionis.

Infima ſunt informia, nebula, & pruina.

Formata ſunt ros, & fila beatæ Virginis.

Mediæ regionis ſunt informia, ut crepuſculum, vel formata quæ non ſolùm lucem, ſed etiam figuram repræſentant.

Repræſentant autem vel illuminati vel illuminantis figuras: Illæ ſunt figuræ incertæ, ut Chaſmata & Phaſmata; vel certæ, ut virgæ. Quæ illuminantis figuram repræſentant exprimunt eam vel imperfectiùs, ut halo & Iris, vel perfectiùs, ut Parelius, Paraſelene.

Corpus perfectè mixtum eſt animatum vel inanimatum.

Inanimatum dicitur minerale, quod eſt primum vel ortum.

Primum eſt perfectius vel imperfectius.

Imperfectius eſt terra vel ſucci minerales.

Terræ mineralis varia ſunt genera, ut Argilla, terra ſigillata, terra armeniæ, ochra, gypſum &c. Succi minerales ſunt vel ſali vel ſulphuri viciniores. Sa-

Sales ſunt, ſal vulgaris, alumen, vitriolum, auripigmentum, antimonium,

Sulphuris genus eſt bi tumen, idque ſpiſſum aſphaltus, biſaphaltus, ſuccinum, vel liquidum ut naphtha & ambra Arabica.

Minerale perfectum eſt metallum vel lapis.

Metallum eſt inchoatum, argentum vivum, vel abſolutum, idque purum vel impurum.

Purum eſt molle aurum aut durum argentum.

Metallum impurum eſt molle, plumbum, nigrum & candidum ſeu ſtannum: vel durum ut æs, ferrum.

Lapis eſt vulgaris vel rarus.

Vulgaris eſt ſolidus vel poroſus: ſolidus eſt petra vel ſaxum, ſilex, glarea & ſabulum poroſus eſt tophus vel pumex.

Lapis rarus eſt minus pretioſus, iſque marmor, vel gemma.

Gemma eſt nobilior vel ignobilior: nobilior eſt multiplex, pyropus, Adamas, Smaragdus, Saphyrus,

Gemma ignobilior eſt Coralium, Chryſtallus, Helenites, Hæmatitis, &c.

Mineralium ſuccorum maxima eſt varietas, ſunt enim compoſita & quidem ex homogeneis.

Corpus animatum eſt planta vel animal.

Planta eſt Analoga vel Anomala.

Analoga eſt major quæ caudicem habet, vel minor quæ caulem: major eſt arbor vel frutex.

Minor

Minor eſt ſuffrutex vel herba.

Planta anomala eſt imperfecta, ut muſcus, tuber, fungus; vel Zoophytum.

Animal eſt rationale vel irrationale.

REGULÆ.

1. N*otio ſubſtantiæ eſt duplex, nam ſubſtantia dicitur vel à ſubſiſtendo, vel à ſubſtando, quòd ſubſtet accidentibus:* Illo modo competit Deo & creaturis: hoc modo omnibus ſubſtantiis creatis.

2. *Per ſe ſubſiſtere accipitur generaliùs vel ſpecialius.*

Generalius accipitur tum cùm opponitur τῷ non inhærere, ſic omnis ſubſtantia ſubſiſtit per ſe ſpecialius cùm ſumitur pro incommunicabiliter ſubſiſtere, id eſt ità ſubſiſtere, ut ab alio ente intrinſecè ac ſubſtantialiter non compleatur ſeu complectivè terminetur: hâc ratione ſubſiſtere ſoli ſuppoſito convenit.

3. *Accuratè diſtinguendum eſt inter ſubſtantiam ſingularem & ſuppoſitum:* qui hæc duo confundunt non ſolùm in Theologica principia impingunt turpiter, ſed etiam in Phyſica; quis enim non videt quod manus, pedes, omneſque partes ſubſtantiales ſint ſingulares? quamvis non ſint ſuppoſita.

Suppoſitalitas eſt modus in ſubſtantia ſingulari diſtinctus, ita ut ſalvâ ſuâ eſſentiâ eam amittere vel acquirere queat: Sic ſurculus in arbore non eſt ſuppoſitum, abſciſſus eſt ſuppoſitum, trunco inſitus deſinit eſſe ſuppoſitum.

4 *Nec à ſubſtantia ſingulari, nec à ſuppoſito omnis communicabilitas eſt removenda*: nam ſi ſingularia omni modo incommunicabilia eſſent, nulla daretur in rerum natura, realis communicatio, cùm ſola ſingularia exiſtant: ſingulari autem repugnat communicabilitas generica & ſpecifica, id eſt, uno verbo, multiplicabilitas.

Suppoſito autem non ſolùm multiplicabilitas, ſed etiam completior terminalitas repugnat, hoc eſt, repugnat ſuppoſito ut ab alio in ultimo ſuo ſubſtantiali ſtatu conſtituatur; conſtituatur inquam, non verò conſtituat; poteſt enim ſuppoſitum ſubſtantiam incompletam ultimò terminare, licèt non poſſit terminari: ſic etſi ſurculus terminet truncum non tamen à trunco terminatur ipſe. Sic ſecunda perſona Divina, etſi humanam naturam hypoſtaticè aſſumat, manet tamen & eſt perſona, quia ab illa non terminatur, nec completur, ſed eam terminat, nihil ab ea accipit, ſed tantùm eam perficit.

Itaque *conſtitutivè communicari* in definitione ſuppoſiti accipimus pro ita communicari, ut com-

compoſitum & tanquam pars ingrediatur, & hâc ipſa unione perficiatur.

5. *Subſtantia non recipit magis & minùs*: item ſubſtantia ſingularis nec magis nec minùs eſt ſubſtantia, ſive conferatur cum ſe ipſa in diverſis ſtatibus, accidentibus, ſive conferatur cum aliis ejuſdem ſpeciei.

6. *Subſtantia non contrariatur ſubſtantiæ*: hæc regula eſt intelligenda cum grano ſalis: non ſubſtantia conſideratur in ſe, vel veſtita accidentibus: proinde contrarietas alia eſt formalis, alia eſt effectiva ſeu expulſiva; illa convenit etiam ſubſtantiæ per ſe ſpectatæ: ſic eſſentia hominis eſt ἀσύςατον cum eſſentia bruti: hæc convenit ſubſtantiæ ratione accidentium.

7. *Tabulæ ſubſtantiarum inventio eſt omnium difficilima, ſi nimirum ſit invenienda à priori*: Nam intrinſecæ ac adæquatæ ſubſtantiarum differentiæ nos fermè latent, itaque proprietatibus ac proximis effectis ſunt repræſentandæ. In corporum diviſione quoque utiliſſimè attenditur ad partes: itaque tabulam ſubſtantialem fabricaturus, tranſcendentales terminos ac ſubſtantiarum proprietates & effectus ac partes percurrere, eaque inter ſe conferre debes donec inde aliquam differentiam ortam invenias.

CAP.

Caput IV.

De Prædicamento quantitatis.

Præcepta.

SEquitur tabula accidentium quæ eſt omnium accidentium, per genera & ſpecies uſque ad individua ſubordinatio.

Accidens eſt ens ſubſtantiæ inhærens: inhærere eſt ſubſtantiam extraſubſtantialiter modificare ſeu afficere. Accidens in genere eſt Analogum ſeu Anomalum, vel Univocum.

Accidens analogum eſt quod inſtar accidentis à mente humana accipitur, ſeu eſt quaſi accidens: talia acc identia ſunt modi tranſcendentales, hinc eſt quantitas, qualitas, relatio, actio, paſſio, tranſcendens, huc quoque attributa Dei pertinent.

Accidens univocum eſt quod revera eſt tale: Eſtque abſolutum vel cum reſpectu.

Accidens abſolutum eſt independens à termino, ſeu à mutuo reſpectu.

Eſtqu e quantitas vel qualitas.

Prædicamentum quantitatis eſt omnium quantitatum per genera & ſpecies uſque ad individua ſubordinatio, quantitas eſt accidens abſolutum, quo ens eſt diviſibile in partes.

Eſtque continua vel disjuncta, illa dicitur magnitudo, hæc numerus. Ma-

Magnitudo eſt quantitas cujus partes communi termino continentur.

Magnitudo eſt linea vel lineatum.

Linea eſt ſimplex vel mixta: ſimplex eſt recta vel curva.

Curva eſt peripheria vel Helix.

Lineatum eſt incompletum, angulus: Vel completum, figura.

Angulus eſt ſimplex vel mixtus.

Simplex eſt rectilineus vel curvilineus: rectilineus eſt rectus vel oblongus, hic obtuſus vel acutus.

Figura eſt ſuperficies vel corpus.

Superficies eſt plana vel gibba.

Plana eſt rectilineum vel curvilineum.

Rectilineum eſt triangulum vel tetrangulum, triangulum eſt rectangulum vel obliquangulum, hoc obtuſangulum vel acutangulum.

Tetrangulum eſt quadrangulum vel multangulum.

Quadrangulum eſt parallelogrammum vel trapezium, illud eſt rectangulum vel obliquangulum, Rhombus, Rhomboides.

Multangulum eſt quinquangulum, ſexangulum, ſeptangulum, & ſic deinceps.

Planum Curvilineum eſt circulus vel circuli ſegmentum, hoc eſt, ſector vel ſectio.

Superficies gibba eſt ſphærica vel plana quod eſt coniceum vel Cylindriceum.

Cor-

Corpus eſt planum vel gibbum, i.e. longitudo, profunditas, corpus.

Planum eſt pyramis vel pyramidatum: hoc eſt priſma vel prolihedrum mixtum.

Priſma eſt pentahedrum, vel ex pentahedris compoſitum, quod hexahedrum vel polihædrum.

Hexahedrum eſt parallelypedum, vel tarpezium, illud eſt cubus vel oblongum.

Mixtum eſt polyhedrum ordinatum vel inordinatum: ordinatum eſt trianguli vel quinquanguli baſis: illud eſt octohedrum, hoc dodecahedrum.

Corpus gibbum eſt ſphæra vel varium, quod eſt conus vel Cylindrus.

Numerus eſt quantitas, cujus partes communi termino non continentur. Numeri diviſiones exhauriri nequeunt, quia poſſunt multiplicari in infinitum: In genere tamen dividitur, quòd ſit integer vel fractus: Utiliſſima autem eſt diviſio ſi numeri diſtribuantùr juxta ſubjecta excellentiora. Sìc poteſt conſtitui tabula unitatis, binarii, ternarii, & reliquorum numerorum, hæc enim naturæ harmoniam egregiè ob oculos ponit.

REGULÆ.

1. *Accidentis eſſe eſt ineſſe, unicus enim, ut loquuntur, effectus formalis afficit ſubſtantiam.*

Itaque

Itaque fruſtra planè eſſet in rerum natura, niſi inhæreret: quòd autem quidam inhærentiam diſtribuant in aptitudinalem & actualem nihil ipſorum opinionem noſtræ ſententiæ contrariam juvat, abſurdè enim aptitudinalis inhærentia affingitur accidenti exiſtenti: ſed ſi hæc diſtinctio locum invenire debeat, aptitudinalis inhærentia accidenti in potentia, actualis actu exiſtenti debetur.

2. *Tabula ſubſtantialis eſt baſis tabularum accidentalium.*

Nam ſubſtantia eſt fundamentum: Itaque commodiſſimè juxta ordinem ſubſtantiarum dividerentur accidentia.

In plenâ igitur accidentalium ſtructurâ, ſic poſſet procedi. Accidens eſt abſolutum vel reſpectivum: Abſolutum eſt communius, quod omni creaturæ convenit, ut qualitas: vel ſpecialius, quod tantùm corporeæ, ut quantitas: Similiter poſſet dividi accidens reſpectivum, verùm nos malumus vulgarem ordinem hac vice ſequi, quia plenam harum ſtructuram compendium non capit.

De quantitate ſunt hi Canones.

1. Quantitati nulla eſt efficacia ſcilicet ſi agatur de re producenti actionem tranſeuntem, non verò immanentem, hâc enim ratione, omne ens eſt efficax: deinde ſi quantitas ſola & per ſe con-

conſideretur, non verò ſi una cum ſubjecto aliiſque accidentibus.

2. Quantitati nihil eſt contrarium, ſcilicet effectivè, licèt formaliter detur contrarium.

3. Quantitas non recipit magis & minus, recipit extenſionem non verò intenſionem.

4. Ratione quantitatis res dicuntur æquales vel inæquales, ſed hæc competit non ſolùm quantitati prædicamentali, ſed etiam tranſcendentali.

CAPUT V.

De prædicamento qualitatis

PRÆCEPTA.

Prædicamentum qualitatis eſt omnium qualitatum per genera & ſpecies uſque ad individua ſubordinatio.

Qualitas eſt accidens abſolutum, quo ſubſtantia creata ordinatur ad unionem, ſeu eſt accidentalis ad unionem aptitudo, unire idem quod præparare ſe ad actionem.

Qualitatis vulgò ſpecies conſtituuntur quatuor, nimirum habitus, & diſpoſitio; potentia naturalis & impotentia, paſſio & patibilis qualitas, forma & figura, quæ doctrina ſic poteſt diſponi.

Qua-

Qualitas eſt potentialis vel actualis.

Potentialis eſt inſita vel addita: illa dicitur κατ' ἐξοχὴν potentia: hæc habitus.

Potentia eſt qualitas ſeu vis ex ſubſtantiæ natura emanens, ut, intellectus, voluntas, ſenſus.

Potentia in genere eſt activa: vel paſſiva: Illa ſcholaſticè vocatur communicativitas, ſeu activitas. Hæc receptivitas ſeu aptitudo paſſiva.

Species potentiarum ſeu virium inſitarum inveniuntur, ſi juxta ſubſtantias dividuntur, ut quod ſit communis omni creaturæ, vel certis quibuſdam propria.

Propria ſpiritualis vel corporalis: ſpirituales Angeli & animæ ſeparatæ, & ſic porrò.

Habitus eſt vis activa intelligentis facultati addita: In brutis tantùm ſunt quidam quaſi habitus, ſeu analogicè qui ſunt haud obſcuræ eorum umbræ.

Habitus diviſiones ſunt communes vel ſpeciales.

Communiter dividitur habitus quod ſit 1. Partialis ſeu ſimplex: habitus unius concluſionis: vel totalis ſeu complexus ut Philoſophia. 2. Eſt naturalis ut Grammatica vel ſupernaturalis, iſque ordinarius, ut fides, ſpes, charitas: Vel extraordinarius, ut donum prophetiæ. 3. Eſt diſpoſitio, vel habitus ſtrictè dictus.

Diſ-

Diſpoſitio eſt vis activa intelligentis facultati non adeò firmiter addita: huc reducuntur ſpecies intentionales, ſenſiles & intelligibiles, & impreſſiones tranſcendentes.

Habitus ſtrictè dictus eſt vis activa permanens facultati addita.

Habitus eſt Angelicus vel humanus, nos humanum proſequimur.

Habitus humanus eſt intellectualis vel moralis. Intellectualis eſt qui intellectum in cognitionem inclinat. Eſtque verus vel falſus.

Verus eſt neceſſarius ut diſciplina: vel contingens ut opinio, ſuſpicio: falſus eſt error.

Habitus intellectualis neceſſarius eſt primitivus vel derivativus.

Primitivus eſt qui intellectum principiis congruè unit: & dividitur in intelligentiam, ſynteresin, & intellectum organicum.

Intelligentia eſt habitus principiorum veritatis, ut ſi aſſentiamur huic principio, totum eſt majus ſua parte.

Synteresis eſt habitus principiorum honeſtatis: tale principium eſt, totum debet eſſe majus ſua parte.

Intellectus organicus, eſt habitus principiorum artificialium: tale eſt, totum poteſt eſſe majus ſua parte.

Habitus derivativus eſt qui intellectum congruè unit concluſionibus, qui ſi ſit complexus ſeu totalis, dicitur diſciplina, juxta quam ha-

Diſ-

bitus partiales haud incommodè dividuntur.

Diſciplina eſt habitus intellectualis congruè complexus: Eſtque ſimplex vel combinata,

Simplex eſt quæ ex aliis ſpecie diverſis diſciplinis, non eſt compoſita.

Eſtque liberalis vel illiberalis.

Liberalis eſt naturalis vel ſupernaturalis.

Naturalis eſt primitiva vel derivativa: Illa vocatur Philoſophia.

Philoſophia eſt diſciplina naturalis quæ reliquarum omnium diſciplinarum principia tradit, ſeu quæ humanarum facultatum propenſionem inclinat.

Eſtque theoretica vel Energetica, Illa eſt quæ in comtemplatione veritatis intellectum perficit.

Eſtque Generalis, ut Metaphyſica: vel ſpecialis.

Illa eſt ſapientia, quæ eſt habitus ex intelligentia & ſcientia mixtus: Hæc ſcientia, quæ eſt habitus demonſtrativus.

Diſciplina theoretica ſpecialis agit de ſubſtantia & accidente.

De ſubſtantia vel ſpirituali: Pnematica: vel corporea, ut Phyſica.

De accidente agit Mathematica.

Mathematica eſt generalis ſeu abſtracta, ut Arithmetica & Geometria: vel ſpecialis ſeu concreta quæ agit de quantitate combinata: quæ combinatur vel cum ſubſtantia, ſphærica; vel cum accidente. Sphæ-

Sphærica eſt generalis, Coſmologia, vel ſpecialis Aſtronomia, Geographia.

Quantitas cum accidentibus combinata eſt cùm accidente ſimplici vel mixto.

Accidens ſimplex eſt communius, pondus, unde Iſorrhapica: vel ſpecialius, de quo Optica, & Muſica.

De Accidente mixto imprimis de figurâ agit Architectonica.

Philoſophia Energetica eſt quæ veritatem Philoſophicam exequitur, ſeu quæ veritatem cognitam Philoſophicè producit.

Eſtque practica vel poëtica.

Practica eſt quæ producit actionem Philoſophicam honeſtam, dicitur prudentia, quæ eſt habitus activus cum ratione, ſeu eſt habitus concluſionum honeſtatis.

Prudentia eſt Communis vel ſpecialis.

Communnis eſt hiſtoria vel ethica.

Hiſtoria eſt prudentia honeſtatis confuſa, ſeu quæ honeſtatem exemplis ſingularibus docet.

Ethica eſt prudentia quæ principia univerſalia tradit de honeſtate.

Prudentia ſpecialis eſt ſymbiotica, quæ eſt Oeconomia, Politica, ſcholaſtica.

Philoſophia poëtica eſt quæ producit actionem Philoſophicè artificioſam, vocaturq; ars.

Ars eſt habitus effectivus ſeu concluſionum artificialium.

Eſtque

Eſtque Logica vel Mnemonica.

Logica eſt pura vel mixta.

Pura eſt Orationis vel rationis. Orationis eſt prima, nempe Lexica; vel Secunda, Grammatica, Rhetorica.

Ars pura rationis eſt Logica.

Ars Logica mixta, eſt Oratoria, Poetica, vel Semantica quæ eſt ars ingenioſè ſenſa animæ ſignificandi.

Eſtque Polygraphia vel Steganographia.

Mnemonica eſt ars memoriæ ſeu bene recordandi.

Diſciplina naturalis derivativa eſt Medicina vel Juriſprudentia.

Medicina eſt ars ſanitatis: Juriſprudentia eſt ars æquitatis.

Diſciplina ſupernaturalis eſt Theologia.

Theologia eſt diſciplina divina ſalutifera, ſeu quæ hominem deducit ad ſummam perfectionem, ſcilicet vitam æternam.

Diſciplina illiberalis ſeu mechanica eſt quæ externum hominis ſtatum, ac corporeas facultates proximè perficit.

In ſpeciali diviſione artium mechanicarum, magna eſt vocum penuria, quia ſubalterna genera nondum ſunt ſatis acquiſita.

Ars mechanica reſpicit hominis generationem, ut ars obſtetricum: vel ut ipſi bene ſit & commodè, hæc autē eſt primitiva, vel derivativa.

Primitiva verſatur circa hominem vivum & mortuum. Quæ

Quæ circa hominem vivum verſatur reſpicit ejus actum, vel ſtatum: quæ ſtatum reſpicit, facultates hominis conſervat.

Eſtque communis vel ſpecialis.

Communis eſt quæ aliis neceſſaria ſuggerit.

Ea eſt vel productiva vel motiva.

Productiva eſt acquiſitrix quæ materiam procurat: vel organica quæ inſtrumenta fabricat.

Acquiſitrix acquirit animata vel inanimata. Illa acquirit plantas; Agricultura, quò pertinent hortulani, herbarii, meſſores, trituratores, vinitores.

Vel animalia, quæ eſt paſtoritia vel venatoria. In ſpecie, Aucupium, vel Piſcatura.

Inanimata acquirens, quærit vel in terris vel in aquis. In terris eſt lateraria vèl organica,

Lateraria quò referendi Gemmarii. Metallici, ſalis curatores, calcearii, ſimileſque.

Organica eſt figulina vel fabrilis: Illa eſt quæ res disjunctas conjungit, iiſque duritiem & formam imprimit, ut ars figulina, formaria, vitrearia.

Fabrilis eſt quæ rebus duris ac conjunctis externam tantùm formam imprimit, ea eſt metallica vel Botanica.

Metallica liquat vel malleat: illa dicitur fuſoria, hæc ſtrictè fabrilis, huc pertinent aurifabri, tormentorum fuſores,.

Organica Botanica eſt quæ ex plantis inſtrumenta conficit, ea verſatur circa materiam inflexi-

flexibilem ,'ut tornatorum : Vel flexibilem eamque totam , ut ars ærariorum , artificum corbium : Vel eju, partes , ut reſtionum ars, & fila ducentium ſeu nentium.

Ars motiva agit immediatè , ut bajuli : vel mediatè , idque vel tantùm amovendo , ut foſſores , omnes generaliter purgantes : vel promovendo : idque mediantibus animatis , Aurigæ , Veredarii : Vel inamimatis ſeu machinis, idque in terra, ut , Throchlearii : vel in aqua, ut Nauta.

Ars Mechanica conſervativa ſpecialis eſt quæ neceſſariis ac communi procuratis ſpeciali fine utitur : Ea vel homini addit congrua , Alimentaria : vel removet incongrua.

Alimentaria eſt communis quæ materiam præparat : vel ſpecialis quæ alimenta parat , Coquinaria.

Præparans vel procurat, Condimentaria, vel purgat & parat plantas , ut molendinaria, cribratoria : vel animalia, ut ars Lanionum.

Coquinaria parat cibos , piſtoria , coquinaria ſtrictè dicta : vel potum.

Ars mechanica quæ incongrua removet , vel cavet futura , parando obſtacula , contra incommoda naturalia ; Tectrix : vel , Armatrix.

Tectrix parat tegumenta vel Ædificia. Tegumenta ſunt certa obſtacula humano corpori applicabilia.

Ars circa ea occupata eſt generalis vel ſpecialis.

Ge-

Generalis vel materiam procurat, ut lanaria: ſericaria: Vel purgat, ut ars carminatorum, fullonum, Coriariorum, Pellionum: vel complicat & componit, ut textorum, fibulariorum: vel denique ornat, ut ars tinctorum, Polymitariorum.

Specialis conficit veſtimenta vel ſtragula.

Veſtimenta ſunt tegumenta corporis figuræ accommodata, quæ ſunt inferiora, ut calcei: Media, veſtes ſtrictè dictæ, ſartoria; vel ſuperiora ut Pilei.

Ars ſtragula conficiens, tapetariorum, Lodicum: lectorum.

Ars ædificatrix vel eſt principalis quæ toti ædificio præeſt.

Architectonica Mechanica: vel minus principalis quæ vel neceſſaria præparat, ut Ars conciendi aſſeres: vel circa partes ædificii verſatur, eaſque vel conficit, ut ars Murariorum, Tectorum vel purgat ut artes ſolidæ: vel ornat ornamentis ſeparabilibus, ut ars ſculptorum, gypſariorum: Ars tentoriorum videtur intermedia inter tegmen & ædificia.

Ars armatrix eſt quæ parat arma quæ ſunt offenſiva, defenſiva vel mixta: huc pertinet ars tormentaria, armamentaria, clypeorum, gladiorum, ſclopetariorum, haſtariorum, pulverariorum.

Ars Mechanica quæ præſentia incommoda tollit, id facit vel ſordes purgando, Balneatorum,

rum, tonſorum: vel Medicamenta tractando, ut ars Apothecaria: vel applicando Chirurgica.

Hactenus de artibus Mechanicis quæ hominis ſtatum conſervant: ſequuntur ea quæ ejus actum immediatè promovent, quæ repiciunt motum vel ſenſum.

Motum vel mediatum vel immediatum.

Motus immediatus eſt totius corporis, ut gymnaſtica, vel partium, ut ars gladiatoria, honeſta ſaltatoria.

Motum hominis mediatum dirigit ars equitandi, cui inſervit ars fræna & ephippia conficiendi.

Artes Mechanicæ quæ circa hominis ſenſum verſantur ſunt ſimantica & ſignificationi inſerviunt.

Eſtque communis quæ pluribus ſenſibus inſervit, ut ars Nuntiorum ſeu Tabellariorum: Vel ſpecialis quæ uni ſenſui inſervit: Quæ inſervit viſui vel præparat inſtrumenta, ut ſpecularia, libraria, cui inſervit chartaria membranacea, Typographica, Compactoria: vel viſum oblectat, ut ſcenica: quæ auditui inſervit vel inſtrumenta apparat, ut Ars campanarum: vel iis utitur ſignificando, ut Ars tympaniſtarum: vel oblectando, ut omnis ars Muſicis inſtrumentis utens: Odaratui inſerviunt unguentarii: Quæ Guſtui, Tactui præter ſuperiores inſerviunt fermè ſunt inhoneſtæ.

Ars Mechanica quæ verſatur circa hominem

mortuum vel deducit hominem ad mortem, ut ars carnificum. vel mortuum curat, idque balſamando, ſepeliendo, lamentando, ubi ars veſpillonum.

Ars Mechanica derivativa eſt quæ primitivam præſupponit: Eſtque acquiſitrix mercaturæ.

Vel Uſurpatrix quæ ſunt combinatæ, cæque in vita communi frequentiſſimæ.

Hucuſque de habitu intellectuali, ſequitur moralis, ſeu virtus ſtrictè dicta, quæ eſt habitus cum recta ratione activus.

Eſtque univerſalis vel ſpecialis.

Univerſalis eſt prudentia vel juſtitia univerſalis.

Specialis eſt pietas vel probitas, quæ eſt vel amor ſui vel proximi: Ille eſt virtus quâ homo ſe ſuaque congruè diligit.

Amor ſui reſpicit hominis conſervationem, operationem vel conditionem ſeu ſtatum.

Conſervationem internam reſpicit temperantia: externam, moderatrix opum.

Temperantia eſt vel ſtrictè dicta, vel Caſtitas.

Temperantia ſtrictè dicta eſt quæ individui conſervationem præcipit.

Eſtque Frugalitas vel Vigilantia.

Frugalitas eſt abſtinentia vel ſobrietas.

Moderatrix opum eſt αὐταρκεία.

Virtus quæ immediatè reſpicit hominis operationem: Eſt vel ſedulitas vel fortitudo: Sta-

tum

tum hominis reſpicit modeſtia: amor proximi reſpicit unionem vel conſervationem. Communicationem debitam reſpicit juſtitia particularis, indebitam benevolentia quæ eſt officioſitas, liberalitas. Virtus gubernans conſervationem eſt generalis verecundia; vel ſpecialis quæ reſpicit corporis diſpoſitionem, gravitas vel civilitas: vel animi repræſentationem quæ dirigit ſermonis prolationem, taciturnitas: vel modificationum, veracitas & urbanitas: hic nota quòd tam intellectuales quam morales habitus ſubdividat generali diviſio habitus in naturalem vel ſupernaturalem.

Qualitas actualis eſt qualitas patibilis & figura. Illa eſt quæ paſſionem efficit in ſenſibus adeoque corporibus eſt propria, & juxta ipſorum ſeriem rectè traditur: Eſt autem ſimplex vel combinata: Itaque juxta corporum ac magnitudinum ordinem commodiſſimè traditur.

REGULÆ.

1. *Qualitas eſt primum & nobiliſſimum accidens abſolutum.*

Eſt primum, quia generaliſſimum: omnibus enim creaturis competit: quantitas autem ſolis corporibus. Eſt nobiliſſimum, quia eſt fons omnium fermè operationum creaturarum: Qualitates enim ſunt organa, arma, ornamenta ſubſtantiarum creatarum: ob hanc

ſuam generalitatem difficulter definitur qualitas: Si tamen inductionem & prima principia conſulamus, deprehendemus quod ſit potentia ad unionem, ſeu unitivitas & ùnibilitas, communicativitas & receptivitas: Unio autem hîc ſumitur generaliſſimè pro quorumque ordine ſeu habitudine.

2. *Qualitates ſunt ſimplices vel combinatæ*: ſic habitus, potentia, patibilis qualitas & figura eſt ſimplex vel combinata. Imprimis hæc combinatio eſt attendenda in corporibus: nam ex ejus ignoratione ortæ ſunt qualitates occultæ. Quamdiu enim homines ſunt perſuaſi iſtos rariores effectus oriri ex quâdam indiviſibili: ac neſcio quâ ſpecifica vi, tamdiu imò pleræque naturæ vires eos latebunt. Etſi omnium rerum anatomen inſtituerent ac perpenderent in corporum compoſitione eſſe plurimos gradus, ità ut non tam immediatè ex elementis, ſed ſæpius ex vigeſima materia ſecundæ conflentur, ſaltem aliquid inveniretur quod Phyſicam à futili garrulitate liberaret, nos tamen habitus hîc perſecuti ſumus, quòd eorum uſus in ſequentibus ſit magis neceſſarius.

De Qualitate ſunt hi Canones.

1. Solarum qualitatum ſunt contrarietates, nimirum ſi intelligatur tantùm contrarietas effecti-

effectiva, non verò formalis: Si verò hæc tantùm intelligatur, non competit omni qualitati, nam nec ſpeciebus intentionalibus nec figuræ convenit.

2. Qualitas recipit magis & minùs.

Neque hoc eſt κατὰ παντὸς, fruſtra enim immediatis potentiis naturalibus & figuris fingitur intenſio. Eſt autem intenſio, intrinſeca partium additio. Unde firmior qualitatis cum ſubjecto oritur unio, ſeu meliùs loquendo, radicatio: ſic in eodem puncto ſæpius intenditur lux.

3. Ratione qualitatis res dicuntur ſimiles vel diſſimiles. Verùm hoc competit non ſolùm qualitati prædicamentali, ſed etiam tranſcentali: Sic eſſentiæ, qualitatis, relationis, aliorumque prædicamentorum ratione, res dicuntur ſimiles.

CAPUT VI.

De prædicamento relationis.

PRÆCEPTA.

HActenus de Accidente abſoluto. Accidens cum reſpectu eſt quod dependet à termino.

Eſtque vel ipſa relatio: vel aliquid à relatione diverſum.

Relatio eſt ordo entis ad ens, ſeu eſt modus quo ens ſe habet ad aliud.

Ea conſideratur in genere vel in ſpecie.

In genere videndum relationis fundamentum & communes ejus diviſiones.

Fundamentum relationis ſunt entia abſoluta.

Communes relationis diviſiones ſunt duæ.

1. Relatio eſt conveniens vel diſconveniens.

Relatio conveniens eſt ſimplex vel comparata.

Simplex eſt ſubordinatio, vel coordinatio, vocabulis generaliſſimè ſumptis: utraque eſt nuda ac præordinatio, & poſtordinatio: vel efficax, ut ordines qui pertinent ad qualitatem, cauſalitatem vel effectionem, ſubjectionem vel adjectionem: ubi excellit ſubjectio objectiva, quò referenda eſt relatio inter ſignum & ſignatum.

Relatio convenientiæ comparata eſt æqualitas vel ſimilitudo.

Relatio diſconvenientię eſt ſimplex vel comparata.

Simplex eſt ordinatio contra, vel extraordinatio ſeu ſeordinatio.

Comparata eſt inæqualitas vel diſſimilitudo.

2. Relatio eſt naturalis vel voluntaria: ad voluntariam pertinent pleræque relationes ſymbioticæ.

In

In ſpecie relatio eſt tranſcendentalis vel prædicamentalis. Relatio tranſcendens eſt ordo entis abſoluti eſſentiæ intrinſecè incluſus: hæc ſi ſit ſubſtantialis referenda eſt ad ſubſtantiam: ſi accidentalis ad illud genus accidentis cujus eſt relatio.

Relatio prædicamentalis eſt accidentalis entis abſoluti ordo, nimirum ei intrinſecè additus. Hæc relatio commodè diſtribuitur juxta entia abſoluta, ſcilicet juxta ſubſtantias creatas, & abſoluta accidentia. Philoſophi autem quatuor præcipuè explicant quas vocant prædicamentum, *quando, ubi, ſitus, & habitus*, quorum duo priora ſunt modi abſoluti, quamvis relativè concipiantur & omnibus creatis competunt: Duo autem poſteriora ſunt relationes reales & ſolis corporibus conveniunt.

Quando eſt ordo rei ad durationem: Duratio eſt exiſtentiæ continuatio, ſeu rei in eſſe permanentia, temporale, annuum, menſtruum, hebdomarium huc ſpectat.

Ubi eſt ordo rei ad ſpatium imaginarium, ſeu eſt modus exiſtendi finitus, ut eſſe in cœlo, in terra: Eſtque ſpirituale ſeu indiviſibile, ut, ubi Angelicum; vel corporeum ſeu diviſibile, ut ubi omnium quantorum, hoc *ubi* per excellentiam vocatur locus.

Situs eſt ordo partium corporis ad ſe invicem & ad locum, ut, eſt in loco ſuperiori vel inferiori: Eſtque naturalis, voluntarius vel mixtus.

Habitus eſt ordo corporum ad corpus, cui intrinſecè adduntur, ut eſſe palliatum, togatum.

REGULÆ.

1. *Relatio eſt terminus generaliſſimus.*

Nam omni enti etiam ipſi increato competit: ſi enim reſpiciamus ad relationem tranſcendentalem, nullum ens eſt tam abſolutum, quin intrinſecum includat reſpectum: hinc prædicamentum Relationis eſt copioſiſſimum ſummi in practicis diſciplinis uſus: Ejus itaque tabulam præceptores ſuis diſcipulis diligenter exhibeant & inculcent.

2. In Relatione occurrunt hæc ſeptem, ſubjecta duo, fundamentum, terminus, relatum, correlatum, & ipſe reſpectus. Subjectum eſt illa ſubſtantia in qua eſt relatio: requiruntur autem ſubjecta duo, in omni relatione occurrit proportio, adeoque diſtinctio.

Fundamentum eſt attributum quoddam abſolutum, ob quod inter ſe conferuntur.

Relatum dicitur quatenus refertur; Correlatum quatenus ad id aliquid refertur: Relatio eſt ipſa relati & correlati habitudo.

De Relatis ſunt hi Canones.

1. Relata ſunt ſimul naturâ, ſcilicet quâ talia.

2. Di

2. Dicuntur ſecundùm convenientiam, ut pater dicitur filii pater, & filius, dicitur patris filius.

3. Sunt ſimul cognitione, ità ut qui novit unum, noverit & alterum.

Caput III.

De prædicamento actionis & paſſionis.

Accidens cum reſpectu, quod non ſit ipſa relatio eſt actio vel paſſio.

Actio eſt quâ aliquid ſe ipſum reſpectu alterius ordinat.

Paſſio eſt quâ aliquid reſpectu alterius ordinatur.

Utraque eſt realis vel intentionalis.

Patienti congrua vel incongrua: unde perfectiva vel deſtructiva: immanens vel tranſiens.

Duorum horum prædicamentorum tabula commodè inſtituitur juxta ordinem ſubſtantiarum, præſertim ſi illarum attributa perpendantur. Sic actiones hominis liberæ juxta tabulam habituum haud incommodè diſcernuntur.

Regulæ.

1. *Non omnis actio eſt accidens.*

Omni enim enti competit actio, quia eſſentiam neceſſariò ſequitur operatio. Itaque neceſſe eſt in ipſo ente primo ſit actio, quæ ob ſummam ejus perfectionem accidentalis eſſe nequit. Prædicamentum actionis fermè ſolas accidentales actiones perſequitur.

2. *Paſſionis & actionis natura ex utriuſque terminis cognoſcetur.* Intrinſecus cujuſlibet actionis terminus, eſt idem cum ipſa actione: Actio autem nihil eſt aliud quàm ipſe terminus quatenus producitur.

Itaque nec paſſio realiter poteſt differre ab actione, nimirum idem actus ſi conferatur cum ente à quo eſt actio, ſi cum patiente in quo eſt conferatur, paſſio dicitur.

Si igitur termini actionum ſint contrarii, & intenſionem admittant, actiones quoque ſunt contrariæ & intenſionem recipiunt.

Cap.

CAPUT VIII.

De tabula Encyclopædiæ.

PRÆCEPTA.

HActenus de tabula prædicamentali, ſequitur Encyclopædiæ, quæ eſt accurata omnium terminorum coordinatio.

Ejus videnda fabrica & uſus.

Fabrica ejus oritur ex continua terminorum per argumenta Logica deductione. Uſus ejus eſt longè maximus, ut patebit in ſequentibus.

REGULÆ.

1. *Tabula Encyclopædiæ omnino eſt neceſſaria Logico practico.* Analyſis enim clariſſimè docet quòd claſſici authores omnium diſciplinarum terminos inter ſe miſceant. Itaque in geneſi ſi illos imitari velimus, neceſſe eſt ut tabulam Encyclopædiæ, quæ etiam ſyſtematica dicitur, omnem in promptu habeamus.

Atque hic eſt præcipuus ſcopus clariſſimorum virorum, qui labore Herculeo omnium vel plerarumque diſciplinarum ſyſtemata adornarunt.

2. *Structura tabulæ ſyſtematicæ nititur tabulæ prædicamentali mediantibus notionibus Logicis, quas inter ſe conjugamus*, & orientur inde termini diſciplinarum tam liberalium quam illiberalium.

3. *Uſus tabulæ ſyſtematicæ eſt* maximus in reductione & deductione thematum: Nam oſtendit quænam partes tabularum prædicamentalium ſint potiſſimum perpendendæ in meditatione thematis: Deinde promptiſſimè ſuppeditanta materiam, eamque proximam, ac rebus differendis maximè conſentaneam.

CAPUT IX.

De tabula thematica ratione rerum differendarum.

PRÆCEPTA.

TAbula thematum eſt accurata thematum Logicorum repræſentatio. Structura ejus oritur ex continua terminorum Logicæ practicæ, ſeu artificiorum Logicorum combinatione. Oſtendit enim thematum & diſſertationum varietatem.

Differ-

Diſſertatio ſeu meditatio eſt ſimplex vel combinata: Illa eſt quæ ex aliis non conſtat.

Eſtque Geneſis vel Analyſis.

Geneſis eſt Logica novi operis productio: ea dividitur ratione rei diſſerendæ, modi diſſerendi, & diſſerentium.

Diviſiones petitæ à re diſſerenda explicant varietatem thematum.

In omni themate poteſt conſiderari homonymia, etymologia, & ſynonymia. Item teſtimonia, genus proximum & remotum, proprietates, quæ ſunt abſolutæ, vel reſpectivæ, effecta, deſcriptio, diſſentanea & comparata.

Thema eſt ſimplex vel combinatum.

Simplex eſt totale vel partiale.

Totale eſt poſitivum, vel non poſitivum.

Poſitivum eſt ſubſtantiale vel accidentale Thematis.

Subſtantialis deſcriptio conſtat genere & proprietatibus & effectis: Atque ex his poſterioribus duobus petitur diſtributio.

Subſtantia eſt infinita, Deus, vel finita quidlibet à Deo.

Thematis infiniti argumenta ſunt infinita, præcipuè autem ſunt notandæ relationes, ac operationes quæ ſunt internæ vel externæ, & hæ in regno naturæ, gratiæ, & gloriæ.

Suntque beneficia vel judicia; Nullam habent cauſam, nulla paria extra ſe, nulla majora,

jora, nullas partes, reliqua argumenta quæ imperfectionem involvunt, ipſi non niſi analogicè competunt, remotâ omni imperfectione.

Deſcriptio conſtat genere, quod eſt ſpiritus, proprietatibus & intrinſecis relationibus.

Thema ſubſtantiale finitum habet cauſam efficientem, quò & exemplaris referenda: & finalem, itemque adjuncta recepta in rem, ſeu accidentia, item locus & tempus.

Eſtque ſpirituale vel corporeum.

Spiritûs non datur materia & forma propriè dicta, adeoque nec partitio integri in membra, vel partes eſſentiales: Spiritus adjuncta ſunt, facultates, intellectus, voluntas & potentia executiva, vel dotes, eæque naturales vel morales.

Eſtque Angelus vel Anima ſeparata.

Angeli diſtribuuntur in bonos & malos, & nullum intrinſecum reſpectum dicunt ad corpora.

Animæ videnda relatio & ſympathia cum corpore.

Corpus habet materiam & formam, adjuncta, quantitatem, figuram, qualitates corporeas: eaſque internas, ubi excellit ſympathia reſpectu omnium corporum: vel externas ſeu ſenſibiles, effecta, motum. Diſtribuitur in partes integrales & eſſentiales; petitur quoque diviſio ejus à partibus.

Corpus eſt naturale, cui præcedentia primariò conveniunt; vel artificiale. Na-

Naturale eſt ſimplex vel mixtum: Simplex eſt cœleſte vel Elementale: in illo argumenta ſunt excellentiſſima; In Elemento, præ cæteris obſervanda relatio cum cœlo, alio elemento, & mixtis: In mixto perpendenda generatio, conſervatio, & corruptio, itemque temperamentum.

Mixtum eſt perfectè vel imperfectè mixtum.

Perfectè mixtum eſt inanimatum ſeu minerale: vel vivum: illius uſus eſt, Oeconomicus, Muſicus, Politicus, Bellicus, Mechanicus, Theologicus.

Corporis animati videnda membra ſeu partes organicæ, & ſemina ſeu materia proxima,

Eſtque planta vel animal.

Plantæ proprietates commodè colliguntur juxta qualitates communes, earùmque uſus præcipuus ſe exerit in medicina, & artibus mechanicis.

Animalis obſervanda anatomia, eſtque *brutum*, cujus dotes juxta Ethicam poſſunt recenſeri: *homo*: hominis operationes ſunt infinitæ, rectè tamen obſervantur juxta diſciplinas, & quatuor ſtatus vitæ humanæ.

Corporis artificialis cauſæ imprimis ſunt notandæ, pretium, proportio, ſcopus & uſus publicus & privatus, per quatuor ſtatus; caret forma externa: Diviſio ejus inſtituitur juxta diſciplinas mechanicas.

Se-

Sequitur thema accidentale, cujus videndæ cauſæ externæ principales & minus principales: ſubjectum recipiens in ſe & objectum, materia & forma: Itemque partes integrales ipſi competunt analogicè.

Accidens eſt abſolutum vel relatum: illud eſt quantitas & qualitas.

Quantitatis generatio, ubi termini occurrunt, ac collatio eſt conſideranda: eodem modo eſt tractanda figura: definitur ex genere, & terminis, ac terminorum concurſu ſeu unione.

In qualitate excellunt, finis, ſubjectum & objectum, virtutum videnda dignitas, neceſſitas, utilitas, & jucunditas: habitus definitur ex genere, objecto, & fine: figura ex genere, cauſa efficiente & finali.

Accidens relatum eſt relatio ipſa, vel actio & paſſio.

In relatione videndum relatum correlatum, fundamentum & ipſa relatio: definitur ex genere, relato, correlato, & termino.

Actionis & paſſionis perpendenda ſunt antedentia, connexa, conſequentia. Paſſio ex genere, ſubjecto & cauſis; finis additur ſi ſit paſſio perfectiva & judicialis.

Sequitur thema non poſitivum, cujus menſura eſt poſitivum: eſtque imago rei, ens rationis, notio ſecunda, privatio.

Imago tractatur ut relatio: Eſt autem naturalis vel artificialis, ſubjecti diſpoſitio attendenda

denda. Ens rationis primò eſt reducendum, num ſit ſubſtantiale vel accidentale, tumque modo ſuprà dicto tractandum. Notio ſecunda tractetur ut imago: Privatio tractetur ex habitu; definitur ex genere, habitu, objecto, & fine ſi ſit perfectiva,

Huc uſque de themate totali, quod eſt menſura partialis.

Partialis autem videnda relatio ad totum, reliquaſque partes: definitur ex genere, toto, & attributis, ſeu proprietatibus, & effectis.

Eſt autem eſſentialis, materia & forma: vel integralis.

Materiæ occurrit quantitas, figura, & diſpoſitio.

Formæ, propria, & effecta, quæ ſunt totius conſtitutio, diſtinctio & operatio.

Pars integralis ſi ſit diſſimilaris eſt ſubdividenda in partes.

Dividitur autem thema partiale ut totale: ſcilicet quod ſit ſubſtantiale vel accidentale.

Reſtat thema combinatum, cujus fons & menſura eſt ſimplex: ejus videndum materiale, ſeu res aggregandæ, & formale quod eſt ordo & diſpoſitio ſeu partium reſpectus: deſcriptio ex genere, materiali, formali, efficiente & fine.

Eſtque naturale vel voluntarium; naturale eſt ſubſtantiale vel accidentale.

Subſtantiale eſt mundus vel mundi partes.

Mun

Mundi partes ſeu contenta colliguntur ex diſciplinis quarum eſt mirificus ordo & harmonia.

Mundi pars eſt minor, ut fons, flumen: vel major, ut montes, regiones, inſulæ.

Fontium perpenduntur ſitus ratione cœli, montium, urbium & ſimilium: qualitates ex Phyſica collectæ: & uſus tum Phyſicus, Politicus, & Medicus.

Fluminum conſiderandum principium, unde: media per quæ; finis quò fluant, item contenta attributa phyſica ac hiſtorica, tandèmque uſus politicus, ut ratione munitionis, diſtinctionis regionum, navigationis: & Mechanicus qui conſiſtit in Molendinis, ſimilibuſque artificiis, ſicquoque tractentur ſtagna ſeu lacus.

Montes conſiderantur phyſicè quoad ſitum, magnitudinem, ac contenta: & politicè ratione ædificiorum additorum, rerùmque geſtarum.

Mundi partes majores tractantur ex minoribus, ſuntque regiones, inſulæ, quæ perpenduntur Geographicè, Phyſicè & Politicè.

Thema collectivum accidentale, eſt quod ex multis accidentibus eſt compoſitum; eſt autem plerumque qualitatum, relationum, actionum, & paſſionum, huc revocetur tempus.

Colectiva voluntaria ſunt magis ſubſtantialia vel accidentalia.

Ad

Ad illa pertinent collectiva artificialia, ut urbes, arces, majora ædificia, Collegia & ſimilia, quæ conſiderantur Phyſicè, Architectonicè, Geographicè, & Politicè: huc revocantur numeri, aliaque collectiva inordinata, in quibus præcipuè ſpectanda materia, efficiens, deſtruens, vel conſtruens, & adferenda priſtinæ ſtructuræ deſtructio.

Collectiva accidentalia ſunt frequentiſſima, ſive à Dei, ſive à creaturæ arbitrio pendeant. Ut familia, Eccleſia, Reſpub. exercitus: illorum materiale ſunt variæ perſonæ, res & actiones: formale, horum omnium ordo, proprietates & uſus, ſumantur à quatuor ſtatibus vitæ humanæ, quorum eſt quaſi quædam ſympathia: huc pertinent linguæ, quarum videnda antiquitas, dignitas, utilitas, facilitas, & cum aliis linguis harmonia eſt obſervanda.

Omnia præcedentia themata ſunt univerſalia vel ſingularia. Illa conſtituunt theſim, hæc hypotheſim: ſunt autem univerſalia fundamenta ſingularium. Thematis ſingularis videnda ſunt antecedentia, conſequentia, connexa, & circonſtantiæ, quæ ſimul ſemper vocabimus, *Individuantia*, ex quibus etiam deſcribitur.

Inter themata ſingularia ſubſtantialia excellit *perſona*, cujus poſt nomen (ſi ſingulare quid occurrit in eo) in genere notentur antecedentia, ipſæ cauſæ, & nuda antecedentia, connexa, locus

locus nimirum & tempus. & ſynchroniſmus: item conſequentia, id eſt effectus & eventus, hæcque applicentur cuique actioni, paſſioni & conditioni aut officio ſimilibuſque.

Denique obſerventur nativitas, vita, & mors: Nativitatis antecedentia, connexa & conſequentia, nimirum Parentes, familia, Patria, tempus, ubi, ſynchroniſmus: vitæ diverſæ ætates ſunt conſiderandæ, ſcilicet pueritia, adoleſcentia, juventus & ſenectus. In qualibet autem præcipuè in duabus poſterioribus notentur, qualitates, vitæ conditio & effectus. Qualitates ſunt bona & mala animi, corporis & fortunæ: quæ colliguntur per Ethicam, Phyſicam, & Politicam: vitæ conditio patet ex quatuor ſtatibus.

Huc referendæ amicitiæ & inimicitiæ, effecta ſub ſe complectuntur conſilia dicta & facta, privata & publica. Per omnes diſciplinas: Mortis perpendenda antecedentia, quò morbus, teſtamentum, conſilia, dicta & facta: tum connexa, ubi aliorum ſynchroniſmus: & conſequentia, tum privata tum publica, verbi gratia, ſepultura, epitaphia, ſtatus familiæ, Eccleſiæ & Reipublicæ.

REGULÆ.

1. *Tabula thematica per omnes diſciplinas eſt deducenda*: In ſingulis diſciplinis

plinis occurrit thematum varietas: ſic apud Theologos ſe ſe offerunt doctrinæ, elenchi, pædiæ, Epanorthoſes, conſolationes &c.

Qui igitur fœliciter in ſtudio Logico verſari cupit, det operam ut ſibi quoad fieri poteſt, perfectam thematum tabulam comparet, ac ſtudioſè obſervet quibus argumentis claſſici authores hoc vel illud thema tractare ſoleant: nos hîc primam & generaliorem partem adumbravimus tantùm, noſtri compendii memores.

2. *Tabula thematica proxime juvat dextram inſtrumentorum Logicorum applicationem, oſtendit qui loci inventionis conveniant, qui verò non conveniant rei diſſerendæ, nimirum illa quæ aliquã imperfectionem dicunt, à rebus perfectis ſunt removenda: quæ autem ſummam perfectionem indicant, imperfectioribus non ſunt attribuenda.* Hic obſerva quod modi rerum tranſcendentales, itemq; intrinſeci termini ſoleant tractari plerumque inſtar relationum. Nam ſi res requiratur, ſubtilius apparet quod rerum modi ſunt intrinſecæ quædam rerum habitudines.

CAP.

Caput X.

De tabula thematica ratione modi & ſcopi diſſerendi.

Præcepta.

Diſſertatio eſt Analoga vel Anomala: Illa eſt quæ ſtrictè obſervat præcepta Logica.

Eſtque dogmatica vel pragmatica.

Diſſertatio dogmatica eſt quæ primariò notitiam reſpicit: adeoque perſpicuitatem potiùs quam ſplendorem ſpectat.

Eſtque explicans, vel probans: Explicans eſt thematis univerſalis, vocatur ſtrictè doctrina: vel ſingularis eaque hiſtorica ſeu narratio thematis præſentis vel præteriti: vel Prophetica thematis futuri.

Diſſertatio probans eſt quæ verſatur circa veritatem dubiam, eaque fermè tota pendet ab explicante: eſtque magis theoretica, qua quæritur an aliquid factum ſit vel non factum: vel juris, ut an factum ſit legitimè vel illegitimè?

Diſſertatio pragmatica ſeu affectuoſa eſt quæ præcipuè ac proximè reſpicit affectum, hæc fluit ex dogmatica.

Diſſertatio effectuoſa eſt primitiva vel derivativa.

Illa eſt rerum deſcriptio ad effectus incitandos deſtinata.

Eſtque laudatio vel vituperatio : Laudatio eſt privata vel publica, ut hymnus, parentatio.

Diſſertatio affectuoſa derivativa eſt quæ ex affectuoſâ deſcriptione fluit.

Eſtque generalis vel ſpecialis.

Generalis eſt quæ omnibus inſervit, hæc eſt quædam præfatio & ſuaſio ſolitaria.

Eſtque ſuaſio vel diſſuaſio : utraque dubia, an & quare aliquid ſit agendum, vel non agendum ? vel obſcura quando ſit agendum vel non agendum ?

Affectuoſa ſpecialis eſt quæ certos affectus reſpicit.

Eſtque ſimplex vel compoſita : illa eſt quæ unicum reſpicit effectum, hæcque dividitur juxta affectus.

Affectus autem eſt ſimplex vel mixtus : ſimplex primus vel ortus: primus eſt boni vel mali: objectum boni præſentis vel abſentis.

Boni præſentis eſt primus, amor, vel ſecundus, voluptas.

Boni abſentis, eſt deſiderium, quò optatio, votum, ſpes, quò fiducia, adeòque diſſertatio conſolatoria.

Affectus ſimplex mali, eſt mali præſentis, vel abſentis.

Præſentis, ut odium, & triſtitia, quò mœror.

Mali abſentis eſt fuga vel metus.

Af-

Affectus ortus eſt appetitûs vel Judicii.

Affectus appetitûs eſt boni, benevolentia; ubi favor, gratia, miſericordia: vel mali, ira.

Affectus judicii eſt boni vel mali: boni eſt veneratio, quò admiratio, æmulatio.

Judicii mali affectus eſt primus, contemptus, quò indignatio, & abominatio, vel pœnitentia: vel ſecundus, verecundia & pudor.

Affectus mixtus ex variis componitur, diſſertatio ſpecialis affectuoſa compoſita eſt, quæ duo pluresve affectus intendit; hæc oritur ex præcedenti.

Eſtque generalis vel ſpecialis.

Generalis eſt aut hortatoria, quò adhortatoria, vel dehortatoria: aut petitoria, quò precatoria, interceſſoria

Diſſertatio compoſita ſpecialis eſt impreſſiva vel expreſſiva.

Impreſſiva eſt quæ immediatè hoc ſpectat, ut in præcipiente, ſeu audiente affectû excitet.

Eſtq; præparatoria vel executoria illa eſt quæ facit ut ſit affectus: hæc facit ut agant affectus.

Præparatoria eſt inſinuatoria vel commendatoria: executoria eſt impulſiva vel depulſiva.

Impulſiva eſt approbatio vel improbatio ſeu reprehenſio.

Reprehenſoria eſt reflexa auditoris: vel directa, ut accuſatio, quæ eſt judicialis vel extrajudicialis.

Diſſertatio depulſiva eſt quâ affectus mali objecti

jecti qui exiſtit vel exiſtere poteſt ab aliquo removetur.

Eſtque Apologia vel Deprecatoria.

Apologia eſt plena vel ſemiplena.

Et hæc eſt extenuatio vel excuſatio.

Diſſertatio expreſſiva eſt qua differentis affectus expreſſum conſentaneum affectum in auditore movet. Eſtque generalior vel ſpecialior.

Generalior eſt expiſcatoria, vel oblatoria.

Specialior verſatur circa factum præteritum, vel futurum, hæc eſt mandatoria & ſanctio: mandatoria eſt præceptum vel interdictum.

Sanctio eſt promiſſoria vel comminatoria: quæ circa præteritum verſatur, verſatur vel circa bonum, ut gratulatio, & gratiarum actio: vel circa malum, lamentatio

Diſſertatio anomala eſt quæ prudenter aliquid addit, demit, vel tranſmutat, hæc in uſu eſt frequentiſſima

Eſtque generalior pleonaſmus, ellypſis, & metatheſis: vel ſpecialior.

Specialior eſt longior vel brevior: brevior, clarior vel obſcurior.

Clarior eſt proverbium, chreia, gnoma.

Chreia eſt verbalis, realis, vel mixta; utraque tam Chreia quàm gnoma eſt apopothegma vel ſymbolum.

Obſcurior eſt talis ratione rei, paradoxum: vel modi, ut ænigma, longior, pictura, vel fictio.

Pictura eſt hieroglyphicum vel emblema.

Fictio eſt fabula vel ethopœia, hæc eſt ethopœia ſtrictè dicta, idolopœia, proſopopœia.

Regulæ.

1. *Hæc pars tabulæ præcipuè amplificatur ex oratoria & ſymbiotica.*

Oratoria etiam generaliores diſſertationum differentias; ſymbiotica ſpecialiores perſequitur: accuratè enim ex bonorum authorum analyſi eſt obſervandum, quomodo ſingula quàm commodiſſimè tractentur, vix enim meliùs poterit aliquis mereri de ſuis diſciplinis, quàm ſi iis certas quaſi formulas præſcribat.

2. *Hæc pars tabulæ docet notionum primarum delectum, quamvis enim omnes hi diſſerendi modi, multa inter ſe habeant communia, ſingulis tamen particularia maximè quadrant:* Sic aliâ viâ oratio conſolatoria, aliâ accuſatoria procedit,

Caput XI.

De tabula thematica ratione diſſerentium.

Præcepta.

Ratione diſſerentium diviſio diſſertationis eſt communior vel ſpecialior.

Communior eſt quòd diſſertatio ſit directa vel reflexa.

Directa eſt in qua prima perſona diſſert à ſecunda & tertia. Prima perſona eſt à qua, ſecunda ad quam, tertia de qua diſſeritur.

Diſſertatio reflexa eſt cùm hæ perſonæ recurrunt, ut cùm ipſe auditor reprehenditur, aut cùm quis de ſuo ſtatu deliberat.

Specialiter dividitur diſſertatio quòd ſit ſolitaria vel ſocia.

Socia dividitur communiùs quod ſit Dialogus vel Epiſtola, vel ſpecialiùs quod ſit theoretica, diſputatio ſocia, vel practica, conſultatio ſocia, an? & quare? item quando? aliquid ſit agendum vel non agendum.

Huc uſque de Thematis Geneſi Logicâ: Analyſis eſt operis producti reſolutio.

Opus autem reſolvendum eſt in congruum vel in incongruum: illius Analyſis obſervat artificia; Hujus vitia ſeu fallacias Logicas.

Tandem reſtat praxis Logica combinata, quæ eſt artificioſa ſuperiorum conjunctio. Eſt autem infinita, ſed fons ejus & menſura eſt combinata: Eſt autem geneſi-anayſis, & analyſi-geneſis: utraque addit, demit, vel tranſponit aliquid: huc pertinet diſſertatio reſponſoria, examinatoria & ſimiles.

REGULÆ.

1. *Ultima pars tabulæ thematicæ pendet à varietate diſſerentium ſymbiotica:* Symbiotica eſt prudentia ſocietatis: illa varia hominis genera ediſſerit, variat autem perſonas, ſexus, ætates, temperamentum, habitus, formam, vitæ genus, quæ varietas tam in percipiente quàm in proponente habet locum.

2. *Hæc pars tabulæ docet τὸ πρέπον, ſeu decorum diſſertationis:* Ex illa enim clarè elucet convenientia, prima thematis affectio, & prima univerſæ diſſertationis gratia; Etſi autem Oratoria decorum urgeat diligentiſſimè, tamen omnis diſſertatio inſulſa eſt niſi hoc ſale condiatur. Sic in diſputatione, vel maximè decori eſt habenda ratio: Atque hæc eſt ſciagraphia quædam tabulæ thematicæ; plenam ejus delineationem & explicationem non capit compendium.

CAP.

CAPUT XII.

De praxeos Logicæ affectionibus.

PRÆCEPTA.

HActenus egimus de fundamento praxeos Logicæ: ſequuntur communes ejus affectiones, quæ ſunt tres, nimirum, quòd ſit Catholica, Organica & Harmonica.

REGULÆ.

1. *Praxis Logica eſt catholica, ſeu univerſaliſſima, quæ in omnibus humanis negotiis locum invenit, nimirum per omnes diſciplinas ac vitæ humanæ ordines ſe ſe diffundit:* Unde ejus dignitas & utilitas apparet: Itaque non tantùm in diſputationibus, ſed in omnibus actionibus etiam mechanicis Logica praxis adhiberi debet: ſic omnes Mathematicorum demonſtrationes, omnes ingenioſæ Architectonum aliorumque artificum inventiones ad artificia Logica eſſent revocanda.

2. *Praxis Logica eſt organica ſeu inſtrumentaria, non ſuppeditat ipſas res,*

ſed eas ex Encyclopædia petit : *procurat enim connubium notionum primarum & ſecundarum.* Itaque oppido falluntur illi, qui ex ſolâ Logicâ conantur diſſerere, non ſecùs ac illi aurifabri, quia ſolis inſtrumentis expetant pocula aurea vel argentea: nimirum Logica eſt ſtatua mercurialis, quæ viam oſtendit, ipſam verò non ingreditur.

3. *Harmonia praxeos Logicæ conſiſtit in couſenſu cum rebus & ſeipſis.*

Conſenſus cum rebus eſt quo ſe rerum naturæ accommodat. Nullo autem modo eam ſuis regulis evertit: Jtaque aliter ſumma, aliter media, aliter denique themata infima tractat.

Harmonia praxeos Logicæ cum ſeipſa eſt quod ſingulæ praxeos partes ſingulis reſpondeant: ſic conſentit praxis thematica, cum Topica hæc cum axiomatica, hæc cum ſyllogiſtica, hæc cum methodicâ, unde ſuaviſſima & fœcundiſſimoritur immeatio:

Caput XIII.

De praxi thematica.

Præcepta.

HUc uſque generaliùs conſideravimus praxin Logicam, reſtat, ut eam perſequamur ſpecialiùs.

Praxis Logica eſt abſtracta vel concreta.

Illa eſt quæ generalem inſtrumenta Logica; hæc quæ ſpecialem ſingulis diſciplinis applicandi modum tradit.

Praxis Logica abſtracta accommodè dividitur juxta inſtrumenta Logica, itaque eſt heuretica vel critica.

Praxis heuretica ſeu inventionis eſt thematica vel topica.

Praxis thematica eſt quæ thematis uſum ſpecialius docet.

Eſtque Geneſis vel Analyſis thematica.

Geneſis thematica eſt thematis tractandi conſtitutio & delectus.

Thematis conſtitutio eſt congrui thematis deſignatio.

Delectus eſt thematis congruentoris electio.

Analyſis thematica eſt thematis tractati inveſtigatio & dijudicatio: illa eſt qua operis Logici thema eruimus.

Dijudicatio thematis eſt qua ſpecies ejus cognoſcitur.

Eſtque prædicamentalis, ſyſtematica, vel ſpecifica.

REGULÆ.

1. *Logica concreta eſt Colophon eruditionis Logicæ.*

Logica concreta nihil aliud eſt, quàm ſpecialiſſima inſtrumentorum Logicorum applicatio: Itaque quot ſunt diſciplinæ, tot poſſunt ac debent eſſe Logicæ concretæ, putà Theologica, Juridica, Medica, Philoſophica, & Mechanica. Nos hic tradimus compendium Logicæ abſtractæ, concretam verò relinquimus artificibus, quamvis non ſpernenda opera Philoſophi hic conferri poſſit. In pleriſque enim Logicis concretis, quæ edi ſolent, magna reperitur confuſio, dum terminos multis diſciplinis communes, Theologi vel Juriſconſulti ſibi ſoli vendicant.

2. *Praxis thematica eſt norma & radix reliquorum omnium*: Eſt enim centrum & ſemen omnis meditationis, & ſine eo omnis meditatio eſt otioſa, perverſa ac inepta.

3. Ge-

3. *Geneſeos thematicæ regula eſt: Meditaturus, tres tabulas percurrito, ac thema congruentibus ſeligito.*

Geneſis thematica eſt prima cogitationum janua. Nam omnium primò cogitandum eſt quid cogitemus: Deinde an hoc vel llud potius cogitare debemus, niſi hoc fiat, planè vaga erit omnis meditatio: cùm autem hâc mentis vagatione omnes laborent, opus erit arte, quæ eam cohibeat: præſentiſſimum autem remedium eſt, ſi primo percurramus tres priores tabulas, ac perpendamus an hoc vel illud ſit proponendum? Deinde ſi occurrentia themata inter ſe conferamus, omniumque convenientiſſimum retineamus.

4. *Thema inveſtigatur notarum thematicarum obſervatione & tractationis collocatione.*

Niſi thema priùs cognoſcatur omne judicium eſt vanum. Itaque diligenter hæc media duo ſunt adhibenda: Notarum thematicarum obſervatio eſt, quâ ſigna thematis obſervantur; ſigna autem thematis ſunt varia, ut ex generali notarum doctrina ſuprà dicta patet: Eſt autem Thema propoſitionis ſubjectum: ſyllogiſmi, concluſio: Methodi, ſcopus ſeu propoſitio: huc itaque pertinent illæ formulæ à propoſito ſeu ſcopo, ſubjectâ

materiâ, à rubro ad nigrum, à libello ad ſententiam.

5. *Collatio thematica eſt tractationis comparatio: Hæc collatio eſt interna vel externa.*

Collatio interna eſt cùm tractatio cum ſeipſâ, ſuiſque partibus confertur: hic excellunt antecedentia, connexa, & conſequentia. item circonſtantiæ loci, temporis & perſonarum.

Collatio externa eſt cùm tractatio confertur cum ſuperioribus tabulis: ſic enim facilè nobis incidit, quodnam thema ſit omnium convenientiſſimum?

Itaque ſi dubites de themate alicujus Prophetæ, ne cæco quodam impetu, hoc vel illud textui effingas, omnes & ſingulos theologiæ locos communes percurras, ac diſpicias, num hunc an verò illum locum tractet ſcriptura?

6. *Dijudicatio thematis fit ejus ad ſuperiores tabulas, earumque partes reductione:* Cùm autem tres ſint tabulæ, triplex quoq; erit reductio Reductio prædicamentalis eſt quâ diſpicitur ad quodnam prædicamentum thema quoque modo, pertineat: Ejus Regula eſt, termini quos non tradit Metaphyſica generalis pertinent ad decem prædicamenta, directè, analogicè, reductive

ca-

vel per accidens. Priores autem termini vocantur tranſcendentalia, quia vagantur per omnia prædicamenta, quamvis analogicè etiam reduci ſoleant.

7. *Reductio ſyſtematica eſt quâ diſpicitur ad quamnam diſciplinæ partem thema pertineat:* De ea notentur ſequentia, 1. Etſi una eademque res poſſit tractari à diverſis diſciplinis, tamen non fit eodem modo, variato itaque modo conſiderandi, variatur reductio. 2. Thema reducatur ad eam diſciplinam, qua definitur: 3. Omne thema eſt metaphyſicum ſeu generale, Philoſophicum, Theologicum, Juridicum, Medicum, Mechanicum.

8. *Reductio ſpecifica eſt quâ diſpicitur ad quam partem thematicæ tabulæ thema pertineat,* ut, num ſit hiſtorica, prophetica, conſolatio, promiſſio. Datur autem varia thematum conjunctio, modi enim docendi ſe variè immeant. Illa autem conjunctio eſt copula ut, promiſſio, prophetia, prophetica conſolatoria. Prophetica conſolatoria eſt vel disjuncta, ut edictum promiſſorium vel comminatorium. Hujus reductionis regula eſt; 1. tempus præſens & præteritũ indicativi modi, doctrinæ hiſtoriæ laudationi, vituperationi; futurum rei faciendæ adeoque prophetiis, conſiliis, mandatis, factionibus.

locus nimirum & tempus. & ſynchroniſmus: item conſequentia, id eſt effectus & eventus, hæcque applicentur cuique actioni, paſſioni & conditioni aut officio ſimilibuſque.

Denique obſerventur nativitas, vita, & mors: Nativitatis antecedentia, connexa & conſequentia, nimirum Parentes, familia, Patria, tempus, ubi, ſynchroniſmus: vitæ diverſæ ætates ſunt conſiderandæ, ſcilicet pueritia, adoleſcentia, juventus & ſenectus. In qualibet autem præcipuè in duabus poſterioribus notentur, qualitates, vitæ conditio & effectus. Qualitates ſunt bona & mala animi, corporis & fortunæ: quæ colliguntur per Ethicam, Phyſicam, & Politicam: vitæ conditio patet ex quatuor ſtatibus.

Huc referendæ amicitiæ & inimicitiæ, effecta ſub ſe complectuntur conſilia dicta & facta, privata & publica. Per omnes diſciplinas: Mortis perpendenda antecedentia, quò morbus, teſtamentum, conſilia, dicta & facta: tum connexa, ubi aliorum ſynchroniſmus: & conſequentia, tum privata tum publica, verbi gratia, ſepultura, epitaphia, ſtatus familiæ, Eccleſiæ & Reipublicæ.

Regulæ.

1. *Tabula thematica per omnes diſciplinas eſt deducenda*: In ſingulis diſciplinis

plinis occurrit thematum varietas: ſic apud Theologos ſe ſe offerunt doctrinæ, elenchi, pædiæ, Epanorthoſes, conſolationes &c.

Qui igitur fœliciter in ſtudio Logico verſari cupit, det operam ut ſibi quoad fieri poteſt, perfectam thematum tabulam comparet, ac ſtudioſè obſervet quibus argumentis claſſici authores hoc vel illud thema tractare ſoleant: nos hîc primam & generaliorem partem adumbravimus tantùm, noſtri compendii memores.

2. *Tabula thematica proxime juvat dextram inſtrumentorum Logicorum applicationem, oſtendit qui loci inventionis conveniant, qui verò non conveniant rei diſſerendæ, nimirum illa quæ aliquã imperfectionem dicunt, à rebus perfectis ſunt removenda: quæ autem ſummam perfectionem indicant, imperfectioribus non ſunt attribuenda.* Hic obſerva quod modi rerum tranſcendentales, itemq: intrinſeci termini ſoleant tractari plerumque inſtar relationum. Nam ſi res requiratur, ſubtilius apparet quod rerum modi ſunt intrinſecæ quædam rerum habitudines.

Caput X.

De tabula thematica ratione modi & ſcopi diſſerendi.

Præcepta.

Diſſertatio eſt Analoga vel Anomala: Illa eſt quæ ſtrictè obſervat præcepta Logica.

Eſtque dogmatica vel pragmatica.

Diſſertatio dogmatica eſt quæ primariò notitiam reſpicit: adeoque perſpicuitatem potiùs quam ſplendorem ſpectat.

Eſtque explicans, vel probans: Explicans eſt thematis univerſalis, vocatur ſtrictè doctrina: vel ſingularis eaque hiſtorica ſeu narratio thematis præſentis vel præteriti: vel Prophetica thematis futuri.

Diſſertatio probans eſt quæ verſatur circa veritatem dubiam, eaque fermè tota pendet ab explicante: eſtque magis theoretica, qua quæritur an aliquid factum ſit vel non factum: vel juris, ut an factum ſit legitimè vel illegitimè?

Diſſertatio pragmatica ſeu affectuoſa eſt quæ præcipuè ac proximè reſpicit affectum, hæc fluit ex dogmatica.

Diſſertatio effectuoſa eſt primitiva vel derivativa.

Illa

Illa eſt rerum deſcriptio ad effectus incitandos deſtinata.

Eſtque laudatio vel vituperatio: Laudatio eſt privata vel publica, ut hymnus, parentatio.

Diſſertatio affectuoſa derivativa eſt quæ ex affectuoſâ deſcriptione fluit.

Eſtque generalis vel ſpecialis.

Generalis eſt quæ omnibus inſervit, hæc eſt quædam præfatio & ſuaſio ſolitaria.

Eſtque ſuaſio vel diſſuaſio: utraque dubia, an & quare aliquid ſit agendum, vel non agendum? vel obſcura quando ſit agendum vel non agendum?

Affectuoſa ſpecialis eſt quæ certos affectus reſpicit.

Eſtque ſimplex vel compoſita: illa eſt quæ unicum reſpicit effectum, hæcque dividitur juxta affectus.

Affectus autem eſt ſimplex vel mixtus: ſimplex primus vel ortus: primus eſt boni vel mali: objectum boni præſentis vel abſentis.

Boni præſentis eſt primus, amor, vel ſecundus, voluptas.

Boni abſentis, eſt deſiderium, quò optatio, votum, ſpes, quò fiducia, adeòque diſſertatio conſolatoria.

Affectus ſimplex mali, eſt mali præſentis, vel abſentis.

Præſentis, ut odium, & triſtitia, quò mœror.

Mali abſentis eſt fuga vel metus.

Af-

Affectus ortus eſt appetitûs vel Judicii.

Affectus appetitûs eſt boni, benevolentia; ubi favor, gratia, miſericordia: vel mali, ira.

Affectus judicii eſt boni vel mali: boni eſt veneratio, quò admiratio, æmulatio.

Judicii mali affectus eſt primus, contemptus, quò indignatio, & abominatio, vel pœnitentia: vel ſecundus, verecundia & pudor.

Affectus mixtus ex variis componitur, diſſertatio ſpecialis affectuoſa compoſita eſt, quæ duo pluresve affectus intendit; hæc oritur ex præcedenti.

Eſtque generalis vel ſpecialis.

Generalis eſt aut hortatoria, quò adhortatoria, vel dehortatoria: aut petitoria, quò precatoria, interceſſoria

Diſſertatio compoſita ſpecialis eſt impreſſiva vel expreſſiva.

Impreſſiva eſt quæ immediatè hoc ſpectat, ut in præcipiente, ſeu audiente affectũ excitet.

Eſtq; præparatoria vel executoria illa eſt quæ facit ut ſit affectus: hæc facit ut agant affectus.

Præparatoria eſt inſinuatoria vel commendatoria: executoria eſt impulſiva vel depulſiva.

Impulſiva eſt approbatio vel improbatio ſeu reprehenſio.

Reprehenſoria eſt reflexa auditoris: vel directa, ut accuſatio, quæ eſt judicialis vel extrajudicialis.

Diſſertatio depulſiva eſt quâ affectus mali objecti

jecti qui exiſtit vel exiſtere poteſt ab aliquo removetur.

Eſtque Apologia vel Deprecatoria.

Apologia eſt plena vel ſemiplena.

Et hæc eſt extenuatio vel excuſatio.

Diſſertatio expreſſiva eſt qua differentis affectus expreſſum conſentaneum affectum in auditore movet. Eſtque generalior vel ſpecialior.

Generalior eſt expiſcatoria, vel oblatoria.

Specialior verſatur circa factum præteritum, vel futurum, hæc eſt mandatoria & ſanctio: mandatoria eſt præceptum vel interdictum.

Sanctio eſt promiſſoria vel comminatoria: quæ circa præteritum verſatur, verſatur vel circa bonum, ut gratulatio, & gratiarum actio: vel circa malum, lamentatio

Diſſertatio anomala eſt quæ prudenter aliquid addit, demit, vel tranſmutat, hæc in uſu eſt frequentiſſima

Eſtque generalior pleonaſmus, ellypſis, & metatheſis: vel ſpecialior.

Specialior eſt longior vel brevior: brevior, clarior vel obſcurior.

Clarior eſt proverbium, chreia, gnoma.

Chreia eſt verbalis, realis, vel mixta; utraque tam Chreia quàm gnoma eſt apopothegma vel ſymbolum.

Obſcurior eſt talis ratione rei, paradoxum: vel modi, ut ænigma, longior, pictura, vel fictio.

Pictura eſt hieroglyphicum vel emblema.

Fictio eſt fabula vel ethopœia, hæc eſt ethopœia ſtrictè dicta, idolopœia, proſopopœia.

REGULÆ.

1. *Hæc pars tabulæ præcipuè amplificatur ex oratoria & ſymbiotica.*

Oratoria etiam generaliores diſſertationum differentias; ſymbiotica ſpecialiores perſequitur: accuratè enim ex bonorum authorum analyſi eſt obſervandum, quomodo ſingula quàm commodiſſimè tractentur, vix enim meliùs poterit aliquis mereri de ſuis diſciplinis, quàm ſi iis certas quaſi formulas præſcribat.

2. *Hæc pars tabulæ docet notionum primarum delectum, quamvis enim omnes hi diſſerendi modi, multa inter ſe habeant communia, ſingulis tamen particularia maximè quadrant:* Sic aliâ viâ oratio conſolatoria, aliâ accuſatoria procedit,

Caput XI.

De tabula thematica ratione diſſerentium.

Præcepta.

Ratione diſſerentium diviſio diſſertationis eſt communior vel ſpecialior.

Communior eſt quòd diſſertatio ſit directa vel reflexa.

Directa eſt in qua prima perſona diſſert à ſecunda & tertia. Prima perſona eſt à qua, ſecunda ad quàm, tertia de qua diſſeritur.

Diſſertatio reflexa eſt cùm hæ perſonæ recurrunt, ut cùm ipſe auditor reprehenditur, aut cùm quis de ſuo ſtatu deliberat.

Specialiter dividitur diſſertatio quòd ſit ſolitaria vel ſocia.

Socia dividitur communiùs quod ſit Dialogus vel Epiſtola, vel ſpecialiùs quod ſit theoretica, diſputatio ſocia, vel practica, conſultatio ſocia, an? & quare? item quando? aliquid ſit agendum vel non agendum.

Huc uſque de Thematis Geneſi Logicâ: Analyſis eſt operis producti reſolutio.

Opus autem reſolvendum eſt in congruum vel in incongruum: illius Analyſis obſervat artificia; Hujus vitia ſeu fallacias Logicas.

Caput XII.

De praxeos Logicæ affectionibus.

Præcepta.

HActenus egimus de fundamento praxeos Logicæ: ſequuntur communes ejus affectiones, quæ ſunt tres, nimirum, quòd ſit Catholica, Organica & Harmonica.

Regulæ.

1. *Praxis Logica eſt catholica, ſeu univerſaliſſima, quæ in omnibus humanis negotiis locum invenit, nimirum per omnes diſciplinas. ac vitæ humanæ ordines ſe ſe diffundit:* Unde ejus dignitas & utilitas apparet: Itaque non tantùm in diſputationibus, ſed in omnibus actionibus etiam mechanicisLogica praxis adhiberi debet: ſic omnes Mathematicorum demonſtrationes, omnes ingenioſæ Architectonum aliorumque artificum inventiones ad artificia Logiça eſſent revocanda.

2. *Praxis Logica eſt organica ſeu inſtrumentaria, non ſuppeditat ipſas res,*

ſed eas ex Encyclopædia petit : procurat enim connubium notionum primarum & ſecundarum. Itaque oppido falluntur illi, qui ex ſolâ Logicâ conantur diſſerere, non ſecùs ac illi aurifabri, quia ſolis inſtrumentis expetant pocula aurea vel argentea: nimirum Logica eſt ſtatua mercurialis, quæ viam oſtendit, ipſam verò non ingreditur.

3. *Harmonia praxeos Logicæ conſiſtit in couſenſu cum rebus & ſeipſis.*

Conſenſus cum rebus eſt quo ſe rerum naturæ accommodat. Nullo autem modo eam ſuis regulis evertit: Jtaque aliter ſumma, aliter media, aliter denique themata infima tractat.

Harmonia praxeos Logicæ cum ſeipſa eſt quod ſingulæ praxeos partes ſingulis reſpondeant: ſic conſentit praxis thematica, cum Topica hæc cum axiomatica, hæc cum ſyllogiſtica, hæc cum methodicâ, unde ſuaviſſima & fœcundiſſimoritur immeatio:

Caput XIII.

De praxi thematica.

Præcepta.

HUc uſque generaliùs conſideravimus praxin Logicam, reſtat, ut eam perſequamur ſpecialiùs.

Praxis Logica eſt abſtracta vel concreta.

Illa eſt quæ generalem inſtrumenta Logica; hæc quæ ſpecialem ſingulis diſciplinis applicandi modum tradit.

Praxis Logica abſtracta accommodè dividitur juxta inſtrumenta Logica, itaque eſt heuretica vel critica.

Praxis heuretica ſeu inventionis eſt thematica vel topica.

Praxis thematica eſt quæ thematis uſum ſpecialius docet.

Eſtque Geneſis vel Analyſis thematica.

Geneſis thematica eſt thematis tractandi conſtitutio & delectus.

Thematis conſtitutio eſt congrui thematis deſignatio.

Delectus eſt thematis congruentoris electio.

Analyſis thematica eſt thematis tractati inveſtigatio & dijudicatio: illa eſt qua operis Logici thema eruimus.

Dijudicatio thematis eſt qua ſpecies ejus cognoſcitur.

Eſtque prædicamentalis, ſyſtematica, vel ſpecifica.

REGULÆ.

1. *Logica concreta eſt Colophon eruditionis Logicæ.*

Logica concreta nihil aliud eſt, quàm ſpecialiſſima inſtrumentorum Logicorum applicatio: Itaque quot ſunt diſciplinæ, tot poſſunt ac debent eſſe Logicæ concretæ, putà Theologica, Juridica, Medica, Philoſophica, & Mechanica. Nos hic tradimus compendium Logicæ abſtractæ, concretam verò relinquimus artificibus, quamvis non ſpernenda opera Philoſophi hic conferri poſſit. In pleriſque enim Logicis concretis, quæ edi ſolent, magna reperitur confuſio, dum terminos multis diſciplinis communes, Theologi vel Juriſconſulti ſibi ſoli vendicant.

2. *Praxis thematica eſt norma & radix reliquorum omnium*: Eſt enim centrum & ſemen omnis meditationis, & ſine eo omnis meditatio eſt otioſa, perverſa ac inepta.

3. Ge-

3. Geneſeos thematicæ regula eſt: Meditaturus, tres tabulas percurrito, ac thema congruentibus ſeligito.

Geneſis thematica eſt prima cogitationum janua. Nam omnium primò cogitandum eſt quid cogitemus: Deinde an hoc vel llud potius cogitare debemus, niſi hoc fiat, planè vaga erit omnis meditatio: cùm autem hâc mentis vagatione omnes laborent, opus erit arte,quæ eam cohibeat: præſentiſſimum autem remedium eſt, ſi primo percurramus tres priores tabulas, ac perpendamus an hoc vel illud ſit proponendum? Deinde ſi occurrentia themata inter ſe conferamus, omniumque convenientiſſimum retineamus.

4. Thema inveſtigatur notarum thematicarum obſervatione & tractationis collocatione.

Niſi thema priùs cognoſcatur omne judicium eſt vanum. Itaque diligenter hæc media duo ſunt adhibenda: Notarum thematicarum obſervatio eſt, quâ ſigna thematis obſervantur; ſigna autem thematis ſunt varia, ut ex generali notarum doctrina ſuprà dicta patet: Eſt autem Thema propoſitionis ſubjectum: ſyllogiſmi, concluſio: Methodi, ſcopus ſeu propoſitio: huc itaque pertinent illæ formulæ à propoſito ſeu ſcopo, ſubjectâ

materiâ, à rubro ad nigrum, à libello ad ſententiam.

5. Collatio thematica eſt tractationis comparatio: Hæc collatio eſt interna vel externa.

Collatio interna eſt cùm tractatio cum ſeipſâ, ſuiſque partibus confertur: hic excellunt antecedentia, connexa, & conſequentia. item circonſtantiæ loci, temporis & perſonarum.

Collatio externa eſt cùm tractatio confertur cum ſuperioribus tabulis: ſic enim facilè nobis incidit, quodnam thema ſit omnium convenientiſſimum?

Itaque ſi dubites de themate alicujus Prophetæ, ne cæco quodam impetu, hoc vel illud textui effingas, omnes & ſingulos theologiæ locos communes percurras, ac diſpicias, num hunc an verò illum locum tractet ſcriptura?

6. Dijudicatio thematis fit ejus ad ſuperiores tabulas, earumque partes reductione: Cùm autem tres ſint tabulæ, triplex quoq; erit reductio Reductio prædicamentalis eſt quâ diſpicitur ad quodnam prædicamentum thema quoquemodo, pertineat: Ejus Regula eſt, termini quos non tradit Metaphyſica generalis pertinent ad decem prædicamenta, directè, analogicè, reductive

ca-

vel per accidens. Priores autem termini vocantur tranſcendentalia, quia vagantur per omnia prædicamenta, quamvis analogicè etiam reduci ſoleant.

7. *Reductio ſyſtematica eſt quâ diſpicitur ad quamnam diſciplinæ partem thema pertineat:* De ea notentur ſequentia, 1. Etſi una eademque res poſſit tractari à diverſis diſciplinis, tamen non fit eodem modo, variato itaque modo conſiderandi, variatur reductio. 2. Thema reducatur ad eam diſciplinam, qua definitur: 3. Omne thema eſt metaphyſicum ſeu generale, Philoſophicum, Theologicum, Juridicum, Medicum, Mechanicum.

8. *Reductio ſpecifica eſt quâ diſpicitur ad quam partem thematicæ tabulæ thema pertineat,* ut, num ſit hiſtorica, prophetica, conſolatio, promiſſio. Datur autem varia thematum conjunctio, modi enim docendi ſe variè immeant. Illa autem conjunctio eſt copula, ut, promiſſio, prophetia, prophetica conſolatoria. Prophetica conſolatoria eſt vel disjuncta, ut edictum promiſſorium vel comminatorium. Hujus reductionis regula eſt; 1. tempus præſens & præteritũ indicativi modi, doctrinæ hiſtoriæ laudationi, vituperationi; futurum rei faciendæ adeoque prophetiis, conſiliis, mandatis, factionibus.

nibus ſimilibusque convenit. 2. Modus indicativus plerumque generi didaſcalico, ut doctrinæ & refutationi. Imperativus & optativus practico deliberativo & judiciali competit.

Caput XIV.

De praxi topica in genere.

Præcepta.

PRaxis topica ſeu argumentoſa eſt quæ argumentorum uſum ſpecialiùs docet.

Ea conſideranda eſt in genere vel in ſpecie.

In genere videnda ſunt ipſius fundamenta & communes diviſiones, nimirum quòd ſit Geneſis vel Analyſis.

Geneſis topica eſt primarum cogitationum inventio, eſtque explicatio, probatio, vel amplificatio.

Amplificationis modi ſunt quinque, deſcriptio, antitheſis, comparatio, diſtributio & congeries teſtimoniorum.

Analyſis topica eſt primarum cogitationum reſolutio ſeu dijudicatio.

Regulæ.

1. *Praxis topica eſt filia praxeos thema-*

maticæ , & mater ſequentium. Eſt filia, quia omnes cogitationes ex themate tanquam ſemine germinant: Eſt mater, quia omnia reliqua artificia hinc fluunt, Itaque diligentiſſimè hæc praxis,quæ vocatur thematum & terminorum ſimplicium, eſt urgenda.

2. *Praxis topica nititur tabulâ, definitionibus & affectionibus argumentorũ.* Tabula topica eſt plena & ordinata omnium locorum inventionis ſeries, hæ niſi habeantur in promptu fruſtra urgetur praxis: definitiones autem argumentorum ſunt fontes & normæ praxeos Logicæ, nam ſi illæ notionibus primis applicentur, praxis eſt expedita: Affectiones argumentorum illuſtrant & amplificant.

3. *Geneſis topica nititur ac abſolvitur collatione, juxta tres regulas ſequentes.* 1. Inventurus argumenta, thema tuum deduc per tres regulas ſupradictas, iiſque tui thematis & argumentorum Logicorum definitiones applica: hæc regula fundatur in mutua rerum & terminorum habitudine ſeu relatione. 2. Inventurus argumenta, thema tuum cum termino confer variè, iiſque applica omnium vel plerorumque argumentorum Logicorum definitiones. 3. Hæc regula nititur rerum & argumentorum immeatione, ſoletque promoveri

veri ſi duos terminos conferamus cum tertio vel quarto.

4. *Amplificatio axiomatis poteſt inſtitui ex parte ſubjecti, prædicati, & copulæ:* Amplificationis modi quinque ſic habent.

Deſcriptio eſt amplificatio quâ fuſè oſtenditur quid ſit res: hæc poteſt peti ex omnibus argumentis, hucque pertinent epitheta.

Antitheſis eſt amplificatio quâ fuſè oſtenditur quid non ſit res, ſumiturque ex diſſentaneis: huc pertinent ablatio & oppoſitio.

Comparatio eſt amplificatio quâ ex collatione cum aliis oſtenditur quale, quantumve, ſit vel non ſit thema: hæc fluit ex comparatis.

Diſtributio eſt amplificatio quâ totum in partes, particulaſque reſolvitur, ſumiturque ex omnibus diſtributionibus Logicis.

Congeries teſtimorum eſt amplificatio, quâ plura teſtimonia adferuntur: hæc magnum uſum habet in practicis. Poſſunt autem hi quinque modi variè inter ſe miſceri, & quidem mixtione binariâ, ternariâ, & ſic deinceps: Cujus quanta ſit fœcunditas ex ſequenti tabella primariæ combinationis apparet: Qua ut fœliciùs utaris duo obſerva, 1. quod per copulam hic intelliguntur omnes voces in propoſitione, præter ſubjectum & prædicamentum occurrentes: Deinde quod ſingulæ poſſint cum ſingulis conjungi, modo evitetur linea recta.

Deſ-

Deſcriptio / *Antitheſis* / *Comparatio* / *Diſtributio* } { *Subjecti* / *Copulæ* / *Prædicati* } cum { *Deſcriptione* / *Antitheſi* / *Comparatione* / *Diſtributione* } { *Copulæ* / *Subjecti* / *Prædicati.*

5. *Analyſis topica eſt communis vel ſpecialis.*

Analiſcos topicæ tanta eſt neceſſitas, & utili-
tas

tas, ut ſine ea Logicæ ſtudium ſit ridiculum: Eſt enim baſis omnis amplificationis Logicæ, iſque demum infinitum Logicæ uſum percipit qui ſingulos ſuæ diſciplinæ terminos inter ſe collatos Logicis notionibus denuò enuntiare poterit.

Analyſis autem topica communis eſt, cum duos terminos nondum axiomaticè diſpoſitos inter ſe conferimus, eorumque habitudinem Logicis terminis exprimimus, ut ſi quæram, Deus & homo, qualia ſunt argumenta ſeu termini ſimplices? hæc accuratè obſervat argumentorum inventionem; Analyſis vero Topica ſpecialis eſt cùm duorum terminorum axiomaticè diſpoſitorum habitudinem terminis logicis indicamus: Ut ſi quæram, Deus cognoſcit homines, quænam ſunt argumenta? utraque egregiè juvatur ſi notiones primas per ſe ſeu ſigillatim & abſolutè conſideremus, tum inter ſe conferamus, tandemque collationum affectiones per tabulam argumentorum deducimus, & deductis convenientes definitiones applicemus. Quod artificium nititur etiam ſuperioribus tabulis, quanquam modo alio, quam geneſis procedit.

Geneſis enim beneficio notionum ſecundarum quærit primas: Analyſis verò ex primis, quærit ſecundas.

CAP.

CAPUT XV.

De Geneſi topica in ſpecie.

PRÆCEPTA.

VIdeamus jam praxin topicam in ſpecie, quæ eſt Geneſis vel Analyſis topica ſpecialis.

Geneſis topica tot modis dividitur, quot ſunt loca inventionis, excellit tamen artificium ſimilitudinum, diſtinctionis vocis ambiguæ, diſtribuendi ac definiendi.

Antificium ſimilitudinis eſt quâ congruæ ſimilitudines ingenioſè excogitantur.

Artificium diſtribuendi eſt quo terminus in ſuis partes & ſpecies reſolvitur.

Artificium diſtinctionis eſt quo varia vocis ſignificata inveniuntur ac dijudicantur.

Artificium definiendi eſt quo congruæ rerum definitiones inveniuntur.

REGULÆ.

1. *Tot ſunt geneſes topicæ, quot ſunt loca inventionis*: ſic eſt geneſis cauſarum, effectorum, ſubjectorum & ſic deinceps, quod diligenter in praxi eſt obſervandum; ſic quæſtio Politica, quâ ratione poſſit unus efficere, ut ho-

ſtis

ſtis nimirum, multos habeat hoſtes; Quærit de geneſi contrariorum, & omnes quæſtiones (ſimplices quas vocant) de aliqua quærunt, verum nos brevitati ſtudentes quatuor hæc illuſtria explicabimus.

2. *Similitudinum videnda requiſita, fontes, & inveniendi modos*; requiſita ſunt perſpicuitas & convenientia ſeu proportio.

Perſpicuitas poſtulat ut ſimilitudo rem illuſtret, non obſcuret, debet itaque peti à notioribus non ab ignotioribus, niſi ſit ænigmatica.

Propoſitio ſimilitudinis eſt quæ themati & differentibus, adeoque moribus ac circonſtantiis convenit: hâc ratione erit grata.

3. *Fontes ſimilitudinum ſunt omnes res ac diſciplinæ*: Nam omnes res conveniunt in termino, ens, ejuſque principiis & modis: Itaque principia & modi unius poſſunt repreſentari principiis & modis alterius. Diſciplinæ autem ſunt rerum tabulæ ac picturæ: unde certiſſimus eſt canon, viæ Dei, naturæ, & artium proportionales ſunt.

4. *Modus inveniendi ſimilia conſiſtit in reductione & deductione*: Intelligimus hic operationes ſpeciales quæ præſupponunt generales.

Re-

Reductio igitur hic eſt quâ thema revocatur ad tabulam Metaphyſicam ſeu terminorum generalium, v. g. ad tabulam unitatis, perfectionis, quo inveniatur tertium comparationis: hic autem ſubintelligenda eſt tabula conjugatorum, & contrariorum metaphyſicorum.

Deductio eſt quâ thema, inventumque tertium deducitur per tabulas illius tertii ſpeciales ut per unitates, Phyſicas, Politicas: Excellit tamen hic Phyſica, quæ eſt baſis omnium diſciplinarum.

Mathematica quia veriſſima politica quia latiſſimè patet,& Medicina quia eſt familiariſſima. Sic reſtitutio hominis in Theologia repræſentatur redemptione, ſanatione, mortificatione, vivificatione, oblatione, circumciſione: ſic ſacra ſcriptura poteſt conferri cum Archivis, panacea, teſtamento, pactis, ſemine, norma ac ſimilibus.

Eſt autem ſimilitudo ſimplex, quæ conſiſtit in uno tertio, ut Chriſtus veniet inſtar furis, ratione celeritatis: vel combinata quæ in pluribus, ut Chriſtus eſt gramen, ſemen, agnus: ſicut autem in ſimplici ſimplex, ſic in combinata combinata requiretur reductio & deductio.

5. *Diſtinctio vocis ambiguæ conſiſtit in iterata reductione*, eſtque juxta regulas ſequentes.

1. Vox quæ reduci poteſt ac debet ad diverſa præ-

prædicamenta, vel ad ejuſdem prædicamenti diverſos titulos,gradusque, item ad diverſos diſciplinas, vel ad ejuſdem diſciplinæ diverſas titulos ac ſubtitulos eſt ambigua.

2. Id intelligendum eſt de vocibus conjugatis & contrariis.

3. Vocem diſtinguendam deduc per tabulas, & diſpice quæ & quot loca vi ſui ſignificati pertineant; ſi deprehenditur ambiguitas vocis, ſpiritus, caro, Philoſophia: ſub vocem autem quoque intelligitur phraſis ambigua.

6. *Diſtributio invenitur reductione & deductione.* Hic latè ſumenda eſt vox diſtributio, ita ut ſub ſe complectatur diviſionem generis in ſpecies tam analogas quàm univocas: Item diſtributionem ex cauſis, effectis, ſubjectis, adjunctis.

Reductio hic eſt generalis, qua nimirum terminus diſtribuendus ad tabulas earumque gradus revocatur.

Deductio eſt collatio quâ terminus diſtribuendus confertur cum aliis terminis ſibi quidem conſentaneis, inter ſe verò diſſentaneis. Primò itaque thema conferatur cum terminis Metaphyſicis inter ſe oppoſitis: Quod ſi velis diſtribuere cognitionem, dic quod eſſentialis vel non eſſentialis; æterna vel temporalis: univerſalis vel ſingularis: vera vel falſa: confuſa vel diſtincta: naturalis vel ſupernaturalis, & ſic de-

in-

incepts: deinde thema deducatur per diſciplinas ſpeciales: illique termini modo prædicto ſe habentes applicantur, ut cognitio eſt Theologica, Juridica, Medica, Philoſophica, & Mechanica: Theologia eſt viæ vel patriæ, Juridica eſt Juris vel facti.

7. *Definitio invenitur reductione & deductione.*

Definitio eſt quâ terminus in alios terminos definiendo & ſibi ipſis maximè conſentaneos, adeoque reciprocos reſolvitur. Ejus itaque inventio conſiſtit in invenienda eſſentiali conceptuum convenientia vel differentia thematis cùm aliis rebus: nam omnis humana cognitio in his duobus cardinalibus verſatur, hi autem conceptus inveniuntur reductione & deductione. Reductio hic occurrit per triplicem ſupradictam tabulam, quâ definiendum reducitur ad illum terminum generalem cujus eſt ſpecies, nimirum ad hos, unum, verum, bonum, eorumque ſynonyma, conjugata & contraria.

Deductio eſt generalis vel ſpecialis.

Illa eſt quâ terminos metaphyſicos tamdiu combinamus uſquedum omnes ſimul ſumpti, cum definiendo reciprocentur; Hæc deductio eſt præparatio quædam ad definiendum terminos generales, unica verò ratio hæc eſt definiendi terminos generales ac pleroſque ſymbioticos, ac Mechanicos.

De-

Deductio ſpecialis ſeu homogenea eſt quâ termini diſciplinæ propriæ tandiu conjunguntur, uſquedum cum definiendo concurrant. Utraque autem eſt deſcenſiva, vel aſcenſiva.

Deſcenſiva ſeu reſolutiva, eſt cum à generalibus deſcendimus ad ſpecialia, adeoque à rerum convenientia, deſcendimus ad differentiam.

Aſcenſiva ſeu compoſitiva eſt quâ à ſpecialibus aſcendimus ad generalia, id eſt, à differentia rerum ad convenientiam: prior procedit ab unitate ad multitudinem, eſtque facilior præſertim ſi perfectæ tabulæ prædicamentales habentur: Poſterior progreditur à multitudine ad differentiam, ideoque eſt certior, utraque ſi conjungatur, illa nos in definitionis inventione, hæc in examinatione, juvabit.

Atque hæc dicta ſunto in genere de definitionis artificio: Specialia poſſunt colligi ex tabula thematica, & hîc eſt regula Keckermanni obſervanda, ea perfectè definiri poſſunt quæ directè ſunt in prædicamento.

Caput XVI.

De Analyſi topicâ in ſpecie.

Præcepta.

ANalyſis topica tot modis dividitur quot ſunt loca inventionis cui præmittimus ſylvulam clavium topicarum.

Claves topicæ ſunt notæ argumentorum Logicorum ſeu mutuæ rerum habitudines: eorum videndus ortus, uſus, varietas, & concurſus.

Regulæ.

1. Clavium topicarum uſus eſt maximus, Analyſis topica ſub ſe etiam complectitur analyſim incongruorum & fallaciarum: Verùm quia illas in generali Logica attigimus: hic tantùm primam analyſim trademus, ejuſque claves per titulos tractibimus, quæ topicam geneſim mirificè juvant ac facilius ac fœciliſſimè detegunt.

2.

De clavibus topicis notentur.

1. Claves plerumque hæ petuntur à reſpectibus corporum, nimirum à quantitate, figurâ, motu,

7. Notæ aliæ ſunt generales quæ plurima argumenta poſſunt ſignificare, ut genitivus, dativus; præpoſitio in, ad: Aliæ ſpeciales vel quaſi propriæ, cum voces reſtringuntur à rebus ſubjectis, ut ſubſtantiva, adjectiva, pronomina, adverbia, præpoſitiones, & conjunctiones: vel combinatæ, ut phraſes & formulæ.

8. Notæ pertinent ad illa argumenta quorum definitionibus æquipollent: hæ enim ſunt præcipuæ analyſeos topicæ formæ.

9. Inter claves topicas excellunt conjungatorum terminationes, eæque tam puræ quàm barbaræ, & prępoſitiones.

10. Utile eſt perpendere vim novem quæſtionum ſupra explicatarum, de quibus nimirum quærant argumentis Logicis, nam ſunt voces intelligentiæ, & vaſa materiæ.

11. Propoſitio affirmata enuntiat argumenta conſentanea: negata diſſentanea, quę diſſenſio ſpargitur per univerſam Logicam, reſpondent autem conſentaneis diſſentanea, unde ex horum ſignis, illorum quoque natura ſpecialius cognoſcatur, nam quam affectionem ſignum affirmatum ponit: eam negatum tollit, ſic, non à me, non propter me hoc factum eſt, negat cauſam.

Sequuntur jam ſpeciales ſingulorum argumentorum tituli.

Titulus primus de notis cauſæ & effecti.

1. Cauſæ finalis notæ ſunt 1. motus ad quos, meta, ſcopus, fructus: 2. adverbia ad locum, huc, illud, iſthuc, eò: 3. præpoſitionis, ob, propter, ad, cum accuſativo, & gerundio in dum: 4. conjunctio cauſalis, ut, denotans ergo, ideò: 5. ſupina in tum: 6 ablativi cauſâ, gratiâ, ſive cum genitivo poſiti, ſimileſque qui effectus ſignificant: & 7. quæſtiones, quo? quorſum? cur? quare? Huc pertinent argumentiones ab ordinato, à modo, vel virtute, finis intentione.

2. Cauſæ efficientis notæ ſunt, motus à quibus, radix, fons: adverbia de loco, hinc, illinc, inde, exinde: præpoſitiones à, ab, ex, in, apud, per, ablativi cauſales rem præſentem, præteritam reſpectu effectûs ſignificantes: Et quæſtio, unde: hæc inquam ſunt ſigna cauſæ efficientis, niſi ſubjectæ materiæ nota aliud doceat.

3. Cauſæ principalis notæ ſunt illæ quæ in præcedentibus notant quandam excellentiam, ut Coryphæus, radix, dux, ſic ſi cæteris addatur primò, maximè, præcipuè, ſimileſque, quæ ordinis quandam primitatem innuunt.

4. Cauſæ ſolitariæ notæ ſunt affirmativæ, ut ſolus, quantuncunque, ſuis viribus: vel negativæ, ut non aliud, non alterius auxilio, non niſi, & ſimiles excluſivæ cauſarum.

5. Cauſæ impulſivæ notæ ſunt, vel explica-

tæ

tæ ſeu diſertæ, ut inſtinctu, ſuaſu, mandato: Ablativi affectuum, virtutum, vitiorum, & hujus amore, illius odio: præpoſitiones ob, propter rem præſentem vel præteritam, reſpectu affectus ſignificantes; conjunctiones, quia, quoniam, ideò, quandquidem; idcirco; & quæſtio cur, quare; ſi reſpondendum ſit per quâ, hic excellit pro, ſignificans cauſam meritoriam; cui reſpondet quæſtio quanti, pro quibus, propter quos, aliquando enim ſignificat finem cui: huc pertinent argumentationes à ſufficientia vel conjunctione cauſarum, à præmiſſis ad concluſionem, à natura copulæ ad impulſivam pertinet, à jure, ab impoſſibili; poſſibili, facili, difficili, à voluntate; & facultate, à reſtricta ratione ad reſtrictionem legis, à ratione ampla ad extenſionem legis.

6. Cauſæ inſtrumentalis nota excellentiſſima eſt, per, niſi vel producentis vel producti naturæ repugnet: ablativi inſtrumentorum.

7. Cauſæ exemplaris nota eſt præpoſitio, ad cum accuſativo ſubſtantivi; juxta ſecundùm quando congruentiam notant.

8. Cauſæ materialis notę ſunt adjectiva corporũ naturalium & artificialium propriè non metaphoricè ſumptæ, præcipuè in eus, & inus deſinentia. Adverbia hinc, illinc. Item præpoſitiones ex, de, propriè ſumptæ: quæſtio ex quo, & nudè ſi nimirum hæc adverbia præpoſitio-

nes & quæſtiones reſpiciunt prædicta corpora vel iis analoga.

9. Cauſæ formalis notæ ſunt quæ cùm ſint notiones primæ vix dantur, quia pleraque præſertim ſubſtantiarum ſynonima: Item animæ rerum naturalium, voces hæ, modus, ratio, via, in accidentibus, relationibus: præpoſitio, per, internam cauſam notans: ablativi, hoc pacto, hâc ratione, hâc viâ, internum ordinem ſignificantes: gerundia in do, his æquipollentia, & quæſtiones ex his ortæ; imprimis, quomodo, applicatum accidentibus: huc pertinent argumentationes ab eſſentia rei, à differentia, à ſignificatione vocabulorum, à ſenſu ad ſcripturam: à quatenus ipſum ad de omni.

10. Effecti notæ ſunt, motus & res motu factæ: generaliſſimè ſumptis his vocibus. Verba activa, neutro-activa, deponentia & paſſiva cum activis, ſeu rebus cauſam notantibus conjuncta. Hic nota quod detur immeatio affectus & finis: item effecti & adjuncti. Effectus eſt quatenus eſt factus ab efficiente: finis quatenus movit efficientem, ut faceret.

Actiones verò immanentes ſunt adjuncta reſpecti ſubjecti, ſolentque tum per adjectiva efferri: effectus verò reſpectu formæ, ſolentque tum exprimi per verba activa & deponentia. Huc pertinent argumentationes ab utili, à praxi, à ſtylo curiæ & facto.

Ti-

Titulus ſecundus de notis ſubjecti & adjuncti.

1. Subjecti recipientis in ſe notæ ſunt nomina ſubſtantiva vel adjectiva ſubſtantivè ſumta, quibus adduntur adjectiva, modos, quantitatē, qualitatē, intrinſecas relationes, paſſiones reales in agente, adeoque bona vel mala interna, ſignificantia. Præpoſitio, in, præcedentium conjunctionem exprimens; vox, habere, internam & quaſi phyſicam profeſſionem denotans: quæſtio ubi, &, cujus, agens de unione intrinſeca.

2. Subjecti recipientis ad ſe, notæ ſunt nomina ſubſtantiva vel adjectiva ſubſtantivè ſumpta, quibus adduntur adjectiva locum, ſitum, aut habitum externum, adeoque bona & mala externa exprimentia: locus in quo additus ſubſtantiæ: præpoſitiones, in, ſub, ſuper, ſubter, locum indicantes, Vox *habere* externum & quaſi moralem ſeu ſymbioticam perſonam denotans: Item quæſtio ubi & cujus, de extrinſecis quærens. Huc pertinent argumentationes à perſona ad tempus, à loco ad rem vel perſonas, ad poſſeſſiones.

3. Objecti ſeu cauſæ occupantis notæ ſunt illa omnia circa quæ verſantur potentiæ, actiones ac ſubſtantiæ cognoſcentes ac appetentes, adeoque *ilia*, reſpectu *ivorum, ivitatum, antium, & ationum*, præpoſitiones, circa, de, ad, in, coram, erga; adverſus, ſuper, habitudinem ſeu reſpe-

reſpectum ſignificantes: quæſtio de quo, & circa quod, generaliter ſumptæ: hic accuratè eſt obſervandum quòd ſingularis detur ſubjecti & adjuncti immeatio in actionibus reflexis, ut cùm quis ſe ipſum intelligit, amat, res enim profundæ uno argumento plenè repræſentari nequeunt.

4. Adjuncti notæ ſunt, ſeu facile colliguntur ex notis ſubjecti: adjuncta igitur recepta in rem ſunt modi generales, quantitas, qualitas, relationes intrinſecæ, bona & mala interna, & paſſiones reales.

Adjuncta recepta ad rem ſunt ceu res locatæ, ſubſtantiæ aliis additæ, habitus externi, indumenta, bona & mala externa, itemque paſſiones, quale & quantum, generaliter ſumptæ.

Adjuncta occupata ſunt ſubſtantiæ, potentiæ, habitus cognoſcentes & appetentes ratione *Ilis*, adeoque & ipſæ actiones: huc pertinent argumentationes à proprio, à communibns accidentibus, à ſignis, à modo ſeu gradu rei ad rem: ad remotionem rei.

Titulus tertius de notis anteced. Connex. & Conſeq.

Antecedentium notæ ſunt termini ſignificantes anteceſſionem nudam, ita ut non ſit cauſæ, vel ſubjecti, ſcilicet ea quæ producunt ordine exiſtentiæ, durationis, loci, ut cauſa

ſine

ſine qua non; Principia quæ non poſſunt eſſe cauſæ vel propter ſuam imperfectionem, vel propter ſequentium perfectionem: Et omnes termini, *à quibus*, quâ tales propriè ſumpti: Adverbia hoc loco ſint ſumpta. Præpoſitiones, ante, præ; verbaque indebita abſolutè & ſine comparatione in tertio collata: huc pertinent argumentationes à priori ad poſterius, à præterito vel præſenti ad futurum, à præterito ad præſens, ab antecedentibus textus.

2. Ex antecedentibus facile innoteſcunt conſequentia quorum notæ ſunt præpoſitiones, poſt, ſecundum: Adverbia, deinde, deinceps, ſecuudò, tertiò; Huc pertinent argumentationes à poſteriori ad prius, à præſenti ad præteritum: à futuroad præſens vel præteritum; ab eſt tertii adjecti, ad eſt ſecnudi adjecti, ex conſequentibus textus.

3. Connexa ſunt quæ ſunt coordinata ratione exiſtentiæ, durationis, loci, ſitus & ordinis, ita ut nulla ſit dependentia, vel conſecutio, qualia ſunt cauſæ, adjuncta & partes coordinatæ, notæ ſunt adverbia, ſimul, unà, pariter: præpoſitiones, cum, prope, ponè, juxta: huc pertinent argumentationes à conjunctis, à tempore ad locum, à præterito ad præteritum, à præſenti ad præſens; à contextu.

Titulus 4. De notis diſſentaneorum.

1. Diſſentanea ſunt quæ de ſe invicem negantur: ubi eſt obſervanda immeatio, quodque uno reſpectu ſunt diſſeutanea, alio reſpectu poſſunt eſſe conſentanea: Notæ illorum adverbia, neque, ne, nullatenus.

2. Contradicentium notæ ſunt, negationes eidem termino additæ: vel termini genus aut differentiam immediatè negantes, ut homo irrationalis, homo non animal.

3. De Diverſis diverſæ ſunt authorum ſententiæ: Videntur enim plerique omnes res revera diſtinctas habere pro diſparatis ſi ſpecialior reſpectus ea non determinet ad aliam ſpeciem diſſentaneorum. Quatenus verò in ſubjecto res diſtinctæ convenire poterant, vocant eas diverſa. Nobis contra videtur quòd diſſentanea ſint quæ de ſe invicem negantur: Ea duplicia ſunt; alia quæ de ſe invicem negantur quidem, per naturam tamen de ſe invicem affirmari poſſunt: Alia verò quæ de ſe invicem nec in abſtracta nec in concreto affirmari queunt, & hæc vocamus oppoſita. Diverſa itaque nobis ſunt res diſtinctæ quâ tales, & à ſe ratione ſubjecti ſeparatæ, ſuâ tamen naturâ unibiles.

Notæ illorum ſunt conjunctiones diſcretivæ negativè uſurpatæ, non verò affirmativè, ut etſi, non tamen, quamvis, tamen non: affirmativè

affirmativè enim uſurpatæ indicant conſentanea, niſi implicitam quandam negationem in iis ſtatuas: huc pertinet prolepſis, item formulæ à diverſitate actionum, apparente contradictione, ab extraordinariis ad ordinarium negativè.

4. Oppoſita ſunt quæ ſimpliciter de ſe invicem, vel in abſtracto de ſe invicem affirmativè enuntiare, ſeu ſunt res ſeparatæ quæ uno ente uniri nequeunt: Notæ ſunt, Nullus, nemo, non hoc ſed illud, nimirum, ſi particula ſit adverſativa.

5. Diſparata ſunt multæ ſpecies ejuſdem vel diverſi generis. Item privationes incompatibiles. Illa igitur quæ uniri poſſunt, licèt ſint diverſiſſimi generis, quà talia non ſunt diſparata ſecundùm nos.

6. Relatorum notæ ſunt nomina notionum Logicarum, reſpectus ſymbiotici, eorumque termini inter ſe collati, ſcilicet quatenus de ſe invicem negantur: nam quatenus de ſe invicem affirmantur ſunt conſentanea.

7. Adverſa ſunt ſpecies idem genus per dichotomiam dividentes: ſive ſint ſubſtantiarum, ut differentiæ, & formæ ſubſtantiales, item ſubſtantiæ completæ, ſive accidentales, & quidem per omnia prædicamenta.

Notæ illorum ſunt nomina & phraſes, maximam diſtantiam ſignificantes, ut in Muſicis δυσ-διάπασον: Ex Geometris, è diametro: huc

 perti-

pertinent argumentationes ab abſurdo, ab aſyſtatis, incompoſſibilibus, & incompatibilibus.

8: Privantia ſunt quorum unum, aliquid certi ponit in rerum natura', alterum autem quod ab eo quâ tale eſt poſitum, ſimplicitur tollit: Eorum notæ ſunt omnia quæ ſubductionem ſeu ſpecialem ablationem indicant, adeoque cùm id quod per naturam vel inſtitutionem fuit vel eſſe debuit aut potuit negatur.

Titulus 5. De notis comparatorum.

1. Argumenta comparata ſunt quæ ſe reſpiciunt in certo tertio. Illorum notæ ſunt adverbia comparandi & conjunctiones iis æquipollentes.

2. Parium notæ ſunt, idem, tantus, quantus, totus, quotus: Adverbia, tam, quàm, æquè; ac conjugata & ſynonyma paris & æqualis: Item negationes imparium: huc pertinent argumentationes à pari ratione legis, à contrario ſtatu, ab æquipollentibus, ab analogia.

Imparium notæ ſunt negationes parium, comparativi, & ſuperlativi comparatè non diſtributi vè accepti.

Adverbia ordinis: præpoſitionis, ante, poſt, trans, ultra, ſupra, præ, omniaque inde derivata ac compoſita: Nomina & verba ſi reſpiciant tertium aliquod; formulæ, non ſolùm,

ſed

ſed etiam; non hoc, nedum, imò, nequidem, & aliæ quæ comparatam quandam diſtantiam ſignificant. In quibus quæ exceſſum ſignificant, denotant majus, quæ defectum, minus: huc pertinent argumentationes à potiori, à combinatione textuum, à ſuperlativo & comparativo ad poſitivum, à pluralitate ad unum.

4. Similium notæ ſunt, negationes diſſimilitudinis: Adjectiva talis, qualis: Adverbia ſimilutudinis, perinde ac ſi, omneſque metaphoræ: huc pertinent argumentationes à proportionalibus, à typo ad antitypum, & ab æquiparatis.

5. Notæ diſſimilum ſunt negationes ſimilitudinis: Adverbia diſſimilitudinis: & conjunctiones diſcretivæ diverſis rebus applicatæ.

Titulus 6. De notis argumentorum ortorum.

1. Notæ totiùs, ſunt voces quæ denotant aliquod completum ex variis conſtans: præpoſitio, ex, cum verbo, conſtat, conjuncta: verbum, habet, ſi jungatur cum rebus rem habentem conſtituentibus.

2. Notæ generis & ſpeciei ſunt omnia ſubſtantiva propriè in recto caſu de aliquo enuntiata: Eſt autem genus naturale, ut hic homo eſt animal: vel morale, ut hic homo eſt ſervus, princeps. Itaque una eademque res pro

diverſo reſpectu poteſt habere varia genera: Item præpoſitiones, è, & inter, cum voce diſtributivâ junctæ: & quæſtio quid? huc pertinent argumentationes à theſi ad hypotheſin, & viciſſim, ab omni ad aliquod, item à privilegio & ſingulari ad univerſale.

3. Individui notæ ſunt, nomina propria, vel pronomina demonſtrativa, aut periphraſis rei certæ ſeu unicæ.

4. Diſtributionis notæ ſunt, ſpecies cum genere, vel partes cum toto diſpoſitæ. Item voces, alius, quidam, ſimileſque de eadem re repetitæ. Adverbia ordinis, partim, hinc, illinc, hâc, illâc, ſimileſque oppoſitiones: Conjunctiones, cùm, tum, & copulativæ, iterativæ: quæſtio quotuplex? & ſimiles ex præcedentibus ortæ.

5. Conjugatorum notæ ſunt nomina ſubſtantiva, adjectiva, verba, participia: Adverbia & aliquando præpoſitiones ejuſdem originis, ac affinis ſignificationis, ſive ea ſint pura, ſive barbara.

6. Notationis, definitionis ac diſtributionis nominalis notæ ſunt particulæ explicitæ: huc pertinent formulæ à ſtylo, à verbis æquipollentibus, ab expreſſo ad tacitum, ab excluſivo ad univerſale in neceſſariis.

Ti-

Titulus 7, De Notis Teſtimonii.

Notæ teſtimonii ſunt, ſi Deo, Angelis, rectæ rationi, conſcientiæ, ſenſibus, conſuetudini, famæ, ſyngraphæ, ſimilibuſque addantur inſtrumentis hæ voces: teſtatur, aſſerit, dictat, dicit, prædicit, aut vox æquipollens.

2. Huc pertinent argumentationes ab authoritate, ab inſtrumentis, orginali copiâ, jurejurando, opinione, vulgique famâ, rumore, confeſſione, quæſtione, communique doctorum opinione, ab experientiâ univerſali & particulari

Atque hæc ſit compendioſa clavium topicarum ſylvula, quæ à ſedulo Logicæ ſtudioſo bonorum authorum lectione, & analyſi quotidie eſt augenda ac illuſtranda.

CAPUT XVII.

De geneſi axiomatica.

HUc uſque de praxi Logicâ heureticâ: ſequitur critica, quæ eſt præcedentium combinatio.

Eſtque Noetica vel Dianoetica.

Praxis Noetica ſeu axiomatica eſt geneſis & analyſis.

Geneſis axiomatica eſt propoſitionum excogi-

gitatio in ea excellit axiomatum inventio & variatio.

Inventio axiomatica eſt ſimplex vel multiplex.

Axiomatum variatio, eſt quâ eadem propoſitio variis modis, ſalvo ſenſu, effertur, ſeu eſt quâ plurimæ æquipollentes propoſitiones inveniuntur.

R E G U L Æ.

1. *Praxis heuretica eſt fons & norma Criticæ*; Sicut in Arithemeticâ multiplicationis radix eſt additio, diviſionis ſubſtractio: Ita in Logicâ praxi thematica & topica eſt radix praxeos Noeticæ & dianoeticæ, nimirum geneſis geneſeως; & Analyſis Analyſεως.

2. *Inventionis axiomaticæ videnda norma, materia, forma ſeu modus.*

Norma eſt rerum natura, adeoque terminorum definitiones; quibus omnis propoſitio congruat; ſecus eſt falſa. Itaque in tanto terminorum Labyrintho definitiones tanquam filum Ariadnes ſequamur.

Materia propoſitionum ſunt termini tabularum ſuperiorum: ubi obſerva regulam; Tot ſaltem poſſunt eſſe propoſitiones, quot ſunt terminorum binarii.

Forma conſiſtit in terminorum conjunctione, juxta varias propoſitionum ſpecies.

3. *Inventio propoſitionum ſimplex eſt,*

cum

cùm de uno themate, una propoſitio formatur: ejus regula eſt, Connecte terminum cum termino juxta leges axiomaticas ac argumentorum, & habebis propoſitionem : ut habes tres terminos, Deus, angelus, cœlum ; dico Deus creavit Angelum, creavit cœlũ, Angelus veteris Teſtamenti erat Deus : Angeli ſunt in cœlo &c.

4. *Inventio multiplex eſt cum de uno themate plurimæ imò infinitæ propoſitiones formantur* : ejus videndus eſt modus & delectus : modus conſiſtit in eo ut thema conſtituatur omnium centrum, reliqui tabulæ termini circonferentia ac quilibet terminus jungatur cum themate, vel ſolus & immediatè, vel cum aliis & mediatè, idque per omnes vel ſaltem pleraſque propoſitionum ſpecies.

Hæc autem deductio fit per diſciplinas generales, vel ſpeciales.

Generales ſunt Metaphyſica, Logica, Grammatica, Rhetorica, Oratoria. Utiliſſimè per has thema deducitur: inexhauſta enim hinc oritur cogitationum abyſſus.

Deductio per diſciplinas ſpeciales eſt homogenea vel heterogenea.

Homogenea quæ fit per eam diſciplinã ad quã thema reducitur, ut ſi thema ſit, ſocietas, Angelus, contractus &c: deductio homogenea erit per ſymbioticã, Heterogonea verò deductio erit per Geometriam: Ejus regula ſit, Thema tuum con-

conjunge cum quolibet termino diſciplinæ ſuæ.

Deductio heterogenea eſt quæ fit per reliquas diſciplinas ſpeciales: Ejus regula eſt: Utiliſſimè thema tuum cum omnium diſciplinarum terminis confer & conjunge. Sic ſi ſocietatem deducas per Phyſicam, Medicam, Architectonicam, multa egregia invenies, quæ tibi aliàs vel nunquam vel difficillimè incidiſſent.

5. *Delectus eſt quo illæ propoſitiones præferuntur, quæ ex accuratâ reductione, magis congruè cognoſcuntur.* In tanta propoſitionum varietate niſi judicio utamur, alios ac nos miſerrimè confundemus. Norma judicii ſit reductio, quâ ea eligimus, quæ & in ſe & reſpectu differentium ſunt convenientiſſima: Excellit autem deductio homogenea tum generalis, tum ſpecialis, tandem heterogenea; præſtat autem illa quæ fit per diſciplinas propinquiores.

6. *Multiplicatio propoſitionum eſt baſis omnis ſolidæ eruditionis: & quidem in omnibus diſciplinis:* nam qui ſuam ſcientiam non poteſt reducere ad certa axiomata, is caret omni fundamento. Propoſitiones enim ſunt ſemina omnis diſcurſûs. Maximè tamen excellit in terminis generalibus, ut propoſitiones per ſe notæ, quæ ſunt omnium diſciplinarum radices, inveniantur, quæ primorum axiomatum

matum inventio, ut eſt ſummè neceſſaria & facillima, ita à pauciſſimis Metaphyſicis attingitur: ſi enim primigenia axiomata noſtris mentibus quaſi inſculpta accuratè colligerentur ac pro naturæ claritate diſponerentur, non tanta eſſet plerorumque Metaphyſicorum obſcuritas ac futilitas.

7. *Variationis videndum fundamentum & modus*: fundamentum eſt infinita rerum ac terminorum concordantia ac immeatio; unde oritur infinitum terminorum ac clavium topicarum connubium: Eſt enim admiratione digniſſimum, quod vocum additione, ſubductione, ac permutatione, una propoſitio aliquot modis efferri poſſit.

8. *Modus conſiſtit in reductione & deductione.*

Reductio eſt totalis & partialis.

Totalis eſt cùm tota propoſitio reducitur ad ſuam ſedem.

Partialis eſt cùm omnes & ſinguli præpoſitionis termini ad ſuas ſedes & claſſes revocantur.

Deductio eſt quâ varianda propoſitio, ejuſque termini deducuntur per Encyclopædiam univerſam: & quidem primò per diſciplinas generales, putà Lexicam, Grammaticam, Rhetoricam, Logicam ac Mataphyſicam', quæ deductio eſt facillima: Deinde per diſciplinas ſpeciales, eaſque homogeneas, vel heterogeneas.

Eſt

Eſt autem hac deductio ſimplex vel combinata, cujus modi ſunt infiniti: nam vix ac ne vix quidem occurrit terminus, quin ad cujuſque variationem facit.

CAPUT XVIII.

De Analyſi axiomatica.

PRÆCEPTA.

Analyſis axiomatica eſt accurata de propoſitione in ſua principia reſolutio. Ea conſiſtit in propoſitionis rectificatione, & rectificatæ diſtinctione.

Rectificatio propoſitionis eſt analyſis axiomaticæ præparatio: Rectificatæ propoſitionis diſtinctio eſt ejus ad certam ſpeciem reductio.

REGULÆ.

1. *Analyſis axiomatica eſt baſis ſequentium praxium* : Nimirum geneſis axiomatica eſt fundamentum ſyllogiſticarum, & Methodicarum geneſium & analyſium, quare diligenter eſt obſervanda ac urgenda.

2. *Rectificatio propoſitionis conſiſtit in*

in Anomalæ ad Analogam, ſeu imperfectæ ad perfectam reductione. Nos hic vocem Anomalæ præpoſitionis generaliùs accipimus juxta caput quartum. De hac reductione notentur ſequentia.

1. Prima reſolventis cogitatio ſit num propoſitio ſit Analoga vel Anomala: Et ſi ſit Anomala, qualis Anomalia in ea occurat, an redundans, an deficiens, an inverſa.

2. In redundaute, amplificationes ſunt reſecandæ: in deficiente, neceſſaria addenda: in inverſa, partes ſunt ordine collocandæ.

3. Etſi in qualibet propoſitione, duo tantùm ſint argumenta, quæ partes ſunt principales, ſæpius tamen minùs principales adduntur, quæ vel ſubjectum, vel prędicatum, vel etiam copulam amplificant.

4. Defectus ſubjecti plerumque pronominibus compenſatur.

5. Ad inverſionem partium deprehendendam plurimùm facit hæc regula: prædicatum nunquam eſt anguſtius ſuo ſubjecto, ſed eo vel latius vel æquale.

6. Caſus obliqui ad rectos, tempus præteritum ac futurum ad præſens; Modus Imperativus, Subjunctivus & Optativus ad Indicativum, omneſque indirecti enuntiandi modi ad directos ſunt reducendi: hæc inquam reductio habet locum; ſi vero indirecti modi ponantur pro

pro directis. ſi nimirum ipſa vis indirecti modi intendatur, ritinenda eſt.

7. Præpoſitiones interrogativæ, dubitativæ & ſimiles, ſunt revocandæ ad enuntiativas, quam ad rem plurimùm faciunt voces, poteſt, vult, & debet, adhibitæ.

8. In omnibus propoſitionibus præſertim obſcurioribus diligenter eſt perpendendus contextus. Nam antecedentia, connexa & conſequentia ſunt veræ interpretationis menſura ac clavis.

Rectificatæ propoſitionis diſtinctio nititur collatione datæ propoſitionis cum tabula axiomatica: Tabula axiomatica eſt accurata recenſio omnium ſpecierum propoſitionis: Cùm hâc ſi diligenter conferas reſolvendam propoſitionem, facile videbis cujus generis ſit: quæ reductio niſi diligenter obſervetur, omne medium axiomaticum perturbatur: Graviter enim fallitur is qui propoſitionem ſimplicem habet pro compoſita, & viciſſim.

CAPUT XIX.

De geneſi ſyllogiſtica.

PRaxim Logicam axiomaticam excipit dianœtica quæ verſatur circa plurium propoſitionum

num conjunctionem: Eſtque ſyllogiſtica vel methodica.

Syllogiſtica eſt ſimplex vel combinata: ſimplex eſt Geneſis vel Analyſis.

Geneſis ſyllogiſtica, eſt ſyllogiſmorum inventio,

Eſtque materiæ vel formæ.

Inventio materiæ eſt quâ termini & propoſitiones connectendæ inveniuntur.

Ea fit reductione & deductione.

Inventio formæ eſt congrua terminorum ac propoſitionum diſpoſitio.

REGULÆ.

1. *Reductio in geneſi ſyllogiſtica eſt duplex*: Topica vel Axiomatica.

Topica eſt quâ ſinguli quæſtionum termini accuratiſſimè reducuntur ad trigam tabularum.

Axiomatica eſt quâ exacta inſtituitur duarum propoſitionum Analyſis.

2. *Deductio in Geneſi ſyllogiſtica eſt duplex*: Deductio eſt rerum collatio, eſtq; topica vel axiomatica: Topica eſt quâ termini quæſtionis cum terminis tabularum conferuntur, juxta regulam; ſubjectum, prædicamentum & copulam quæſtionis confer cum terminis Encyclopædiæ, prædicamentalibus, ac Logicis. Hæc eſt inventio materiæ remotæ.

De-

Deductio axiomatica eſt quâ quæſtio cum axiomatibus ſeu diſciplinarum principiis confertur, & iis conſentire, ſi ſit affirmanda, diſſentire ſi ſit neganda, oſtenditur. Hæc reductio, ut eſt facillima ita & utiliſſima: ſuppeditat nimirum, & quidem uberrimè, proximam ſyllogiſmi materiam, incipit enim à diſciplinis generalibus, inde deſcendit ad diſciplinas ſpeciales homogeneas tum heterogeneas: ſic ſi ſit confirmanda Theſis Theologica, percurrat pleroſq; textus biblicos qui ſunt indubitata Chriſtianæ dei axiomata, & perpendat, quænam lædantur ſi theſis negetur, quæque defendantur ſi affirmetur.

3. *Inventio formæ ſyllogiſticæ nititur collatione datæ quæſtionis cum tabula ſyllogiſtica.*

Tabula ſyllogiſtica eſt ordinata ſpecierum ac modorum ſyllogiſticorum ſeries, cum horum definitionibus, ſi quæſtionem ac materiam inventam conferas, iiſque ac terminorum naturæ convenientes inventam diſponas, expedita erit inventio formæ ſyllogiſticæ.

Quamvis autem ſyllogiſmi ſimplices ſeu categorici habeantur pro accuratioribus, compoſiti tamen ſunt facillimi & apud Claſſicos authores uſitatiſſimi, quod etiam ipſorum analyſis oſtendit.

Caput XX.

De analyſi ſyllogiſtica.

ANalyſis ſyllogiſmi eſt accuratum de ſyllogiſmo in ſua principia reſoluto, judicium. Ea conſiſtit in ſyllogiſmi rectificatione & rectificati diſtinctione.

Rectificatio eſt Analyſeos ſyllogiſticæ præparatio, quæ conſiſtit in obſervatione ſyllogiſmi & anomali ad analogum reductione.

Rectificati ſyllogiſmi diſtinctio eſt quâ ad certam legitimi ſyllogiſmi ſpeciem revocatur.

Regulæ.

1. *Syllogiſmi facile obſervantur ſi perpendantur ipſorum notæ.*

Notæ ſyllogiſticæ ſunt inplicitæ vel explicitæ.

Explicitæ ſunt conjunctiones ratiocinativæ, quæ ſunt rationales vel cauſales: conjunctiones rationales ſunt quibus conſequens ex antecedentibus colligitur, ſuntque notæ concluſionis, ut, ergo, igitur, itaque, ideo, quapropter, quocirca. Conjunctiones cauſales ſunt quibus ex antecedentibus cauſa redditur, ut enim, enimverò, etenim, ſiquidem, quoniam, quia, nam; hæ ſunt notæ præmiſſarum. Notæ

Notæ ſyllogiſmi implicitæ ſunt quæ ex textus collatione eruuntur; hæ ſunt uſitatiores in tractatibus conciſis magiſque artificioſis; Nimirum ſi una propoſitio vel pars propoſitionis ex altera ſequatur aut aliam inferat, ſyllogiſmus eſt.

2. Reductio Syllogiſmi anomali ad analogum inſtituatur, juxta ſequentes regulas.

1. Syllogiſmus deficiens perficiatur: defectus propoſitionis eſt; cùm pars conſequens quæſtionis: defectus aſſumptionis eſt cùm pars antecedens quæſtionis ſemel tantùm occurrit. Hic autem accuratè diſtinguenda eſt Elypſis Grammatica ab Ellipſi Logicâ: ſic ſi dicam Deus ſemper omnia ſcit, quia ſemper eſt perfectus, hîc tantùm ſemel occurrit vox Deus, loquendo Grammaticè: ſed bis Logicè, i. e. ſi reſpiciamus ſenſum.

2. Exceſſus ſyllogiſmi eſt axiomaticus vel ſyllogiſticus: Axiomaticus eſt cùm propoſitionum ſyllogiſticarum partes explicantur vel amplificantur. Exceſſus ſyllogiſticus eſt cùm confirmãtur; vel ex illis alia quędã immediata concluſio perducitur, quæ crypſis eſt frequẽtiſſima.

3. Inverſio ſyllogiſmi partium eſt varia & diligenter attendenda.

3. Rectificati ſyllogiſmi reductio nititur collatione cum tabulâ ſyllogiſtica, nimirum ſi cum ſingulis ſyllogiſmorum ſpe-

ſpeciebus ac modis exemplum conferatur, accuratè reducatur: Nam ſi judicium præcipitemus nec regulâ aliquâ gubernemus, ſæpius authori aliam ſpeciem ſyllogiſmi affingemus, vel ejus diſcurſum obtorto collo enarramus.

Caput XXI.

De artifitio poriſmatico.

Præcepta.

Ita ſe habet praxis ſyllogiſtica ſimplex, ſequitur combinata quæ eſt ſimplicis ſeu geneſeos & analyſeos ſyllogiſticæ mixtio & combinatio.

Eſtque Analyſi geneſis: & Geneſi analyſis: in illâ reſolutio, in hâc collatio ſyllogiſtica præcedit. Eſtque Artificium poriſmaticum vel Diſputatio. Artificium poriſmaticum eſt quod ex propoſitione aliqua aliam per bonam conſequentiam colligit.

Propoſitio ex quâ deducitur alia dicitur data, ſeu textus; & quæ ducitur, poriſma ſeu conſectarium.

Conſectarij videndæ communes diviſiones & Inventio.

Conſectarium eſt 1. Affirmativum vel Negativum: 2. Immediatum vel mediatum: 3. Theorecum, practicum vel poeticum.

Inventio conſectarij conſiſtit in reſolutione & collatione.

Regulæ.

1. *Artificium poriſmaticum eſt uſu infinitum, & ordine naturæ primum.*

Eſt vſu infinitum, quia eius beneficio, ex paucis poſſumus diſcere multa: oppidò enim falluntur illi qui ſperant ſe omnia lecturos, vel ab aliis cognituros: hi homines nunquam vel ad mediocrem eruditionem pervenient; ſed ſunt certa ſemina eruditionis colligenda, quæ hoc artificio obſtetricante, vberrimam meſſem producent.

Eſt ordine naturæ primum, ſi univerſalis diſciplinarum inventio ſpectetur: omnium enim diſciplinarum principia ſunt huius axiomatis, ens eſt, conſectaria; hæc enim propoſitio nunquam eſt excluſio ſed naturæ principium: eſt data, à naturâ hominum mentibus impreſſa.

2. *Bona conſequentia eſt quæ probato Canone Logico nititur.* Illi enim canones ſunt fontes omnis demonſtrationis: ut, ſi eſt effectus, fuit cauſa; ſi eſt adjunctum, eſt quoque ſubjectum, Itaque conſectaria deducturus, hos ſimilesque canones reſpicias.

3. *Conſequentia affirmata eſt quæ de-* ducit

ducit conſectarium affirmatum, negata negatum: Conſequentia affirmata fundatur in conſenſione, negata in diſſenſione argumentorum: ſic didaſcalica inſtitutio in bono, ſunt conſectaria affirmata: Elenchus & correctio in malo, negata.

4. *Conſequentia eſt immediata vel mediata.* Immediata eſt cùm ex data propoſitione conſectarium ſine alterius interventia elicitur, ſeu cùm termini ſine aliis uniuntur. Fit uno ſyllogimo, eſtque clarior. Conſequentia mediata eſt cum ex conſectario conſectarium elicitur: hæc pluribus ſyllogiſmis abſolvitur, eſtque obſcurior: Itaque cæteris paribus immediata præferenda eſt immediatæ.

5. *Conſectarium theoreticum eſt quod contemplationem veri, practicum quod actionem boni: Poeticum quod productionem artificioſā reſpicit.* Sic didaſcalia & Elenchus theoretica, pædeia & Epanorthoſis practica; paracleſis poetica ſuppeditant conſectaria. Utiliſſimū eſt autem omnibus propoſitionibus applicare hos tres modos, ut, verbum aſſumit carnem: verbum debuit aſſumere carnem: Verbum potuit aſſumere carnem: Chriſtus reſurrexit: Chriſtus debuit reſurgere: Chriſtus potuit reſurgere,

6. *Conſequentia eſt Axiomatica vel ſyllogiſtica:* Axiomatica eſt quæ immediatè edu-

educit conſectarium, citra alterius propoſitionis concurſum: Ea conſiſtit in æquipollentia, converſione, ſubalternatione & oppoſitione: ſic plerique Authores: Attamen ſi rem accuratius examinemus, deprehendemus omnem conſequentiam eſſe ſyllogiſticam: prædictæ autem conſequentiæ inſignem præſtant uſum in periphraſi & applicatione textus.

7. *Reſolutio poriſmatica eſt Axiomatica & Topica.*

Reſolutio Axiomatica eſt quâ data propoſitio in ſuos terminos reſolvitur: Ejus regula eſt: perpende ſingulos tuæ propoſitionis ſeu textus terminos.

Reſolutio topica eſt quâ ſingulorum terminorum conceptus eruuntur: Ejus regula eſt. Perpende ſingulorum terminorum in textu occurrentium tabulam topicam, v.g. cauſas, effecta, ſubjecta, & ſic deinceps: hæc reſolutio quò eſt accuratior, &, ut ita dicam, combinatior, èo feracior.

8. *Collatio eſt reſolutorum cum aliis conjunctio*: In hac operæ pretium eſt attendendere, quâ ſyllogiſmi ſpecie velimus inferre concluſionem: & an data ſeu confeſſa propoſitio ſit major vel minor ſyllogiſmi poriſmatici.

9. *Collatio Poriſmatica eſt Topica vel Axiomatica*: Collatio topica ſeu incomplexa, eſt quâ termini cum terminis conjunguntur:

Ejus

Ejus regula eſt: confer terminos textus cum terminis tabularum. Collatio Axiomatica ſeu complexa eſt qua termini & propoſitiones textus cum propoſitionibus diſciplinarum conferuntur: hæc eſt fructuoſior. ejus regula eſt; textum tuum confer cum axiomatibus diſciplinarum: utraque ſci licet tam topica quam axiomatica eſt generalis, cùm deducuntur reſoluta per diſciplinas generales, vel ſpeciales: hæcque homogenea quæ excellit: vel heterogenea quæ utiliter quoque inſtituitur.

10. *Analyſis poriſmatica eſt quâ obſervamus, quomodo alii conſectaria eduxerint.* Illuſtriſſima, nobiliſſima hujus artificii exēpla ſunt conſectaria, ſeu uſus ſcripturę: quę ſunt Theoretica, ut didaſcalia ſeu doctrina & elenchus ſeu refutatio: vel energetica quæ ſunt practica, Pædeia ſeu inſtitutio in bono, & Epanorthoſis ſeu correctio in malo: vel Poetica ut paracleſis, ſeu conſolatio & ſecuritatis depulſio.

De iis notentur ſequentes regulæ quarum beneficio omnes ſcripturarum uſus inveniri poſſunt & quidem facillimè.

1. *confer tuum textum cum doctrinis ſeu articulis fidei, & plurimas invenies didaſcalias*: Hic potes ſequi vel capita Catechetica, vel Catecheſin, vel aliquod accuratius com-

pendium Theologicum, aut Theologiam didacticam: quo enim tabula per quam fit deductio, eſt perfectior, èo hæc praxis eſt uberior ac exactior.

2. *Confer tuum textum cum erroribus fidei, & varii tibi ſuppetent Elenchi*: Hic poteſt ſequi Methodum Theologicæ Polemicæ,

3. *Confer tuum textum cum omnibus virtutibus, & variæ tibi ſuppetent pædiæ*: In hoc & ſequentibus uſibus percurratur Theologia moralis Ethica, & quatuor ſtatus vitæ humanæ.

4. *Confer tuum textum cum omnibus vitiis & habebis varias* Epanorthoſes.

5 *Confer tuum textum cum caſibus conſcientiæ, eruntque in promtu variæ conſolationes & cautiones.*

6. *Cum plures caſus inveneris, inſtitue delectum, textuique proximos, & circonſtantiis accommodatiſſimos ſelige.*

Atque hæc exempli loco de Theologicis conſectariis ſufficiant: inſtituatur quoque analyſis Theologica poriſmatica, ubi diligentiſſimè obſervanda ſunt conſectaria Prophetarum & Apoſtolorum, nec negligenda conſectaria

bon

bonorum authorum, putà Patrum, item celebriorum ac ſolidorum concionatorum, eorumque exempla imitanda.

Caput XXII.

De Diſputatione.

Præcepta.

DIſputatio eſt dubiæ veritatis ex variis axiomatibus ſyllogiſticis combinata inveſtigatio.

Diſputatio conſideratur vel in genere vel in ſpecie.

In genere videnda ſunt requiſita quæſtionis diſputandæ, diſputantis, & partes diſputationis.

Quæſtionis diſputandæ videnda eſt convenientia & reductio.

Partes diſputationis ſunt argumentatio & reſponſio.

Argumentatio eſt ſyllogiſmi veritatem probantis, aut falſitatem probantis inventio ſeu excogitatio.

Renſponſio eſt ſyllogiſmi contra veritatem oblati refutatio.

In ſpecie diſputatio eſt ſolitaria vel ſocia: Utraque eſt ſimplex vel mixta.

Simplex eſt Theologica, Juridica, Medica, Philoſophica, vel Mechanica.

Mixta eſt varia.

REGULÆ.

1. *Diſputatio eſt actus mentis Humanæ mixtus.*

Mixtus eſt partim ratione diſciplinarum, quia variarum cognitionem poſtulat; partim ratione proceſſuum Logicorum, nimirum Thematicorum, Topicorum, Axiomaticorum, & Syllogiſticorum: Partim denique ratione perſonarum ſi ſit ſocia. Pendet itaque diſputatio ab omnibus his actibus ſimplicibus: unde ejus nobilitas ac difficultas ſatis apparet, nimirum quod in bello eſt conflictus, id in ſtudiis eſt diſputatio.

2. *In diſputatione quæſtionis convenientia omnium primò eſt perpendenda.*

Primò igitur omnium conſideretur an ſit digna intelligentiâ, an pia, an utilis. Nam ſi omnem captum humanum ſuperat, vel non ſit dubia, ſed manifeſtæ veritatis, vel bonis moribus repugnet, vel denique inepta & ſtulta, rejicitur: Deinde cogitetur, num loco, tempori, & perſonis conveniat.

3. *Deinde quæſtio diſputanda eſt reducenda*; Reductio quæſtionis hic eſt quâ examinatur

natur ad illa diſciplinarum principia quorum beneficio eſt diſputandum, ut Lexicæ, Grammaticæ, Rethoricæ & Logicæ, & ſecundum principia diſciplinæ propriæ ad quam pertinet thema: Eò autem accuratiùs hæc convenientiæ examinatio ac reductio eſt inſtituenda, quo actus diſputationis eſt difficilior. Atque hæc eſt quæſtionis debita præparatio.

4. *Requiſita diſputantis ſunt ſcientia, conſcientia & prudentia diſputatoria.*

Scientia eſt quâ diſputans linguæ in quâ diſputat, & diſciplinæ de qua diſputat, Logices & Metaphyſices quarum adminiculo diſputat, eſt gnarus: ita ut illarum principia habeat in promptu.

Conſcientia requirit ut in diſputatione affectus & ſcopi ſynceritas adſit.

Affectûs ſinceritas eſt qua diſputans, irâ, timore ſimilive affectu non eſt impeditus.

Scopi ſinceritas eſt qua diſputans veritatem quærit, ſive exercitii gratiâ, ſive feriò diſputet.

Prudentia diſputatoria conſiſtit in legitima præmeditatione: Præmeditatio eſt qua diſputans adverſarii ſui fundamenta ac proceſſum meditatur. Sic reſpondens prævideat quibus principiis contra ſe uti queat opponens. Opponens verò reſpondentis hypotheſes, futuraſque reſponſiones meditetur.

Explicatio ſpectat proceſſum vel verba: pro

ceſſus ſemper ſit Logicus, idemque ſyllogiſticus. Declamationes enim Oratoriæ in diſputando ſunt planè aniles. In Verbis autem diſputator ſit nervoſus ac perſpicuus: Explicationis tamen gratia & confirmationis poteſt aliquid addi.

5. *Diſputans & proponens vel reſpondens.* Proponens eſt qui argumentis oſtendit ſuam theſim, cum principiis vel naturâ notis, vel utrinque conceſſis convenire, contrariam autem diſſētire Proponens igitur argumētatur, ſive veritatem propugnet, ſive falſitatem oppugnet, qui opponens dicitur.

6. *Argumentorum videnda copia & delectus*: Copia paratur Geneſi ſylllogiſticâ, cap. 19. hujus libri â nobis deſcripta. Tria autem hîc nota. Non ſolùm noſtra principia ſed & adverſariorum termini ac principia ſunt percurrenda. 2. Tabula teſtimoniorum ab adverſariis confeſſorum habeatur in promptu. 3. Si theſis ſit neganda, dicatur, hæc theſis eſt vera, quia verum eſt hoc principium, ut verum eſt quod Deus ab æterno omnia definiat, & in tempore efficaciter prædeterminet, quia nullus effectus Creaturæ eſt independens, quia omne inferius dependet à ſuperiori: quia Deus operatur omnia ſecundum ſuum beneplacitum.

Si verò ſit theſis oppugnanda, inferatur abſurdum, ſeu tollatur principium aliquod cui repug-

repugnet, ut ſi prædeſtinatio eſt ex præmiſſâ fide, ſcibile quâ tale, poteſt eſſe contingens, Deus dependet ab homine: homo eſt independens & in nobiliſſimâ quadam ſua actione: homo habet ſalvificum donum quod non accepit, non prædeſtinat Deus ſed homo.

7. *Delectus argumentorum eſt quo præcipua argumentorum ſeliguntur, nimirum non numero argumentorum ſed pondere certandum eſt.*

Eligantur igitur clariſſima ac efficaciſſima, & reliqua prudenter ſubjungantur, omnium clariſſima ſunt quæ primis principiis proxima ſunt: prudenter autem ſubordinantur argumenta, ſi diligenter inter ſe conferantur, ut unum alteri ſuccenturietur, minuſque præcipue fiant inſtantiæ ſuperiorum.

8. *Reſpondens eſt qui theſim ſuam à falſitate defendit*, qui ſcilicet oſtendit argumenta opponentis non probare eam falſam eſſe: reſponſionem inſigniter juvat argumenti repetitio.

9. *Reſponſio eſt directa vel indirecta:*

Directa eſt ad concluſionem vel ad præmiſſas. Ad concluſionem reſpondetur ſi concluſio ſit inconveniens, modo ſupra dicto, nec queat

queat reduci,ut ſi apertè ſit contra bonos mores, impia & aliena: itemque ſi ſit multiplex, ita ut non poſſit reduci ad unam quæſtionem. Conceſſione reſpondetur, ſi concluſio ſit vera, i.e. diſciplinarum principiis concordet.

10. *Ad præmiſſas reſpondetur negando vel diſtinguendo.* Ad præmiſſas reſpondetur ſi concluſio ſit diſputabilis & falſa. Nam ineptè negatur concluſio. Reſpondetur autem negando ad prę miſſas ſi ſint falſę: falſæ judicantur ſi principiis repugnent: utraq; negatur ſi utraq; repugnet, alterutra ſi una tantum. Diſtinguendo reſpondetur ſi vel utraq;: vel alterutra præmiſſarũ videtur conſẽtire cum uno, diſſentire cum alio diſciplinarum principio. Cùm enim utrumque reſolvendum ſit neceſſariò diſtinguendum erit. Eſt autem diſtinctio verbalis vel realis, illa invenitur juxta quartam, hæc juxta quintam Cap. 15. regulam Reſponſio igitur directa inſtituit Analyſim ſyllogiſmi, totius quidem ſyllogiſticam, partium verò axiomaticam.

Analyſis ſyllogiſtica expendit ſyllogiſmi objecti formam, eamque ad doctrinam ſyllogiſticam, axiomaticam probat vel improbat. Analyſis axiomatica præmiſſas axiomaticè judicatas concedit, negat vel diſtinguit. Reſponſio indirecta rarò eſt adhibenda,

11 *Reſponſio indirecta eſt quando aliquid contra diſputantis perſonam dicitu-*

vel

vel argumentum æque difficile regeritur.

12. *Argumentatio & reſponſio eſt prima vel ſecunda.*

Argumentatio prima eſt quæ oritur tantùm ex reſolutione theſeos.

Reſponſio prima eſt quæ reſolvit primam argumentationem. Argumentatio ſecunda eſt quæ oritur ex reſolutione primæ vel ſecundæ reſponſionis: vocatur inſtantia, ſive ſit ſecunda, tertia, vel quarta argumentatio.

Reſponſio ſecunda eſt reſolutio inſtantiarum. Utraque nihil eſt aliud quàm ſuperioris artificii iteratio: tamdiu hæc reciprocatio eſt inſtituenda, donec res utrinque ad principia confeſſa deducatur.

13. *Ex qualibet diſciplina ad quamlibet poſſumus petere argumenta refutatoria licèt non ſemper poſſimus confirmantia.* Nam quod falſum eſt in unâ diſciplinâ non poteſt eſſe verum in alterâ: ut quod repugnat principiis phyſicis, ethicis, hiſtoricis, juridicis, pronuntiat falſum. Multa tamen traduntur in unâ diſciplinâ quæ non docentur in aliâ: nimirum inferiores ſilent de myſteriis ſuperiorum, quamvis ea non inficientur, quod diligenter eſt obſervandum in quæſtionibus mixtis.

Caput XXIII.

De Geneſi Methodica.

Præcepta.

Sequitur praxis Methodica, quæ verſatur circa præcedentium terminorum, ſcilicet propoſitionum & ſyllogiſmorum inventorum ordinationem.

Ea eſt ſimplex vel combinata.

Simplex eſt Geneſis vel Analyſis Methodica.

Geneſis Methodica eſt congrua Methodi inventio: quæ eſt communis vel ſpecialis. Specialis eſt inventio Methodi acroamaticæ vel exotericæ.

Regulæ.

1. *Inventio Methodi communis conſiſtit in accuratiſſima rerum diſponendarum reductione & collatione.*

Reductio facit ad diſtinctionem, ut heterogenis rejectis homogenea omnia retineantur: Collatio eſt quâ omnia & ſingula, prima, media & poſtrema diligentiſſimè ſæpius inter ſe conferuntur.

2. *Methodus Acroamatica ſeu Analoga in diſcipliuarum ſyſtematibus eſt rigi-*

rigidiſſimè obſervanda: Hæc ſive ſit ſynthetica ſive Analytica omnia pro naturæ claritate diſponit, accuratam notitiam reſpicit, adeoque omnia homogenea ita inter ſe confert, ut generaliſſima primo ſubalterna medio, ſpecialiſſima ultimo loco collocet.

3. *Methodus exoterica ſeu anomala & rerum differendarum, & perſonarum diſſerentium rationem habet.* Itaque non ſolùm rerum diſponendarum, ſed etiam diſſerentium ſtatum, partim cum rebus, partim cum ſe ipſa confert.

4. *In Methodo exoterica excellit Cambium Methodicum.* Cambium Methodicum eſt quo thema unum tractatur methodo alterius thematis proportionalis, ut ſi thema theologicum tractatur methodo Bellicâ, Geometricâ, Juridicâ, Botanicâ, Medicâ, Mechanicâ: Quod artificium & inventione & uſu eſt artificioſiſſimum, eſt & ſimilium fons: ſingularem enim uſum tam in inventione, quàm in extemporali diſpoſitione uſum præſtat. Totum autem conſiſtit in thematis ad tabulas reductione, ut ſi thema ſignificet aliquem motum, poſſunt omnium motuum, ſi cognitionem, cognitionum methodi adhiberi.

CAP.

CAPUT. XXIV.

De Analyſi Methodica.

PRÆCEPTA.

ANaliſis Methodica eſt accuratum de Methodo ſeu tractatu in ſua principia reſoluto Judicium.

Methodi notæ ſunt particulæ ordinativæ, ut ſunt adverbia ordinis, primò, ſecundò, tertiò, poſtea, deinceps, præterea, cæterum: & Conjunctiones periodos conjungentes.

Analyſis Methodica conſiſtit in præcognitione & recognitione.

Præcognitio eſt Analyſis thematica, eaque accurratiſſima. Recognitio Methodica eſt quâ univerſi tractatus Anatome inſtituitur, partiumque ſymetria obſervatur.

REGULÆ.

1. *Analyſis Thematica præcognoſcens expendit Thematis, totiuſque tractatûs congruentiam ac reductionem.*

Congruentia thematis conſiderat tractatûs attributa ac principia. Tractatûs attributa ſunt neceſſitas, utilitas, facilitas ac jucunditas: principia tractatûs ſunt differentes eorumque ſtatus ſeu conditio: hîc itaque diligenter attendendum

dum eſt à quo, de quo, & ad quem differatur. Item ubi, & quomodo, &, uno verbo, quæſtiones ſimplices ſunt amplificandæ.

Reductio autem fiat ad tres tabulas.

2. *Recognitio Methodica ordine retrogrado procedit, ſi conferatur cum geneſi:* Eſt enim quędam partitio, ideoque incipit â partibus majoribus, & deſcendit ad minores, quem proceſſum pulcherrimè ob oculos ponunt tabulæ Analyticæ: facilè autem obſervatur partium ſymmetria, ſi Methodus diſtinctè ad ſuam claſſem, vel modum revocetur.

3. *Recognitio Methodica eſt nuda: vel cum rectificatione conjuncta:* Nuda eſt Methodi ſeu tractatûs analogi. Rectificatio eſt neceſſaria in methodo anomala, ubi aliquid eſt addendum, demendum vel tranſponendum: Hæc enim obſervat crypſes ſyllogiſticas.

Atque *hæc* dicta ſunt de praxi Methodica ſimplici: Combinata eſt varia, ut imitatio, amplificatio, ſimilesque modi.

CAPUT XXV.

De Praxi Logica combinata.

Huc usque de Praxi Logicâ ſimplici, ſequitur combinata; quæ præcedentes inter ſeſe miſcet.

Ea

Ea dividitur ratione rerum combinatarum vel ratione combinantium: vel ratione modi combinandi.

R E G U L Æ.

1. *Praxis Logica combinata uſu eſt infinita*: revera enim eſt accurata infinitæ rerum immeationis pictura.

Eſt autem facilis & perſpicua ſi praxes exactè cognoſcantur, difficilis imò impoſſibilis ſi ignorentur.

2. *Ratione rerum combinandarum praxis Logica combinata variatur per univerſam Encyclopædiam, ſingulaſque ipſius partes.*: ſic eſt praxis Theologico-juridica, Theologico Medica, Theologico-Philoſophica, Theologico-Mechanica, Juridico Geometrica, Juridico-Mechanica, & quis omnes eſſet recenſendo? Summâ autem cum voluptate ac utilitate reſolvuntur praxes combinatæ communiorum cambiorum artificioſorum, *ſymbiotica*, ut combinationes familiarum, Rerumpublicarum, bellorum: ac Phyſicæ, ut combinationes æthereæ, terreæ, æthereo aereæ, aerea aqueæ, & ſic deinceps.

3. *Ratione perſonarum combinantium variatur praxis Logica combinata, juxta ipſarum diſcrimina*: ut quod ſit ſolitaria vel ſocia: Sic eſt diſputatio, conſultatio, in-

ven-

ventio, meditatio, comparatio ſolitaria vel ſocia. Hæc autem perſonarum genera ex ſymbioticis ac Metaphyſicis facilè petuntur.

4. *Ratione modi combinandi praxis combinata eſt primò Geneſi-Analyſis vel Analyſi-Geneſis.*

Geneſi-Analyſis eſt cùm aliquod opus conficimus priùs, poſtea reſolvimus.

Analyſi-geneſis eſt cum ex opere reſoluto aliquid conficimus.

5. *Deinde ratione modi, praxis combinata eſt, binaria, ternaria, & ſic in infinitum.*

Praxis combinata non tam præceptis quàm uſu quotidiano eſt exprimenda, ac perpetuâ exercitatione conſumanda,

Ejus inexhauſtam utilitatem ut ſcholaſticus accuratiſſimus ante tria ſecula innuerat excogitavit ignoranti mirabilem ſed intelligenti facillimam alphabetariam revolutionem, quam qui (ob variarum literarum combinationem) contemnit, eo ipſo quoque algebram mirâ characterum conjunctione inſignem, condemnat. Ea profectò algebra vix centeſima eſt artis illius Catholicæ pars, quam, ut videtur, pauciſſimi intelligunt, pauciores verò in diſſertationibus ſuis exprimunt.

Finis Libri de Praxi Logica.

DE
LINGUÆ LATINÆ
Puritate, ornatu & copiâ.

SECTIO I.

De Literis Latinis.

I. Literę ejuſdem ordinis, claſſis, & familiæ ſunt communicabiles.
- A. Notat res claras.
- E. Suavitatem.
- I. Exilitatem.
- O. Lætitiam vel triſtitiam.
- U. Obſcuritatem.

II. Literæ ejuſdem organi ſunt communicabiles. Organa pronũtiationis ſunt, 1. Guttur, 2. Palatum. 3. Lingua, 4 Dentes. 5. Labia: unde *Literæ ſunt*
- 1. Gutturales. a, h. o.
- 2. Palatinæ. c, g, e, i, q, k, y.
- 3. Linguales. l, d, n, t.
- 4. Dentales. s, z, x. r.
- 5. Labiales. b, m, p, f, u.

III. Singulæ literæ habent peculiarem vim ad exprimendam naturam, rem, & affectus hominis.

IV. In literis ſpectanda eſt origo, pictura, & figura.

Sectio II.

Quænam eſt omnium optima methodus diſcendi?
Ignota doceantur & diſcantur ex notis.

De partibus Orationis conferendis cum Logica & Rhetorica.

I. Prędicabilia numero ex his notionibus Grammaticis denotantur.

Omnia vocabula referantur ad ſex iſta Prædicabilia.
Prædicabilia quem habent uſum?
Prædicabilia ſunt norma veritatis.

Nomen ſubſtantivum.

Proprium eſt nota individui, ut Deus eſt nomen proprium individui.

Nomen appellativum ſive *commune* eſt nota generis vel ſpeciei, ut homo, animal.

Nomen adjectivum eſt nota differentiæ, proprii vel accidentis.

Proprium legitimum prædicatur de ſuo ſubjecto, de Deo nullum prædicatur accidens. Prædicabilia omnia prædicantur in quid vel in quale, nihil de Deo prædicatur in quale, ſed omnia in quid. Individuum, genus & ſpecies prædicantur in quid. Differentia, proprium, accidens, in quale.

II. Prædicamenta has habent notas. Prædicamenta ſunt normæ diſtinctionis. Prædicamenta ſunt normæ amplificationis.

No-

Nomen ſubſtantivum eſt nomen ſubſtantiæ, ſi notet creatorem, vel creatur, ut terra eſt nomen ſubſtantiæ. Item natura eſt nomen ſubſtantiæ.

Solus Deus eſt bonus ſubſtantialiter.

Nomen magnitudinem vel multitudinem ſignificans, indicat prædicamentum quantitatis; ut mille.

Qualitatem notant nomina artium, virtutum, vitiorum, habitudinis, affectuum, ut deſperatio notat affectum.

Nomina in io notant actionem & paſſionem, ut creatio, ſcriptio, cogitatio, motio.

Sanctificatio noſtra eſt qua ſanctificamus nos.
Sanctificatio noſtri eſt qua Deus nos ſanctificat.
Itém juſtificatio eſt duplex, activa vel paſſiva.

Nomina ſignificantia reſpectum, ſignificant relationem, ut Dux, miles, ſunt relata. Sic etiam Frater fratris, Soror ſororis.

Nomina locum ſignificantia, manu ducunt nos ad predicamentum *ubi.*

Eſſe in cœlo, in terra, eſt in prædicamento *ubi.*

Idem judicium de Nominibus (vocibus) ſignificantibus tempus, poſitionem, veſtitum, vel ornatum.

Hæc enim indicant reliqua tria prædicamenta.

{ Diu noctu in Prædicamento *quando*. Eſſe ſagatum, togatum, in prædicamento habitus. Seſſio in prædicamento ſitus. }

Porro *Adverbia* denotant novem prædicamenta accidentis.

Talia ſunt *Adverbia* qualia ſunt *Nomina*.

Verba pleraque notant actionem, paſſionem, vel relationem, ut ordino, numero, notant relationem, diſpono, notat actionem relativam;

Verba Deponentia notant actionem. Neutra paſſionem.

III. *Thema ſimplex* indicat quęlibet vox in lexico reperta. e. g. Deus & res ſunt Themata ſimplicia.

{ Themata ſimplicia dicuntur, quia quot ſunt voces, tot ſunt themata ſimplicia. }

Deinde quæſtiones quæ habent pręfixum, annum, vel utrum, ſunt compoſitæ, ſeu themata compoſita. Reliquæ quæſtiones ſunt omnes ſimplices, ſeu themata ſimplicia.

1. In Syllogiſmo concluſio eſt *Thema compoſitum*.
2. Denique in propoſitione ſive axiomate, pars antecedens eſt *Thema ſimplex*.
3. In methodo utrumque poteſt diſponi.

Hinc Conjunctiones: ergo, quapropter, idcirco, igitur, ſemper notant quæſtionem compoſitam, in Syllogiſmo concluſam.

IV. Loca

IV. *Loca inventionis* ſive *Argumenta* his notis indicantur.

Cauſam efficientem & *Effectum* indicant	Nomina & verba actionem, motum, Authorem, Artificem indicantia. e. g. Omnia enim à Deo ſignificant cauſam efficientem & effectum.
Cauſam ſolitaria notant particulæ	Sola, ſolum, tantum, tantummodo, & reliquæ excluſivæ.
Cauſam principalem notant particulæ	Primus, primo, præcipuè, inprimis, & omnes voces prærogativam denotantes.

Cauſam inſtrumentalem indicant omnia quæ ſubordinationem ſignificant, & huc pertinent omnia inſtrumenta artium liberalium & Mechanicarum.

Cauſam impulſivam ſive impellentem notant voces, quibus motus, & irritatio ſignificatur. Dicitur alias cauſa motiva.

Cauſam per ſe indicant	Argumenta naturalia & voluntaria ut aqua refrigerat, aqua fluit, magnes trahit ferrum naturâ.

Non datur hic tertium,
Natura & voluntas notant cauſam per ſe.

Cauſam per Accidens indicant — Error, fortuna, imprudentia, abuſus & coactio, e.g. vinũ inebriat, quia abuſus pertinet ad accidens.

Materiam indicant — Elementa & ſemina rerum. Item præcepta, Artium omnia Adjectiva deſinentia in Eus, Particulæ de, & ex, & deniq; materialia quibus utuntur opifices.

Formam denotant — Nomina abſtracta quæ deſinunt in tas, ia, do, ut bonitas, audacia, beatitudo.

Abſtracta ſunt formæ.

Forma artificialis ſive externa exprimitur nominibus figuram ſignificantibus.

Nomina figurarum ſemper notant formam externam.

Finem notant ipſæ voces — Scopus, intentio, propoſitum, ut quo res, e. g Ego mihi propoſui ut te informem, Deus nos creavit ut illum amemus.

Effectum indicant — Verba motum, rem motu factam utilitatem, inutilitatem ſignificantia, item particula quod.

Verba indicant motum activum vel paſſivum.

No-

Nomina in (io) notant motum, id eſt actionem & paſſionem ſimul.

{ Quicquid notat motum, notat etiam effectum. }

Subjectum & *adjunctum* indicant	Subſtantivum & Adjectivum

{ Adjunctū eſt verè vel quaſi adjunctum, quaſi id eſt Analogice, id eſt, quadam ſimilitudine tantum. }

Locus etiam ad ſubjectum pertinet, ſicuti tempus ad adjunctum.

Denique particulæ, in, de, circa, notant ſubjectum occupans ſive objectum: omnia vero agentia, omneſque artes & artifices, pertinent ad adjunctum occupatum.

Diverſorum notæ ſunt	Conjunctiones diſcretivæ, itemque omnes vere diſtinctiones, v. g. ſic pius non eſt pauper.
Diſparatorum notæ ſunt	Subſtantiæ plures, itemque Accdentia plura inter ſe non pugnantia.

Omnes notiones Logicæ ſunt relata, itemq; omnes ordines vitæ humanæ, v. g. cauſa, & effectum, ſubjectum & adjunctum &c.

Adverſorũ Notæ ſunt omnia quæ repugnantia notãt. { qualitates inter ſe pugnant, propter qualitates ſubſtantię.

Contradicentiũ nota eſt primum illud principium (impoſſibile eſt idem eſſe & non eſſe, ſeu eſt) id eſt, omnia in mundo probantur per eſt non eſt, e. g. aũt Deus eſt aut non eſt, aut liber eſt aut non eſt.

Privantium notæ ſunt vocabula quæ perfectionem vel illius abſentiam aut defectum notant, ſive ſint nom. pronom. part. adver.

Parium notæ ſunt omnia vocabula quæ eusdem gradum notant, ſive ſint gradus poſ. comp. ſuperl.

Imparia i. e. majora vel minora imprimuntur vocabulis alium & alium gradum denotantibus, unde aliud dicitur excedens, aliud exceſſum.

Similia ſunt omnia, quæ dicuntur per Metaphoram, vel Analogiam, quo pertinet elegans illa regula. Omnia de omni poſſunt dici Analogice, ſeu de diſparata omnia poſſuut fieri comparata.

Diſſimilia omnia indicantur notis diverſam qualitatem, ſeu diverſæ qualitatis tertium indicantibus.

Ortorum notæ perpetuæ ſunt, relatio conſentanea, vel relatio diſſentanea, ut genus & ſpecies ſunt conſentanea.

Con-

Conjugatorum notæ ſunt, abſtractum, concretum, & concreti adverbium, & hic ordo in conjugatis Logicis obtinet, ſed in conjugatione Grammatica abſtractum, oritur à concreto. E. g. L. Sapientia, ſapiens, ſapienter.
G. Sapiens, ſapientia, &c.

Notitio Logica hoc ipſo differt à notatione Grammatica, quod illa (nempe Logica) reddit hujus rationem, ex loco aliquo inventionis Logicæ.

Diſtributio integri in membra, hoc uno diſcernitur, à diſtributione generis in ſpecies, quod ibi totum prædicatur de partibus, in caſu obliquo, h. e. in genitivo. Hic autem in caſu recto, id eſt in nominativo.

Alias notæ diſtributionis ſunt vocabula totum & partem, genus & ſpeciem indicantia. Itemque multitudo ſubjectorum, vel adjunctorum, id eſt adjectivorum.

Definitio & *deſcriptio* diſcernuntur, quod ibi differentia ſpecifica, hic vero qualiſcunque ponitur. Utriuſque autem nota eſt quæſtio quid e. g. Quid eſt homo? eſt animal.

Teſtimonii notæ ſunt, omnia quæ ex libro naturæ, ſcripturæ vel experientiæ adducuntur: ut huc pertineant ſententiæ, dicta, apophtegmata, proverbia, confeſſionis &c.

Hiſce meis oculis vidi, eſt teſtimonium experientiæ:

V. *Notæ Axiomatis* ita ſe habent, periodus ita dividitur ut axioma, e. g aut fide juſtificamur, aut operibus, eſt periodus disjunctiva.

Affirmationis & *Negationis* particulæ indicant conſenſionem vel diſſenſionem.

Axioma eſt vel *conſenſivum* vel *diſſenſivum*, non datur tertium.

Axioma modale indicatur iſtis vocabulis; neceſſe, contingens, impoſſibile, poſſibile, qui quidem ſunt modi principales, præter hos dantur & alii, qualis, quantus, talis &c.

{ Axioma vel eſt modale vel non modale. }

Particulæ excluſivæ, exceptivæ, & limitativæ varie afficiunt axioma, e. g. ſola fide juſtificamur.

Excluſio. Saltem unicam juſtam vini bibam. Manſio.

Nulli niſi fideles ſunt participes Chriſti, eſt axioma except.

Omne animal præter hominem eſt ratione expers, axiom. except.

{ Limitare nihil aliud eſt quam diſtinguere, e. g. Deus creavit omnia præter ſeſe. }

Qui bene diſtinguit, bene docet, axiom. limitat. homo quatenus eſt animal ſentit, axiom. adſtrictivum, quia conſtat ſigno limitante.

Ver-

Verbum ſubſtantivum eſt ſignum axiomatis ſimplicis, ut & omnia reliqua verba. Illa ſiquidem reſolvi poſſunt, & debent in verbum *ſum*, v. g. Deus creavit mundum, id eſt Deus eſt Creator mundi.

{ Ubi eſt verbum ſubſtantivum, ibi eſt axioma ſimplex }

Vocabula univerſitatis notant axioma generale, ut omnis, nullus, quicunque, nemo non, v. g. omnis homo eſt animal. Sic aliquis, quidam, nonnulli, &c. notant axioma particulare, v. g. quidam pauperes ſunt beati. Sed axioma ſingulare indicant nomina propria, per excellentiam poſita & periphraſtica, v. g. Petrus fuit Apoſtolus, dicitur etiam proprium.

Notæ individui ſunt etiam notæ axiomatis ſingularis, v. g. ego, tu, hic, is, ille, meus, tuus, nomen proprium eſt Periphraſis rei ſingularis.

Conjunctiones copulativæ particulæ diſtributivæ & relativæ indicant axioma copulatum. Intellige relationem loci, temporis, quantitatis, qualitatis, & ſimilitudinis, v. g. Animal eſt homo vel beſtia, eſt axioma copulatum. Axiom. relat. temp. poſtquam venit Romam, ſubito exanimatus eſt. Relat. loc. ubi non eſt conſilium, ibi perit populus. Quoniam feciſti iſtud, maledictus eris *Gen.* 3. 14. homo conſtat corpore & anima. Axiom. diſtributiv.

Axioma connexum indicant *conjunctiones connexivæ*, hoc autem axiomate omnia argumenta poſſunt diſponi, exceptis ſolis diverſi, v. g. Si Deus eſt, providentia eſt:

{ Sola diverſa non ingrediuntur axioma connexum. }

Notæ Axomatis diſcreti, ſunt eædem, quæ argumentorum diverſorum, quia hoc axiomate ſola diverſa diſponuntur. Unde & ejus nota eſt Prolepſis ſive occupatio. Alias appellatur præoccupatio, e g. tu es Saxo, ergo es bibo. Solvitur, etſi ego ſum Saxo, non tamen ſum bibo; quamquam Deus permittit peccatum, tamen non eſt Author peccati. Quo pertinet regula, Falſum ſi. tollitur per verum etſi.

Axiomatis disjuncti notæ ſunt conjunctiones disjunctivæ unde in hoc axiomate diſponuntur omnia argumenta, exceptis ſolis diverſis juxta regulam. *Falſum aut* tollitur per *verum &*, *aut*, *&*, e. g. tu es homo & ens, tu aut es dives aut pius, quia hæc ſunt diverſa, *verum* e. g aut fide juſtificamur aut operibus.

VI. *Syllogiſmi* notæ ſunt conjunctiones cauſales & rationales. Sic v. g. particulæ, *Quia*, *enim*, *nam*, *quoniam*, &c. indicant majorem vel minorem propoſitionem, adeoque medium terminum, ſive argumentum demonſtrans. Particulæ *ergo*, *igitur*, *idcirco*, &c. indicant concluſionem ſive thema compoſitum. Sic phraſes illæ, ex his efficitur, ex his relinquitur, ex his

his videre eſt &c. æquipollentur particulis illativis.

Porro ſyllogiſmi connexi & disjunĉti notæ eædem ſunt, cum axiomate connexo & disjunĉto.

Denique in ſyllogiſmo connexo peculiares formulæ eleganter adhibentur, v g. Atqui verum eſt antecedens, ergo & conſequens. Sed verum eſt prius, E. & poſterius, falſum eſt hoc, E. & illud.

VII. *Methodum* indicant primo particulæ connexiles, uti ſunt adverbia ordinis, & ipſis ſimilia,, v. g. *Principio, deinde, præterea, porro, inſuper*, atque ut hinc profiſcatur oratio mea, ad extremum &c.

Dein formulæ tranſitionum, *hactenus, hucuſque, reſtat, ſupereſt* &c. Atque ex his patet quomodo linguam latinam debeamus conferre cum univerſa Logica. Quæ quidem collatio eſt gemina. Primo non omnes voces & phraſes debemus referre ad inſtrumenta Logica. Dein oportet in hiſce omnibus triplicem Logicæ finem ſpeĉtare qui eſt decernere verum à falſo beneficio axiomatis, diſcernere conſequentiam ab inconſequentia, adminiculo ſyllogiſmi. Dein diſcernere ordinem & confuſionem beneficio Methodi,

VIII. *Rethorica* diſcenda eſt partim *ex Logica*, partim *ex Grammatica*.

Ex

Ex Logica quidam hoc modo. Metonymia oritur ex argumentis conſentaneis. Ironia ex oppoſitis. Metaphora ex ſimilibus, Synecdoche ex quatuor ortis. Puta ex toto & parte, genere & ſpecie, quando nempe ex hiſce relatum ponitur pro correlato (hic autem oportet ante oculos habere Abacos inventionis Logicæ, hoc eſt notas illas argumentorum, quas ſupra commemoravimus.

Ex *Grammatica* vero hunc in modum. Oportet videre ubi ſubſtantivum ponatur pro adjectivo. Epitheton ſeu adjectivum pro participio activo, ſingularis pro plurali, & pluralis pro ſingulari. (Nominatim hic obſervandum eſt, quod omnia de omni poſſint dici, idque vel proprie vel improprie.)

Ad figuras dictionis & ſententiæ quod attinet, de illis tenendum eſt, quod una figura pluribus argumentis ornate diſponendis & enuntiandis ſervire poſſit, v. g. Epizeuxis diſponit cauſas & effecta, ſubjecta & adjuncta &c,

Interim tamen quælibet figura certis quibuſdam argumentis inter ſeſe diſponendis, & enuntiandis, ſervit inſigniter.

Anadiploſis & Climax diſpoſitioni minorum & majorum. Occupatio oppoſitis, ſive ſolutioni objectionis &c. ſervit.

{ Minora & majora cernuntur in cauſis & in effectis. }

SECTIO

Sectio III.

De applicatione partium Orationis.

Applicatio partium Orationis eſt vel generalis vel ſpecialis.

Generalis eſt degeneratio, tranſmutatio, paronomiſia, derivatio & compoſitio.

Degeneratio eſt qua una pars Orationis in aliam tranſit, vel etiam affectio unius partis aliam induit, e. g. cùm nomen adverbia ſcit, vel adverbium nomina ſcit, ſubſtantivum adjectiva ſcit, &c.

Degeneratio alia eſt moralis, alia notionalis.

Tranſmutatio eſt, qua in ſingulis Orationis partibus, ex una voce duæ, tres, vel etiam plures tanquam ex theſauro eruuntur, e.g. *amore, more, ore, re*, &c.

Paronomaſia eſt vocum ſuavis harmonia, ſive concentus.

Derivatio eſt, qua ab una voce primitiva, derivantur aliæ multæ, ita nempe ut terminationes & earum vires ſemper ſint in conſpectu, v.g. ab adjectivis in, *us*, fiunt ſubſtantiva in, *ia*, & adverbia in, *e*, &c.

Compoſitio fit tribus modis, puta ope præpoſitionum, vocum illiteratarum, & denique corruptarum, quarum loco ſæpè etiam voces integræ uſurpantur.

Appli-

Applicatio ſpecialis in ſingulis partibus Orationis ita ſe habet.

I. In nomine magnum eſt operæ pretium, 1. Omnia quæ ſimiliter declinantur, quæque ſunt ejuſdem generis, revocare ad certa capita, quod etiam in verbis eſt obſervandum. 2. Deinde in nomine attendenda eſt vis caſuum, eaque colligenda ex locis inventionis Logicæ. 3. Claſſes nominum certæ ſunt conſtituendæ, ut ſciamus quæ nomina ſint materialia, formalia, numeralia, ordinalia, interrogativa, redditiva, &c.

Præterea diſcendum eſt quomodo nomina conferantur, cum notionibus Logicis. Sunt enim nomina ductiva, diminutiva, relativa, &c.

II. In pronomine inprimis oportet attendere, quæ ſint ſubſtantiva, quæ adjectiva. Deinde tres perſonæ in pronomine ſunt explicitè, ut & in verbis. Sed etiam in nomine ſunt implicitè.

III. In verbis omnium prima tradenda eſt conjugatio verbi *ſum*. Deinde obſervandum eſt, quod omnia verba notent, vel actionem vel paſſionem, eamque intenſam, remiſſam, intranſitivam, tranſitivam, &c. unde cum terminis Logicis verba omnia ſunt conferenda; denique verba moderantur Axioma ſimplex.

Verbum ſubſtantivum eſt menſura reliquorum verborum.

IV. *Par-*

IV. *Participium* ſæpè nomina ſcit, quæ degeneratio non tantum in linguâ latinâ, ſed etiam in interiori Philoſophia magnum habet uſum.

Participium concipitur in actu ſecundo, nomen vero in actu primo, v.g. Salvete Studentes, id eſt, qui ipſo actu ſtudetis.

V. *Adverbia* nil ſunt aliud quam Epitheta verborum, unde fit ut ab illis pendeat modificatio mirabilis.

VI. *Propoſitiones* ſunt judicinæ cauſarum, & reliquorum Argumentorum conſentaneorum, itemque quorundam diſſentaneorum, & comparatorum.

VII. *Conjunctiones* ſerviunt Axiomati compoſito, Syllogiſmo & Methodo. Sic adverbia quædam indicant diſpoſitionem Methodicam.

VIII. *Interjectiones* & ipſæ ſerviunt connexioni, ſed & affectus omnes egregiè repreſentant, præſertim ſi naturam vocalium & conſonarum nobis diligenter ob oculos ponamus.

{ Vocales ſunt menſuræ interjectionum. }

Sectio IV.

De ornatu linguæ latinæ.

ORnatus linguæ latinæ alius eſt Grammaticus, alius Rhetoricus.

Ornatus Grammaticus cernitur in elegantia compoſitionis, & diſtinctionis.

Ornata compoſitio cernitur his Regulis.

I. Delectus vocum habeatur, ita ut illæ eligantur, quæ magis ad rem faciunt.

II. Sicuti inter vocabula datur elevatio, ſic etiam inter Phraſes, ubi imprimis elegantia Syntactica ante oculos aſt habenda.

III. *Tranſpoſitio* vocum magnum etiam adfert ornatum Orationi, ut nobiſcum, non cum nobis.

IV. *Phraſes* poſſunt & debent formari juxta Analogiam aliam Phraſium Neque enim hoc eſt fingere Phraſes ſed imitari, & applicare, v. g. ille eſt ferendo, iſte eſt portando, tollerando, &c. ſic ſtudet alacriter.

V. Ornata diſtinctio nititur hoc fundamento. Periodus diſtinguitur, ut Axioma. Proinde diſtinctio periodi pendet à judicio Axiomatis, additis nonnullis obſervationibus Rhetoricis hoc modo.

Axioma

I. Axioma ſimpliciſſimum tantum admittit punctum.

II. Axioma ſimplex ſed non ſimpliciſſimum admittit comma & punctum.

III. Axioma copulatum tot habet commata, quot habet copulas, ut Deus eſt juſtus, qualis Rex, talis Grex.

IV. In Axiomate connexivo, antecedens à conſequente diſtinguitur.

V. In Axiomate diſcreto & disjuncto ſimiliter antecedens à conſequente diſtinguitur per comma, ut, etſi premimur, tamen non opprimimur.

VI. In Syllogiſmo præmiſſa à ſe invicem debent diſtingui per comma, ubi Propoſitio ponitur, ibi ſemper punctum; ubi aſſumptio, ibi ſemper comma.

VII. In Methodo ſemper particulæ connexiles indicant novum periodum. Idem judicium eſt in Syllogiſmo de conjunctionibus, tum cauſalibus, tum rationalibus.

VIII. Nomina & pronomina interrogativa 1. requirunt ſignum interrogationis, ut quis legem tulit?Rullus.

IX. Interjectiones requirunt ſignum exclamationis, ut ô quantum malum eſt ignominia.

Ornatus

Ornatus Rethoricus cernitur his Regulis.

I. Ornatus Rhetoricus comparatus eſt ad delectandum, & flectendum, ſive movendum.

Officia oratoris ſunt tria: Docere. Delectare. Movere.

Grammatica & Logica faciunt ad docendum.
Rethorica ſola ad delectandum & movendum.

II. Ornatus Rhetoricus abſolvitur luminibus ſive coloribus troporum & figurarum.

III. Multimoda eſt connexio troporum inter ſeſe, & figurarum inter ſeſe, & denique troporum & figurarū inter ſeſe, vulgo dicitur concurſus troporum, e.g ô exclam. tectum non eſt domus Synecdochice.

IV. Clavis troporum hæc eſt, tropus nihil aliud eſt, quam permutatio argumentorum Logicorum, inter quæ eſt relatio, cum nempe vox unius argumenti, ponitur pro voce alterius argumenti, ſcilicet correlati.

V. In tropis & figuris oportet ante oculos habere tabulam formularum, quia quilibet tropus, de qualibet figura habet certas formulas.

Figuræ

VI. Figuræ dictionis non ita faciunt ad movendum, ut figuræ ſententiæ, unde illæ floribus, hæ machinis comparantur.

VII. Lumina Rhetorica faciunt ad memoriæ promptitudindm, nempe tropi & figuræ, cient affectus, & hi memoriam excitant juxta & fovent.

Memoria comparatur. 1. repetitione crebrâ, 2. Ordine affectuoſo. Memoria eſt, 1. ſenſitiva quæ juvatur motione, 2. Intellectiva quæ juvatur repetitione.

VIII. Geſtus faciunt ad præſentiam animi, ideoque ut ipſi memoriam juvant.

IX. Vox debet ſequi ſubjectam materiam; & geſtus debent ſequi ipſammet vocem.

X. In quolibet Themate Rhetoricè tractando, debemus conſiderare Characterem, qui eſt triplex. 1. Humilis. 2. Mediocris. 3. Sublimis: hic namque Character eſt menſura ornatus Rhetorici univerſi, imo totius artificii Oratoris.

Sectio V.

De Copia Verborum.

CUm loquentia nihil ſit aliud, quam copioſe loquens ſapientia, non ſatis eſt, puritatem & ornatum in hac illa lingua ſpectare, ſed inſuper requiritur copia, eaque tum verborum, tum rerum.

Quævis oratio debet eſſe { Pura, Ornata, Copioſa. }

Copia verborum tribus continetur artificiis, videlicet artificio reductionis vocabulorum, combinationis vocabulorum, & variationis ejuſdemque ſententiæ.

Artificium reductionis eſt, cum quodlibet vocabulum reducitur ad ſuam diſciplinam, vel etiam plures diſciplinas, ut hac ratione ipſius natura cognoſcatur, & cum aliis vocabulis conferatur.

Artificium combinationis eſt, quo quodlibet vocabulum cum quolibet conjungi poteſt, ita nempe ut affectio ipſius ex logica cognoſcatur: Quodlibet autem vocabulum ſuſtinere poteſt affectionem Thematicam, Topicam, Axiomaticam, Syllogiſticam, & Methodicam.

Arti-

Artificium variationis eſt, cum quælibet ſententia oblata infinitis modis aliter & aliter enuntiatur, manente uno eodemque ſenſu.

Tametſi autem hujus variationis tot ſunt genera, quot ſunt genera diſciplinarum, tamen tria iſta genera poſſunt nobis ſufficere utpote magis id eſt immediate ſpectantia, ad ipſasmet voces, videlicet Lexica *Grammatica & Rhetorica*.

Simplex eſt vel Lexica tantum, vel Grammatica tantum, vel Rhetorica tantum.

Combinata eſt 1. *Lexico Grammatica*, vel *Lexico Rhetorica*. 2. *Grammatico Lexica*, vel *Grammatico Rhetorica*, 3. *Rhetorico Lexica*, & *Rhetorico Grammatica*. Duæ quidam combinatis ab immeatione verborum. Sic igitur in univerſum ſunt novem genera variationis Philologicæ, de quibus totidem ſunt regulæ.

Regula I.

Compendium lexici fit ad manum, & pro ſingulis vocibus ſententiæ variandæ ſubſtituantur aliæ, vel ex ſingulis, vel ex pleriſque Alphabethi literis.

Regula II.

Variatio Grammatica inſtituitur juxta ſyntaxim variationis, quæ docet permutare partes orationis, accidentia partium iſtarum, itemque percurrit ipſas regulas in Syntaxim convenientiæ & rectionis.

Re-

Regula III.

Variatio Rhetorica ſententiam variandam deducit per 24. lumina troporum & figurarum imprimis vero figurarum.

Regula IV.

Lexico Grammaticè variabis, ſi quodlibet exemplum variationis lexicæ, deducas per Grammaticam.

Regula V.

Lexico Rhetoricè variabis, ſi ſingula exempla variationis lexicæ deducas per Rhetoricam.

Regula VI.

Grammatico Lexicè variabis, ſi exemplum variationis Grammaticæ deducas per lexicon.

Regulo VII.

Grammatico Rhetoricè variabis, ſi quodlibet exemplum variationis Grammaticæ deducas per inſtrumenta Rhetorica.

Regula VIII.

Rhetorico Lexicè variabis, ſi exemplum Rhetoricè variatum deducas per Lexicon, e. g. omnes homines flagrant deſiderio.

Regula IX.

Rhetorico Grammaticè variabis, ſi exemplum Rhetoricum deducas per Grammaticam, e. g. omnes homines flagrarant deſiderio.

Copia rerum continetur inventione & diſpo-

poſitione, nam inventio facit ut habeamus materiam, diſpoſitio ipſam formam exhibet.

Inventio eſt notionalis vel realis.

Inventio notionalis inſtituitur adminiculo locorum inventionis Logicæ. Nam thema, quod copioſe eſt notandum, deducitur per loca inventionis, idque beneficio regularum de notis ſubindicantibus iſta loca. Quia vero immenſa rerum copia, hoc modo veluti ſub manu naſci ſolet, non omnia & ſingula inventionis loca ſunt adhibenda, ſed ipſorum delectus eſt habendus, alias in magna copia erimus inopes.

Inventio Realis eſt { Generalis / Specialis }

Inventio generalis abſolvitur tribus ſigillis ut vocant.

Primum ſigillum eſt univerſitatis, quando dicturi de re, percurrimus totam rerum univerſitatem, & quodlibet de quolibet enuntiamus.

Secundum ſigillum eſt, Encyclopędia, quando percurrimus omnium & ſingularum diſciplinarum terminos, & illas noſtro themati applicamus.

Tertium ſigillum variæ lectionis, docet nos in quolibet diſcurſu adhibere iſta tria, videlicet egregia dicta, ſeu illuſtres ſententias, ſimilia ſeu ſimilitudines ſelectas, & denique pathe-

tica exempla. Hæc autem tria ſperguntur per univerſam Encyclopædiam, ita nempe dicta, ſimilia, & exempla Metaphyſica, Phyſica, Geometrica, Ethica &c. Porrò ad iſta tria revocātur Apophtegmata, Gnomen, Chreiæ, Adagia ſeu Proverbia, Apologi, Emblemata, Hyeroglyphica, Simbola, & quicquid eſt harum rerum, quibus omnibus referta ſunt etiam S. S. Biblia.

Inventio ſpecialis continetur hac regula. Quot ſunt loci communes in aliqua diſciplina tot ſunt loca inventionis ſpecialis ſive propriæ. Itaque tuum thema reduc ad diſciplinam, & ex illâ, hoc eſt ipſis locis communibus deprome argumenta ſive explicantia ſive probantia, ſive amplificantia.

Diſpoſitio ſpectatur in genere & in ſpecie.

In genere diſpoſitio quælibet abſolvitur quatuor partibus, puta, exordio, proportione, tractatione, & peroratione.

In ſpecie diſpoſitio eſt, Epiſtolæ, Dialogi, vel Orationis, in hiſce autem omnibus diſponendis oportet videre ad quam diſciplinam pertineant. Nam diſpoſitio ipſarum debet convenire cum diſciplina ad quam pertinet. Ubi etiam plurimum juvat, ſi in conſpectu habeamus omnia genera quæſtionum. Nam quæſtiones ſunt vaſa ad omnia intelligibilia.

Tot ſunt Epiſtolæ, Dialogi, Orationes, quot ſunt genera diſciplinarum.

FINIS.

ARS DISPUTANDI.

I. ARs diſputandi docet veritatis inveſtigationem, congrua ratiocinationum contrariarum collocatione. Eſtque generalis, vel ſpecialis.

II. Generalis reſpicit communiter omnis veritatis indagationem, in omnibus diſciplinis unde ſpecialibus congruè applicetur. Eſtq; de rebus diſputandis, mediis diſputandi, perſonis diſputantibus.

III. *Res diſputandæ* ſunt omnes veritates, quarum certitudo non eſt cognita ſed inquirenda eſt ratiocinatione: eæ autem debent eſſe intelligibiles, appetibiles, & poſſibiles, & poſſunt peti ex tota Encyclopedia, & univerſo naturæ circulo.

IV. *Media diſputandi*, reſpiciunt *affectum* vel *intellectum*.

V. *Affectum* reſpicit *Theologia*, ac *Ethica*.

VI. In *Theologia* eſt converſio animi ad Deum per precationem ardentem, quâ gratiam Dei impetramus; & animi præſentiæ conciliamus.

VII. In *Ethica* imprimis modeſtiam obſervem, & perſonalia miſſa faciam.

VIII. *Intellectum* reſpicit *Metaphyſica*, ac *Logica*.

IX. *Metaphyſica*, cum ſit penu, dirigit omnem diſſertationem, ita nimirum ut ad ipſius

principia, ſit omnino nobis recurrendum, unde notiones omnes veritatis, ſeminales materias, tum Thematicas, tum Argumentoſas, tum Axiomaticas, tum Syllogiſticas, tum denique Methodicas deſumere poſſumus.

X. *Logica* ſuppedit exemplaria, quorum beneficio recte poſſumus notiones omnes diſcernere, & diſcretas diſponere.

XI. *Perſonæ diſputantes* ſunt quæ veritatis inveſtigationi incumbunt, Suntque Opponens & Reſpondens.

XII. *Opponens* eſt qui inpugnat theſim poſitam, contrariis ipſi ratiocinationibus. Theſis eſt principium variis ratiocinationibus collectum: vel, Opponens eſt perſona contrarias ratiocinationes proponendo diſputans, ejus videnda objectio fundamentalis & inſtantia.

XIII. *Objectio fundamentalis* eſt quæ directè eſt contraria adverſario, & ulterius urgenda. Ejus videnda eſt ſtructura & diviſio.

XIV. *Structura objectionis* eſt ejus inconſequentiæ ſyllogiſticæ immota fundatio. Ejus duæ partes ſunt inventio, & dijudicatio.

XV. *Inventio* fit hâc lege: percurre locos inventionis Logicæ & circulum Catholicum, & cum iis confer theſin adverſarii, ac oſtende ejus falſitatem.

XVI. *Dijudicatio* fit his modis.

1. Dictum de omni & nullo, reducatur ad ſcalam entis, ac cum eo conjunge regulam pro-

por-

portionis, tum Logicæ tum Metaphyſicæ.

2. Quod verum eſt de ſuperiore, verum eſt etiam de inferiore. Hinc. 1. A ſuperiori ad inferiores eſt irrepugnabilis conſequentia; tum affirmando, tum negando.

2. Hic oportet in conſpectu habere ſcalam prædicabilium, & illam applicare tranſcendentibus, & prædicamentis ut connexio generis, ſpeciei, & individui attendatur.

3. A Collaterali valet argumentum quantum ad differentiam & proprium, & hoc appellatur collaterale dextrum; ſecus ſe habet ſiniſtrum, quod eſt accidens.

4. In locis inventionis conſequentia eſt neceſſaria, affirmate, quoties argumentum ſumitur à proximo, inadæquato, & reciproco; negate, ſi oppoſita ſint immediatæ.

XVII. *Diviſio objectionis* eſt quod ſit probatio oſtenſiva (ſeu demonſtratio) vel deducens ad abſurdum.

XVIII. *Demonſtratio* ſit fundata in hoc principio. Impoſſibile eſt idem poſſe eſſe & non eſſe: hinc enim Scalig: omnia probantur per eſt & non eſt. Eſtque à priori, poſteriori, æquali.

XIX. *Demonſtratio à priori*, procedit à cauſâ proximâ per omnia quatuor cauſarum genera. Excellit tamen demonſtratio à formâ, quippe quæ eſt cauſa efficiens proprietatum emanativa, ut homo eſt riſibilis, quia eſt animal rationale.

XX. *Demonſtratio à poſteriori* aſſurgit ab effectu ad cauſam. Excellit tamen demonſtratio à proprio, ut homo eſt animal rationale, quia eſt riſibile animal.

Demonſtratio ab æquali eſt, quando proprium demonſtratur per proprium, ut homo eſt animal diſciplinabile, quia eſt riſibile & viciſſim.

XXII. *Inſtantia* ſine ullo negotio adferri poteſt: ſi data reſponſio, ut thema compoſitum, in conſiderata deducatur, tum quoad ſubjectum, tum quoad prædicatum, tum quoad copulam per circulos catholicos (i. e. per tabulam locorum intentionis Logicæ, ut univerſam Encyclopediam, adeoque ſenſum, rationis ſcripturæ) unus enim circulus alterum notificat, quia vana & mirifica eſt eorum concatenatio.

XXIII. *Probatio ducens ad abſurdum* oſtendit quomodo principium aliquod cedatur, per adverſarii repetitionem. Id autem eſt facillimum, ſi theſis adverſa, tum formaliter, tum per bonam conſequentiam conferatur cum rationibus totius Encyclopediæ, præcipue generalium diſciplinarum.

XXIV. *Reſpondens* reſolvit contrarias ratiocinationes, idque directe vel indirecte, illud ſapientiam, hoc prudentiam ejus præ ſe fert.

XXV. *Directa reſponſio* eſt, conceſſio, negato, diſtinctio.

XXVI. *Conceſſio* adhibetur controverſiæ accuratæ

curatæ, obſervato deprehenditur concluſio non eſſe contra theſim; adeoque admittitur.

XXVII. *Negatio* reſpicit vitium vel formæ, vel materiæ. Vitium formæ eſt diſpoſitionis ſyllogiſticæ falſitas. Vitium materiæ eſt terminorum ex quibus ſyllogiſmus componitur falſitas, ſive ea ſit in ſimplicibus terminis, ſive in eorum combinatione. Eſt autem negatio conſequentiæ, vel præmiſſarum.

XXVIII. Conſequentia neganda eſt quoties ex diverſis nectitur, tum enim ſemper ſunt ſcopæ diſſolutæ, arena ſine calce, adeoque ibi nulla concluſio juxta regulam. Si poſito antecedente poteſt eſſe vel non eſſe conſequens, conſequentia eſt frigida.

XXIX. Negandæ ſunt præmiſſæ, quoties conſentanea negant, & diſſentanea affirmant, tunc enim in iis accurrit vitium materiæ, vel quoad materiam, vel quoad res.

XXX. Vitium materiæ quoad voces indicatur regulis Philologicis quæ oſtendunt peccare ſyllogiſmum terminorum pluralitate. Unde patet quanta ſit Lexicæ, Grammaticæ, Rhetoricæ, Oratoriæ, & Poeticæ, in bene diſſerendo utilitas.

XXXI. Vitium materiæ quoad res, quando peccatur in vera diſciplinarum axiomata. Id cognoſcitur & detegitur Peripatheticè vel Ramiſticè.

XXXII. Peripathicè, cognitio falſitatis rei

in ſyllogiſmo, non alligatur ad loca inventionis Logicæ, ſed ad certa quædam capita generalia revocatur, quæ vel in omnibus vel in pleriſque locis inventionis Logicæ habent, nempe ad petitionem principii, ignorantiam Elenchi, fallaciam conſequentis &c.

XXXIII. Ramiſticæ vitium materiæ realis ſyllogiſticæ eſt topicum vel axiomaticum.

XXXIV. *Vitium topicum* eſt quod impingit in aliquod criterium inventionis: hoc totuplex eſt, quot ſunt loca inventionis Logicæ, juxta regulam: tot ſunt fallaciæ ſyllogiſticę, quot ſunt loca inventionis Logicæ.

XXXV. *Vitium axiomaticum* materiæ realis ſyllogiſticæ detegitur illa regula: tres propoſitiones ſyllogiſticæ exigantur ad tres gradus neceſſitatis axiomaticæ, ſicque patebit vitium ſyllogiſmi clariſſime.

XXXVI. *Diſtinctio* recte & utiliter adhibetur quando major propoſitio non eſt univerſalis, tum enim oportet limitare propoſitionem & diſtinctionem applicare tum propoſitioni, tum aſſumptioni, omnis autem bona diſtinctio pertinet ad propoſitionem, & aſſumptionem.

XXXVII. Reſponſio directa multis poteſt fieri modis, & quidem vel realiter, vel perſonaliter: realiter per inſtantiam ſeu Euſtaſim, itemque fortiorem oppoſitionem: perſonaliter cum mores opponentis carbone notamus.

XXXVIII. Ars diſputandi ſpecialis tam late pa-

patet, quam late patent diſciplinæ, ubi hæc duo potiſſimum ſunt obſervanda. 1. Ut terminos cujuſque diſciplinæ habeamus cognitos, accurate, vel ſaltem frugaliter. 2. Obſervemus ſpeciales conſequentias in ſingulis diſciplinis. Sic v.g. argumentatur Theologus à verbo Dei, ab officio Chriſtiani hominis, â praxi Eccleſiæ, à circumciſione ad baptiſmum. Sic Orator ab honeſto, utili, facili, jucundo &c. Sic poëta à Dialecto &c. Sic Grammaticus ab Analogia vocum.

XXXIX. Ut autem habitus diſputandi comparetur & retineatur, oportet ſingulis occaſionibus bonis, juxta artis præſcriptum tum ſolitario, tum ſocio modo ingenium & linguam exercere: ſic enim audacia in affectibus, ſapientia in intellectu, promptitudo in lingua & prudentia in geſtibus acquiretur. Amen.

FINIS.

ARS

ARS COMBINATORIA.

1. ARs *Combinatoria* docet rationem combinationis ſcientiæ.

2. *Combinatio ſcientifica* eſt, quæ parit ſcientiam in differentibus: ea ſpectatur in ſuis modis & ſpeciebus.

3. Ex modis combinatio eſt declarans, demonſtrans & dilatans.

4. *Combinatio declarans* eſt topica vel axiomatica.

5. *Combinatio topica* eſt baſis ſequentium combinationum, adeoque omnis judicii fundamentum. Fitque juxta partes orationis, omniaque earum accidentia. Eſtque affirmans vel negans. Utraq; complexa vel incomplexa.

6. *Combinatio axiomatica*, eſt affirmatio vel negatio complexa & quidem ſecundum affectiones 6 prædicabilum, 10 prædicamentorum, & 23 locorum inventionis Logicæ, ita ſcil. ut attendatur vinculum verbi & conjunctionis.

Combinatio demonſtrans fit in ſyllogiſmo ope conjunctionum rationalium & cauſalium, per dictum de omni & nullo, vel juxta hanc regulam: Antecedens debet eſſe cauſa conſequentis reſpectu argumentationis.

8. *Combinatio dilatans* fit in Methodo, juxta hanc regulam: generatio eſt cauſa ſpecialis quantum ad notitiam,

9. Ex

Ex ſpeciebus combinatio eſt libera vel adſtricta.

10. *Combinatio libera* ſeu promiſcua eſt, quâ quodlibet cum quolibet combinamus, juxta hanc regulam: Combinatio eſt duplex, triplex vel multiplex.

11. *Combinatio adſtricta* eſt, quâ certos certarum diſciplinarum terminos inter ſe combinamus, eſtque Philoſophica, Medica, Juridica, Theologica, vel Mechanica, & quidem unius vel plurium diſciplinarum, vocaturque alias combinatio Tegnalogica.

12. Combinatio unius & ejuſdem diſciplinæ perficitur hiſce regulis quatuor.

1. Pars generalis in qualibet diſciplina conſtituit examen partis ſpecialis e. g. Phyſica generalis de principiis & affectionibus corporis naturalis, utiliter adhibetur in Phyſica ſpeciali puta roris acri &c.

2. Simplicia recte applicantur compoſitis v. g. Phyſica cœli & elementorum rectè adhibetur in Phyſica roris, adamantis &c.

3. Quilibet locus communis in qualibet diſciplina eſt veluti locus inventionis, & hinc eſt quod unus locus communis alterum explicet, probet, & amplicet, v. g. in Phyſicis locus communis de pluvia poteſt tractari ex reliquis locis communibus, de meteoris, de vegetabilibus, animalibus, mineralibus.

4. Quilibet titulus cum quolibet titulo, in qua-

libet diſciplina poteſt conjungi, v, g. generatio eſt ſimplex ſeu Elementaris, vel mixta, vel univoca, vel æquivoca: ſic in Logica cauſa eſt diverſa, vel adverſa, par, vel impar, totalis, vel partialis.

13. Combinatio diverſarum diſciplinarum abſolvitur itidem quatuor regulis.

1. Tres ſunt diſciplinæ generales, in Theoreticis Metaphyſica, in Practicis Ethica, in Poëticis Logica: quorum termini, nominatim vero in Metaphyſicis, & Logicis, cum terminis reliquarum diſciplinarum neceſſario combinantur.

2. Termini ſpeciales reſtringunt generales, idque modis infinitis, v. g. veritas eſt ſubſtantialis vel accidentalis, Theologia, Ethica, &c.

3. Termini diſciplinarum realium facile combinantur ope terminorũ qui occurrunt in diſciplinis nominalibus, ut Grammatica, Rhetorica, &c.

4. Termini diſparati tranſeunt in terminos comparatos per omnia comparationis Logicæ genera.

FINIS.

Ars

ARS REDUCENDORUM Terminorum ad diſciplinas liberales Technologica.

1. ARs reducendi manuducit, quomodo omnia vocabula & ſinguli termini poſſint referri ac revocari ad certas diſciplinas. Ejus occurrit Modus & Uſus.

2. Modus reducendi continetur regulis generalibus vel ſpecialibus.

3. Regulæ generales ſunt, quæ ſe communiter ad omnem vocabulorum revocationem extendunt. Suntque ſequentes.

1. Unum idemque vocabulum ſæpenumero pertinet ad varias diſciplinas pro vario conſiderandi modo.

2. Sex ſeptemque, accuratius novem præcipui tituli cujuſque diſciplinæ obſerventur ordinate, ut ad illos tanquam principes reliqui omnes referantur.

3. Cognitæ diſciplinarum metæ ſunt certiſſima indicia diſciplinæ ad quam pertinet revocandus terminus: cognoſcuntur autem metæ diſciplinarum ex earum finibus, qui ſunt cognitio veri, & actio boni ſeu veri cogniti, hinc

1. Duo ſunt ſumma diſciplinarum capita, nempe quod ſunt Theoreticæ, quæ cognitionem veritatis nudam, vel Practicæ, quæ cognitæ veritatis productionem intendant,

Unus

2. Unus idemque terminus pro diverſo reſpectu ad utrumque iſtum finem ducit; ita ut particula ſpecificativa (quatenus) adhibeatur per particulam (quatenus) interna vel externa conſideratione.

3. Breviſſimæ diſciplinarum definitiones ſunt certiſſimæ Cynoſuræ reductionis terminorum.

4. Sex, ſeptemve præcipui tituli cujuſque diſciplinæ obſerventur ante oculos, ita, ut ad illos, tanquam principes, reliqui omnes referantur.

5. Principia & concluſiones pertinent ad primum præcognitum omnium diſciplinarum, quæ appellatur Archelogia; pertinet, inquam, eo ratione judicii.

6. Nomina iſta, intelligentia, ſcientia, prudentia, ars, opinio, dubitatio, error, pertinent, ad ſecundum præcognitum, quod appellatur Hexilogia.

7. Ipſa nomina diſciplinarum præcognoſcuntur in Technologia, ut Sutoria, Philoſophia civilis, Philoſophia moralis.

8. Vocabula, finem, medium, & impedimenta ſtudii alicujus ſignificantia pertinent ad Dialecticam.

9. Ad Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, pertinent termini notionum ſecundarum ratione explicationis; ſed ratione uſus omnes termini cum primarum, tum ſecundarum notionum

tionum indifferentes pertinent ad ſuas tres artes, tanquam quoddam triſſellium.

10. Metaphyſicæ conſiderationes ſunt tranſcendentales, & prædicamentales: Tranſcendentalis nota certa eſt vagari per omnia prædicamenta.

11. Phyſica eſt Theatrum naturæ, unde huc pertinent principia, affectiones, partes, & ſpecies omnium creaturarum corporearum, una cum anima hominis.

12. Ad pneumaticam pertinet quicquid de ſpiritu, lumine naturæ provideri poteſt.

13. Arithmetica ſibi vendicat numerum numeratum, & numerantem, & utriuſque affectiones.

14. Ad Geometriam pertinent punctum, linea, ſuperficies, & corpus, illorumque dimenſiones.

15. Ad Aſtronomiam pertinent termini, qui quantitatem cœli, ſtellarum, temporis, itemque influentias notant.

16. Geographia explicat terminos, qui dimenſionem terræ & aquæ perficiunt.

17. Ad Muſicam referuntur termini ſoni artificialis.

18. Ad Tentorium Opticæ, pertinent lux, color, radius & omnia viſibilia, quæ ſunt talia per ſe vel per accidens.

19. Ad Ethicam pertinent, ſive referuntur virtutes,

virtutes, vitia, quatenus competunt Patri familias, Principi, Præceptori.

20. Termini Oeconomici ſunt Perſonæ, Res, Actiones, ad familiam pertinentes.

21. Politica ſibi vendicat Perſonas, Res, Actiones, ad Remp: pertinentes; idem de Scholaſtica judicium eſto.

22. Ad Hiſtoriam referuntur res geſtæ ſecundum tria diſciplinarum genera.

23. Poëtica notiones ſecundas numeroſe dicendi explicat, ut verſus, carmen, pes, metrum, poëma, &c.

24. Steganographiæ munus eſt evolvere notiones occulte, ſenſa animorum exprimendi, ut occultatio literarum litera, clavis, &c.

25. Mnemonica ediſſent media bene memorandi, ut memoria localis, circumſtantiæ recordandi, res recordandi, medicamen memoriam juvandi, dicta ad memoriam facientia.

26. Medicina vendicat ſibi morborum remediorum, ſanitatis, diætæ ſalubris, terminos.

27. Ad Juriſprudentiam refer, quicquid de Jure Moſaico, Romano, Tranſilvanico, Hungarico, &c. ſecundum omnes gentes occurrit.

28. Ad Theologiam revoca capita Cathechetica, locos communes Theologicos cum ſuis controverſiis, caſus conſcientiæ, artem concionandi, & Politiam Eccleſiaſticam.

Uſus hujus Reductionis eſt pene infinitus, nam huc mentis nobiliſſima operatio eſt diſtinctæ

ſtinctæ cognitionis certiſſima, origo & menſura, ac ſolidi judicii unica clavis & cynoſura. Itaque quilibet, die quolibet, revocet terminum quemlibet ad ſuam diſciplinam: ſic enim tandem ad faſtigium accuratæ eruditionis pertinget.

FINIS.

ARS

ARS ſeu CANONES
de reductione ad Prædicamenta.

I. OMnia & ſingula quæ occurrunt in orbe rerum ac diſciplinarum (encyclopediâ) poſſunt ac debent referri ad prædicamenta, id eſt ſuas claſſas ac genera.

II. Hæc reductio eſt felix cujuſque diſſertationis præparatio.

III. Quo pertinet totum eo & partes, & viciſſim.

IV. Quo oppoſitorum pertinet unum, eo & alterum, item quo pertinet habitus, eo etiam negatio, adeoque & privatio, & viciſſim quo entia vera, eo etiam ficta.

V. Diverſo reſpectu una eademque res poteſt referri ad diverſa prædicamenta, ſed potior reſpectus (formale) eſt conſiderandus.

VI. Deus, angelus, anima rationalis: item cœlum, elementa, meteora, mineralia ſeu foſſilia, plantæ, bruta, & homo pertinent ad ſubſtantiam.

VII. Omnis magnitudo, adeoque longitudo, latitudo, profunditas, & altitudo; omniſque multitudo, adeoque numerus pertinet ad quantitatem.

VIII. Omnis vis activa (dandi) pertinet ad qualitatem, adeoque

1. Omnis virtus ac vitium adhibitum.

2. O-

2. Omnis potentia naturalis, & impotentia ad ſecundam ſpeciem.

3. Omnis qualitas ſenſibilis ad tertiam ſpeciem.

4. Omnis externa figura naturalis & artificialis ad quartam.

5. Omnes res artificiales, in quibus præcellit ars pertinent ad hanc ſpeciem in quibus præcellit natura ad ſubſtantiam.

IX. Omnis convenientia & diſconvenientia, comparatio, ſtatus, ordo, cætus, ſignum, principium, inſtrumentum, pertinet ad relationem.

X. Omne verbum activum & deponens ad actionem.

XI. Omne verbum paſſivum & neutro paſſivum, ad paſſionem.

XII. Affectus quatenus ſunt accidentia permanentia ad paſſionem quæ eſt qualitas: quatenus tranſeuntia ad paſſionem prædicamentum.

XIII. Nomina verbalia in io pro diverſo reſpectu, ad actionem & paſſionem.

XIV. Omnis duratio, æternitas, ævum, tempus, ad quando.

XV. Omnis locus naturalis & artificialis ad ubi.

XVI. Omnis ordo corporum, ante, retro, ſupra, infra, ad dextram ad ſiniſtram, pertinet ad ſitum.

XVII. Omnia indumenta (congrua vel incongrua, ut vincula, armamenta, & ornamenta

ſive

ſive naturalia ſive artificialia pertinent ad prædicamentum habitus.

Omnia de omnibus dicuntur.

I. Affirmando vel Negando.

II. In caſu recto vel obliquo.

III. Propriè vel impropriè, & nominatim Metaphoricè.

IV. Secundum ſumma capita locorum inventionis, ubi ſunt loca conſentanea vel diſſentanea, & conſenſio ſimplex vel comparata, prima vel orta; quod idem eſt judicium de diſſenſione, imo utraq; illa & conſenſio, & diſſenſio, non ſolum eſt incomplexa, ſed & complexa.

V. Secundum ſubjectam materiam, ſive pro exigentia circumſtantium, id eſt locorum, temporum, & perſonarum, contextus.

VI. Axiomatice ita ut combinatio locorum inventionis peragatur ſecundum plura axiomatum genera, qui modus eſt promptuarium principiorum, ſeu canonum longè latèque fæcundiſſimum.

VII. Secundum titulos thematum in ſcala thematica, qui tituli admirandam pariunt ſegetem differendi, quatenus unus idemq; terminus poteſt tractari, ut thema narratorium, laudatorium, vituperatorium, hortatorium, dehortatorium, accuſatorium, conſolatorium, defen-

defenſorium, & ſic deinceps juxta omnes diſſerendi modos.

VIII. Alphabeticè, id eſt ita ut unus terminus, & quidem quilibet deducatur per ſeriem alphabeti, juxta regulam: Duo termini ſe invicem immeant, mediante tertio.

IX. Secundum Phraſeologiam ſyntacticam, nam ſi ſyntacticè deducamus aliquod thema, ita ut terminus cum termino combinetur, multa pulchra & utilia dicenda in memoriam revocat apparatus regularum ſyntacticarum, quæ ſecum tradunt fecundiſſimam rerum copiam.

Rota autem ſyntactica in memoriam revocat regulas ſyntacticas quæ omnium rerum immeationem in ſe continent. Tota enim philoſophia nihil eſt aliud, quam immeatio Grammatica. Phraſes vero inveniuntur beneficio rotæ ſyntacticæ, quæ Adagium Grammaticum, & malus vocativus dici ſolet, ob eam rationem quia plerumque pueri circa vocativum peccant.

X. Per adhibitum ſyllogiſmum univerſitatis, quo fit ut ſepoſito omni ſubſidio, adhibeamus illa, quæ nobis noſtris oculis ſe ſubjiciunt. Hic modus diſſerendi eſt vulgaris adeoque adhibendus cum argumentamur cum plebe, & plane facit ad captum populi, v. g. ſi velim tractare de vita æterna, aſſumam voces obvias, v. g. feneſtra, fornax, menſa, unde ſic revera

revera vita æterna eſt illa menſa plena omnis copiæ benedictionis, bonitatiſquæ divinæ, quæ exhibet animarum noſtrarum ferculum, omni ſaccharo ſuavius, victum immortalem, nimirum ſalutem. In vita æterna non erit temporis viciſſitudo, utpote hiems, æſtas, autumnus, ver, adeoque nulla opus fornace erit, erit enim perpetua veris amænitas. Et quemadmodum vitrum in feneſtra, factum ex cinere inſtar ſtellæ ſplendet: ſic hominis corpus, quod quidem factum ex pulvere, in vita æterna ſicuti Sol radiabit, & ſic de aliis.

FINIS.

DENARIUS

DENARIUS DIDACTICUS.

Id eſt

Decem Aphoriſmi bene diſcendi.

I. QUi fructuoſum ſui laboris in diſcendo ſcopum vult aſſequi, ante omnia hunc ſibi finem habeat propoſitum, non ut de rebus ſuæ diſciplinæ in utramque partem diſputare, variorum ſententias adducere, eorundem argumenta referre poſſit, ſed ut ipſarum rerum veram, eamq; ſolidam, nimirum ex ipſis primis principiis deductarum cognitionem conſequatur, quam ubi nactus fuerit, tum deinde in aliorum opiniones inquirere licebit.

II. Ut ad hunc ſcopum perveniat, non exiſtimet quoſvis authores ſibi indifferenter legendos eſſe, ut ex iis locos communes, quos vocant, colligat, ſed ejus diſciplinæ in qua proficere deſiderat, ſyſtema eligat compendioſum & methodicum, idque doctorum virorum conſilio, & imprimis tale in quo affectiones ex ipſis principiis deducantur & per ea demonſtrentur.

III. Id ſedulo legat, ſed hoc affectu, ut non tantum præcepta ipſa memoriter ediſcere, quam ut ea intelligere ſatagat.

IV. In demonſtrationes ipſas inquirat, eaſque examinet & ut id ſedulo commodius fieri poſſit,

poſſit, per Analyſim Logicam ad ſyllogiſmos deducat, ſiquidem ſyllogiſticæ non fuerint propoſitæ. His enim naturalem judicii vim ſic excitabit, ut ubi aliquantum confirmatus fuerit de ſingulis proprio marte judicare poſſit.

V. Ne ſibi invito præſertim nimium fidat, ideoque authoris, quem legendum ſumpſit, demonſtrationes non ex ſuo ſenſu, ſed ex principiis ipſius Authoris examinet, in quibus principiis, quæ potiſſimum ſunt definitiones, recte intelligendis, & quidem ex ipſo Anthoris ſenſu, plurimæ operæ collocet.

VI. Ne in ullius verba juret, nomini ſic fidens ut ipſum ſive in principiorum aſſignatione, ſive in affectionum demonſtratione, ab errore immunem eſſe exiſtimet, ſed judicium ſive ſuſpendat, donec illo confirmato rectius de veritate præceptorum judicare poſſit: initio enim non convenit ut diſcipulus ſit ſcrupuloſus, ut omnia in dubium vocet, donec judicio ſit confirmatiore. Cito enim C[illegible], vix unquam Philoſophi.

VII. Hoc modo ubi unum aliquem Authorem aliquoties perlegerit, ſic ut ejus ſententiam probe intelligat, ad alterum accedere licebit, ſed ita ut cujuſlibet authoris ſententias & concluſiones, non ſecundum principia ab alio anthore poſita, & quæ ipſe ſibi imaginatus fuerit, ſed ſecundum propria cujuſque Authoris principia examinet.

VIII. Quia

VIII. Quia autem ſolidæ eruditionis præcipua pars eſt memoria, opera danda eſt ut quæ ita addiſcuntur, firmiter memoriæ adhæreant:

IX. Optima autem memoria tribus conſtat quaſi partibus, & membris, intellectu, ordine, cura, ſiquidem memoriæ bonæ pars eſt, rem penitus intellexiſſe, ordo vero facit ut etiam quæ exciderint, quaſi poſtliminio, in animum revocemus, cura denique in omnibus rebus, non ſolum hic, plurimum valet, hinc,

X. Quæ accurate ſcire vis, ea crebrius & attentius, ſecundum priores ſex canones, tibi ſunt relegenda: & dein ſæpius à nobis ipſis exigenda, ut ſi quid ſuffugerit reſtituatur.

FINIS.

DIDACTICA SACRA.

1. Didactica eſt ars ſacram ſcripturam debito modo legendi & diſcendi. Ejus occurrit theoria, & praxis.

2. Theoria oſtendit media, quibus ad ſcripturæ intelligentiam, ſapientiam, & ſcientiam, devenitur.

3. Media illa ſunt præparantia, gubernantia, & conſummantia.

4. Media præparantia ſunt oratio, animi congrua diſpoſitio, & temporis determinatio certa.

5. Oratio eſt quâ ante omnia Dominum Deum ſerio invocamus, ab ipſo ardenter, frequenter, & fideliter ſpiritus ſancti gratiam implorantes, ut nobis largiatur mentem, ſalutaria myſteria ſalutariter cognoſcendi, & applicandi.

6. Animi diſpoſitio congrua eſt, quâ ſine omni præjudicio in lectione & mediatione ſcripturæ, è ſola veritate divina inſtrui ac edoceri parati verſamur. Itaque hic debet tractari ſcriptura, ut index & judex ſalutaris, veritatis, à Deo loco ſui, in noſtro corde & ore depoſitus, ut norma & Deo, qui in iis loquitur, & hominibus recta ratione utentibus ad quos loquitur, accommodatiſſima, adeoque omni ex parte ſapientiſſima, juſtiſſima, & ſanctiſſima.

7. Temporis determinatio eſt oportunitatis & otii in bibliis legendis quæſitio, quâ ipſorum tractationi certum tempus impendimus. Illa eſt totalis quâ ſemel intra anni ſpatium biblia

ſacra

ſacra à capite ad calcem percurrimus. Vel particularis certum quotidie penſum in iis legendo. Idque ordinarie hora matutina prima, veſpertina ultima. Extraordinarie tunc cum tentationes ſunt moleſtæ.

8. Media dirigentia ſunt vel Mnemonica, vel Logica.

9. Media Mnemonica quæ faciliori ſcripturæ apprehenſioni & retentioni inſerviunt. Suntq; ſumma bibliorum, delectus, & conſtans unius exemplaris bibliorum tractatio.

10. Summa bibliorum, eſt librorum ſacrorum, ordinis & œconomiæ ac ſacræ Chronologiæ breviter cognita ac memoriȩ impreſſa idea Methodica.

11. Delectus bibliorum eſt, quo libri eorum nonnulli præ aliis diligenter evolvuntur, nimirum Geneſis, Pſalmi, Eſajas, Acta Apoſtolorum, & Epiſtola ad Romanos.

12. Conſtans unius exemplaris Bibliorum tractatio eſt, qua unum idemque eorum exemplar (ſi poſſibile, in originalibus linguis, ſin minus, in ea quam melius intelligimus volvitur) ſic retinetur ut in eo memoria locali nobis parata, præcipua eorum dicta animo noſtro ſervanda committimus.

13. Media Logica ſunt, quæ accuratiori ſcripturæ judicio inſerviunt. Suntque reductio, collatio, & diſcretio ſacra.

14. Reductio eſt qua ad ſcripturæ ſcopum

diligenter attendenda omnia ejus ad quinque capita Catechetica tanquam inventionis Theologicæ ſimplicia loca referimus, ex iiſque ſecundum ea quæ faciunt ad doctrinæ redargutionem, inſtitutionem, correctionem, conſolationem, eruimus Rom. 16. 4.

15. Collatio ſacra eſt, qua biblia tota, debite ac diligenter inter ſe conferimus (præſertim libros certos, ut cum Pſalmis libros Samuelis, cum Prophetis Libros Regum ac Chronicorum, cum Epiſtolis Acta Apoſtolorum) & omnia illarum ſcripturarum dicta, ad fidem, ſpem, & charitatem, comparamus, ac examinamus.

16. Diſcretio ſacra eſt, quâ ſcripturæ circumſtantias omnes loci, temporis, perſonarum ſimiliumque, Phraſes item & loquendi modos, accurate cogitantes, inter cauſas & effecta, ſigna & res ſignatas, ac denique inter proprias, (hiſtoricas) & figuratas (allegoricas) locutiones, rite, accurate, & legitimè diſtinguimus.

17. Media conſumantia ſunt quæ docent fundamentum ac ſcopum primum, ac ultimum ſcripturæ lectionis, & meditationis. Suntque applicatio ad Chriſtum, & contentio ad earum finem.

18. Applicatio ad Chriſtum eſt, quâ quicquid in ſcripturæ lectione occurrit, ad eum tanquam ad finem ipſarum referimus, ita ut eum ſic agnoſcentes, prout ibi proponitur

tur, cordis fiduciam in eo ſolo collocemus ad ſalutiferam liberationem.

19. Contentio ad ſcripturarum finem eſt quâ in earum lectione & meditatione, nihil niſi gloriam Dei & ædificationem proximi, ac noſtri propoſitam habemus.

20. Praxis didacticæ ſacræ eſt, quâ ſcripturarum cognitionem ad earum uſum applicat, nihilque eſt aliud quam regulatio noſtræ fidei & vitæ. Eſtque Geneſis vel Analyſis ſacra.

21. Geneſis ſacra, hic eſt quâ omnia illa quæcunque ad ſalutem credenda, & agenda ſunt, ex ſacra ſcriptura educunrur. Ejus regula eſt. Tabulam Theologiæ deduc per ſacram ſcripturam totam, & quæcunque ejus dogmata ſacris literis conſentiunt, ea ſunt admittenda, quæ vero iis diſſentiunt, omittenda, & averſanda.

22. Analyſis ſacra eſt, quâ omnia quæcunque creduntur, & aguntur, à nobis ad ſcripturam ſacram, tanquam lydium lapidem reducuntur. Ejus Regula eſt, omnem tuam fidem & vitam ad ſacram ſcripturam reduc, & quicquid in ea ſcripturæ conſentaneum eſt, id contínues, diſſentaneum vero profliges.

FINIS.

USUS LEXICI.

I. IN qualibet voce attendendum, num ad unam vel plures diſciplinas pertineat. Itaque ſeries ſeu catena diſciplinarum ſit in promptu, & ſignificatio vocis lata, & ſtricta, itemque propria & impropria attendatur, ita enim fiet ut ſtatim occurrat ſedes termini primaria & ſecundaria.

II. Quælibet vox cum qualibet combinari poteſt, ſcil. vel ſubjective vel attributive, ſi relatio Logica inter illas attendatur: Hujus autem relationis duo ſunt capita, videlicet conſenſio & diſſenſio.

1. Eaque quintuplex, nimirum Thematica, Topica, Axiomatica, Syllogiſtica, & Methodica. Thematica conſenſio & diſſenſio oſtendit an vox oblata cum noſtro themate conſentiat vel diſſentiat. Hæc autem conſenſio & diſſenſio inter duo vocabula invenitur, ſi adhibeantur plura vocabula quæ poſſunt ex lexico elici.

2. Conſenſio & diſſenſio Topica eſt prima vel orta, ſimplex vel combinata, artificialis vel inartificialis. Itaque in conſpectu ſint loca inventionis, quatenus una vox ſe habeat ad aliam, an ut cauſa ad ſubjectum, & viciſſim, an ut genus & ſpecies & viciſſim: hic autem frequenter uſu venit ut vox una arguat alteram,
ſex,

ſex, ſeptem, vel etiam omnibus modis, qui occurrunt in Logica inventione.

3. Conſenſio & diſſenſio Axiomatica committitur in vocabulis, quæ notant affirmationem vel negationem, veritatem vel falſitatem, neceſſitatem vel contingentiam, univerſalitatem, vel ſpecialitatem vel ſingularitatem, ſimplicitatem vel compoſitionem inter quæ cernitur mutabilis priorum ac poſteriorum, complicatio.

4, Conſenſio & diſſenſio Syllogiſtica indicatur in vocabulis conſequentiam & inconſequentiam Argumentorum indicantibus, ubi extollunt conjunctiones ſyllogiſticæ ratiocinativæ, quia, enim, de, ubi. Conſequens contineatur in antecedente potentia proxima.

5. Conſenſio & diſſenſio Methodica indicatur vocabulis ordinem vel conſenſionem ſignificantibus. Atque quintuplex iſta conſenſio & diſſenſio eſt lydius lapis omnium vocabulorum ritè combinandorum, idque hoc modo.

Conſenſio & diſſenſio Thematica pertinent ad Methodum, ubi themata homogenea conſentiunt, heterogenea diſſentiunt: homogenea ſunt quæ ad eundem ſcopum tendunt, heterogenea ſunt media, quæ ad diverſos fines ducunt. Hic autem eſt ars artium, ex immenſorum vocabulorum ſylva, eligere vel quæſtiones vel terminos Logicos oratione veſtitos.

6. Conſenſio & diſſenſio Topica cernitur in axiomate & ſyllogiſmo. In Axiomate quatenus duo vel plura vocabula conjunguntur affirmative, vel negative, idque in caſu recto vel obliquo, item propriè vel impropriè, unde reſultat copia propoſitionum in ſyllogiſmo quando duo vocabula axiomatice diſpoſita conferuntur in aliquo tertio, cum aliquo vocabulo quod oſtendit nexum ſubjecti & prædicati, tertium enim vocabulum cum duobus collatum habet cum illis affectionem conſentaneam & diſſentaneam.

III. Dicturus de re aliqua, percurre Lexicum compendioſum, & ex qualibet litera adhibito ſingulari & judicioſo delectu excerpas vocabula inſignia quæ thematis tui naturam, propius attingere & exhaurire videntur.

Hoc artificium non ſolum immenſam rerum ſylvam, ad ex tempore dicendum tibi comparabit, verum etiam memoriam, ſupra, quam dici queat, juvabit.

IV. Vocabula quæ ſelegiſti, ſint dijudicanda & amplificanda: dijudicatio fiat juxta primam & ſecundam regulam. Amplificatio eſt verbalis vel realis.

Amplificatio verbalis eſt, quâ nuda ſententia ſic amplificatur ut inde oriatur periodus una & altera, id quod per viginti figuras Rhetoricas facile præſtari poteſt, ſi nempe in conſpectu ſit tabula figurarum iſtarum ſecundum omnes formulas. Ampli-

Amplificatio realis eſt definitio, oppoſitio, comparatio, diſtributio, & teſtimonium: nam hæ quinque ſingulis combinationibus poſſunt ſervire: Et ita ſe habet Geneſis Logica, ſequitur Aalyſis Lexica, hoc modo.

Analyſis rerum, quæ audiuntur, leguntur, ſcribuntur, primò ſit realis, deinde notionalis.

V. *Analyſis realis* eſt, cum in eo, quod reſolvendum eſt, attenduntur voces ſingulæ, nimirum primariæ, Categoricæ, & revocantur ad ſuas diſciplinas, ſi *enim hoc artificium adhibeas*, æque in Analyſi, ac in Geneſi, *facundus, & fæcundus eris.*

Analyſis notionalis, i. e. modalis eſt illa quidem Grammatica, Rhetorica & Logica, ſed hæc poſtrema facit ad noſtrum inſtitutum. Eſt autem illa pro numero inſtrumentorum Logicorum. Thematica, Topica, Axiomatica, Syllogiſtica, & Methodica.

VI. *Analyſis Thematica* nititur hoc fundamento, quot voces complexæ & incomplexæ, tot themata ſimplicia, & quot quæſtiones, tot ibidem themata, exceptis tribus, *An, Num, Utrum.*

Porro hæc Analyſis inveſtigat thema in Axiomate, Syllogiſmo & Methodo. In axiomate ſimplici pars antecedens ſemper eſt thema ſimplex. Sed in axiomate compoſito, nunc pars antecedens, nunc pars conſequens, continet thema ſimplex, (ut ✠ 103.) ut in axio-

mate connexo, itemque disjuncto, thema compoſitum continetur virtualiter in ſyllogiſmo. Thema compoſitum integrum ſemper latet in concluſione. In Methodo thema colligitur ex partitione principali, vel ex formali quæſtionum, vel ex loco communi, vel denique ex titulo.

Analyſis Topica inveſtigat loca inventionis, ex his maximis.

1. Regula. Verba activa & deponentia, itemque voces ſignificantes ortum, progreſſum, interitum, indicant cauſalitatem efficientis.

Nomina autem, pronomina, & adverbia ipſis addita, ſignificant connexionem çauſæ cum aliis cauſis.

2. Voces excluſivæ denotant cauſam ſolam factam; prærogativam ſignificantes notant, ſubindicant cauſam principalem; Voces irritationem, vel invitationem notantes indicant cauſam impulſivam. Denique Creaturæ reſpectu Creatoris, & nomina inſtrumentorum liberalium & illiberalium manifeſtant cauſam inſtrumentalem.

3. Voces naturalem propenſionem ſive inclinationem notantes indicant cauſam naturalem, naturæ intellectu præditæ agunt conſilio, abuſus, coactio, imprudentia, inſcitia indicant cauſam per accidens.

4. Nomina partium eſſentialium indicant materiam & formam.

5 No-

5. Nomina elementorum, meteororum, & partium integralium, & denique voces ſignificantes ſenſibilem vel intelligibilem conſtitutionem indicant materiam.

6. Nomina abſtracta, itemque nomen animæ & figuræ indicant formam.

7. Vocabula, Ad, propter, cauſâ, gratiâ, ergò, item vocabula perfectionem ac utilitatem rei ſignificantia notant finem.

8. Voces, quæ motum & rem motu factam ſignificant, cauſæ efficientem effectum indicant, reliqua effecta exprimuntur ſuarum cauſarum vocibus vi correlationum, ſeu connexionum.

9. Subſtantivum & adjectivum ſc: nominale & pronominale, & participale indicant ſubjectum & adjunctum, intellige, adjunctum verè, vel quaſi.

10. Vocabula quantitatis, & qualitatis, & temporis ſignificant adjunctum receptum, unde ſimul indicant ſubjectum recipiens.

11. Voces, quæ ſignificant rem agere, ferri circa aliquid, denotant ſubjectum & objectum occupans, unde adjunctum occupatum.

12. Vocabula ſignificantia locum & quamcunque receptionem ſive paſſionem, denotant ſubjectum recipiens.

13. Antecedentis & conſequentis notæ ſunt vocabula ſeriem ſeu ordinem ſignificantia.

14. Connexa ſignificantur vocabulis unitatem,

tatem, unionem, & communionem naturalem, & voluntariam arguentibus.

15. Atque hæc ſunt conſentanea, quorum notæ in genere ſunt voces affirmantes; ſicut è contra voces negantes indicant diſſentanea, quod quidem obtinetur conſenſione & diſſenſione topica, axiomatica, ſyllogiſtica, porrò conſenſio & diſſenſio topica eſt artificialis & inartificialis, prima & orta, ſimplex & compoſita, ubi ſemper prior eſt menſura poſterioris. Ad extremum conſentanea poſſunt fieri diſſentanea, & viciſſim prout enunciantur in caſu recto & obliquo.

16. Diverſorum notæ ſunt voces limitationem vel diſtinctionem ſignificantes. Itemque conjunctiones diſcretivæ, ſive prolepticæ, quæ ſemper notant ſolutionem & objectionem occupationis.

17. Diſparata ſignificantur conglobatione ſeu enumeratione multarum rerum.

18. Relata indicantur nominibus unicam oppoſitionem ſignificantibus, ideoque omnibus terminis Logicis, ita ut ſemper bini opponantur.

19. Adverſorum notæ ſunt vocabula quæ ſignificant pugnam rerum in natura exiſtentium.

20. Contradicentium nota perpetua eſt adverbium negandi, itemque particula in negatione uſurpata, in compoſitione, & denique cum

cum prædicatum deſtruit ſuum ſubjectum.

21. Privantia ſignificantur vocibus abſentiam ſeu carentiam rei præſentantibus, ut mors.

22. Comparatorum notæ ſunt modi ſeu vocabula unitatis, identitatis, & diverſitatis, quatenus res dicuntur unæ, eædem vel diverſæ, cauſis, effectis, & ſubjectis.

23. Parium notæ ſunt æqualem gradum, ſeu eandem qualitatem Logicam ſignificantia vocabula. v. g. æque, atque, tantus, quantus, tam, quam, par &c.

24. Imparium notæ ſunt vocabula, exceſſum vel excellentiam notantia.

25. Similium notæ ſunt omnes Metaphoræ, Adverbia ſimilitudinis & omnia vocabula proportionem & analogiam ſignificantia.

26. Diſſimilium notæ ſunt perpetuæ negationes ſimilitudinis.

27. Notationis Logicæ perpetua eſt nota, cum notatio Grammatica ex aliquo loco inventionis explicatur, ut manus à mando.

28 Conjugatorum notæ ſunt abſtractio concreta & adverbia concretorum ſuorum.

29. Diſtributionem ſignificant voces partitivæ, e. g. partim, cum, tum, vel, ſive, &c.

30 Genera & ſpecies in prędicamentis notant nomina appellativa, ſicut individua ſignificantur nominibus propriis & differētia adjectivis.

31. Definitionem perfectam indicant voces formam, proprium effectum, vel effectam ſignificantes.

32. Te-

32. Teſtimonium indicant voces authoritatem, ſeu Authorem & teſtem ſignificantes, ſeu ſententiæ, vel ſimilitudines, quæ citantur ex Authoribus ſanctis, vel Authenticis.

VIII. *Analyſis Axiomatica gubernatur octo regulis.*

1. Propoſitio ſimpliciſſima eſt quæ dicitur binaria ſeu ſecundi adjecti.

2. Propoſitio ſimplex ternaria ſive tertii adjecti, rite poteſt abſolvi in propoſitionem binariam & aliam aliquam.

3. Propoſitio compoſita ad minimum poteſt reſolvi in duas propoſitiones ſimplices.

4. Rectificatio ſubjecti & prædicati eſt inſtituenda vel ex fine axiomatis, vel ex notis argumentorum. Ex fine ita, quia propoſitionis finis eſt explicare, res explicanda ſemper eſt ſubjectum. Ex notis ita, cauſa præcedit effectum, & ſubjectū prius eſt adjuncto in conſentaneis, ſed in diſſentaneis ratio iſta anteceſſionis & ſequentis non habet locum, quia ſunt æqualis notitiæ.

5. Periodus ita dicitur ut axioma.

6. Verba conjunctionis axiomaticæ, voces affirmantes vel negantes, latitudinem, vel reſtrictionem indicantes, & deniq; voces modales, quę, qualis quantaq; ſit propoſitio manifeſtant.

7. In Analyſi artium omnes propoſitiones ſunt exigendæ ad lydium lapidem, quo ſint de omni, per ſe, & reciprocæ.

8. In

8. In propoſitionibus populariter diſpoſitis oportet removere exornationem Rhetoricam, & quamvis amplificationem: hinc verſus Mnemonici, quibus complectuntur hæ octo regulę.

Bina tribus compone prius, poſt rectificabis
Periodum, poſitas artes; vulgoque probatas.

IX. *Analyſis ſyllogiſtica ſic inſtituenda eſt.*

1. Conjunctiones cauſales ſeu cauſativæ, ſemper indicant medium-terminum ſive argumentum probationis, & plerumque aſſumptionem ſive minorem.

2. Conjunctiones rationales quæ etiam dicuntur concluſivæ, illativæ, ratiocinativæ, ſemper indicant concluſionem.

3. Analyſis Syllogiſmi in diſputatione inſtituitur, juxta leges axiomaticas, ita ut tres propoſitiones ſyllogiſmi ad illum lydium lapidem dirigantur.

4. Analyſis Syllogiſmi apud Orators & Poëtas inſtituitur per notas in Analyſi Topica dictas, quia ex omnibus locis inventionis fit ſyllogiſmus, exceptis ſolis diverſis.

5. Syllogiſmus ſimplex ibi eſſe intelligitur ubi non occurrit conjunctio connexiva vel diſjunctiva.

6. Omnis probatio fit per antecedentia, conſequentia, & repugnantia, itaque in analyſi Syllogiſtica, omnia loca inventionis (exceptis diverſis) ad hæc tria ſumma capita revocantur.

7. In artibus debemus attendere definitiones & diſtributiones, canones ſcil. regulas, & commentaria, ſcil. locos communes.

X. *Analyſis Methodica ſic inſtituitur.*

1. Adverbia ordinis & conjunctionis methodicæ, id eſt ordinativæ, connexiles & tranſitivæ ſint in conſpectu.

2. Quæſtiones quid? quis? quantum? &c. apprime faciunt ad Analyſim Methodicam

3. In Analyſi hiſtorica attendantur circumſtantiæ, itemque antecedentia & conſequentia.

4. Analyſis dogmatica oppido erit facilis, ſi agitetur qualis locus tractetur communis.

5. Integra diſciplina reſolvitur juxta leges Methodi Syntacticæ & Analyticæ.

6. Partis diſciplina fit analoga toti.

7. Tot ſunt Methodi, quot ſunt combinationes locorum inventionis.

8. Analyſis Methodica utiliter repreſentatur aliqua tabella, ſcil. juxta præſentes regulas.

FINIS.

Voces ſunt rerum indices,
Notionum vindices, &
Eruditionis claves.

A 21 145431

Digitized by Google

C.58.

A 14

Digitized by Google